


I bindets hjørnedekoration springende [illegible], med kroner.

Fol. 107 and 110 have been replaced by
other leaves from another copy of the same work.


AQVATILIVM ANIMALIVM HISTORIÆ,
LIBER PRIMVS, CVM EORVMDEM
FORMIS, ÆRE EXCVSIS.
HIPPOLYTO SALVIANO TYPHERNATE,
ROMÆ MEDICINAM PROFITENTE
AVCTORE.
ROMÆ M.D.LIIII.

IVLIVS PAPA III.

MOTV PROPRIO &c. Cũ ſicut nobis exponi fecit Dilectus filius noſter Hippolytus Saluianus Typhernas, Romanus Ciuis, noſterq; Medicus familiaris lõgo tẽpore, multiſq; vigilijs cõſcripſerit aquatiliũ animalium Hiſtoriã, eamq; vnà cum eorundem aquatiliũ animalium figuris ad viuam effigiem depictis, magnis impenſis ære exactiſſimè inciſis, nunc ſua impenſa, eaque magna imprimi curet, dubitetque, ne huiuſmodi hiſtoria cum excuſis ære figuris, poſtmodum ab alijs abſq; eius licentia imprimatur. Quod in maximum ſuum præiudicium tenderet. Nos propterea eius indemnitati conſulere volentes, Motu ſimili, & ex certa ſcientia ne prædicta ſua Hiſtoria, prædictæque figuræ ſine ipſius licentia imprimi, aut vendi, venalis ve haberi ab aliquo poſſit, per proximũ futurum Decennium, à prima ſua impreſſione, eidem Hippolyto Saluiano concedimus, & iudulgemus. Inhibentes omnibus & ſingulis, vtriuſque ſexus Chriſtifidelibus vbique tam in Italia, quàm extra Italiam exiſtẽtibus, preſertim Bibliopolis, & librorũ Impreſſoribus ſub excomunicationis latæ ſententiæ, in Terris verò Sanctæ Romanæ Eccleſiæ mediatè, vel inmediatè ſubiectis, etiã Quingentorũ ducatorũ auri, & inſuper amiſſione librorũ pœna; toties quoties cõtrauentũ fuerit, ipſo facto, & abſq; alia declaratione incurrentibus, pro vna eidem Hippolyto Saluiano loco damnorum, pro alia Hoſpitali ſancti Iacobi incurabilium de vrbe, pro alia verò tertijs partibus Cameræ apoſtolicæ applica. pœnis, pro vt nos ex nunc, pro vt ex tunc applicamus; ne intra Decennium à ſua prima impreſſione reſpectiuè computan. dictam Hiſtoriam, aut dictas figuras, aut inſimul, aut ſeorſum, aut aliquo penitus modo abſq; expreſſa ipſius Hippolyti licentia dicto Decennio durante, imprimere, vendere, ſeu venales habere, vel proponere, audeant. Mandantes vniuerſis Venerabilibus fratribus noſtris Archiepiſcopis, Epiſcopis, eorumq; Vicarijs in ſpiritualibus generalibus, & in ſtatu temporali Sanctæ Romanæ Eccleſiæ etiã legatis Sedis apoſtolicæ, ac ipſius ſtatus Gubernatoribus; vt quotiens pro ipſius Hippolyti parte fuerint requiſiti, vel eorum aliquis fuerit requiſitus, eidẽ Hippolyto efficacis defenſionis præſidio aſſiſtẽtes, præmiſſa ad omnem dicti Hippolyti requiſitionem contra inobedientes, & rebelles per cenſuras Eccleſiaſticas, etiam ſæpius aggrauantes, & per alia iuris remedia, auctoritate apoſtolica exequantur; inuocato etiam ad hoc, ſi opus fuerit, auxilio brachij ſecularis. Non obſtãtibus & ordinationibus apoſtolicis, ceteriſq; contrarijs quibuſcunque. Inſuper quia dificile foret admodum præſentem Motum proprium ad quælibet loca deferri, volumus, & apoſtolica auctoritate decernimus, ipſius trãſumptis vel exemplis, etiam in ipſis operibus impreſſis, plenam & eandem prorſus fidem vbiq; tam in iuditio, quàm extra haberi; quæ præſænti originali haberetur. Et quòd præſentis Motus proprij ſola ſignatura ſufficiat; & vbique fidem faciat iniuditio, & extra; regula noſtra in contrariũ edita non obſtante. Et perinde in ipſis operibus pro tempore impreſſis, idem impreſſus Motus proprius omnes arctet, quos tangit; ac ſi eiſdem perſonaliter intimatum foret, expreſſè volumus; & mandamus irritum, & inane quicquid ſecus attentare contigerit, præmiſſis omnibus conſtitutionibus, & ordinibus apoſtolicis, Cæteriſq; in contrarium facientibus, non obſtantibus quibuſcunq;. Placet, & ita mandamus .I.

CAROLVS QVINTVS Diuina fauẽte clemẽtia Romanorũ Imperator Auguſtus, ac Germaniæ, Hiſpaniarum, vtriuſq; Siciliæ, Hieruſalẽ, Hungariæ, Dalmatiæ, Croatiæ &c. Rex. Archidux Auſtriæ. Dux Burgundiæ &c. Comes Habſpurgi, Flandriæ, Tyrolis &c. Notum facimus tenore præſentium quòd cum expoſitum nobis fuerit Hippolytum Saluianum Typhernatem Medicum Romanum, longo tẽpore, multiſque vigilijs conſcripſiſſe Hiſtoriã aquatiliũ animalium; quã vnà cum eorundem aquatilium animantium figuris ad viuam effigiem depictis, & magnis impenſis ære exactiſſimè inciſis, breui imprimere conſtituerit; Vereri autem illum ne huiuſmodi opus, poſtquam ab eo euulgatum fuerit, ab alijs temerè excudatur, aut deprauetur; & ipſe iuſto præmio laboris, & induſtriæ ſuæ fraudetur. Itaq; nobis humiliter ſuplicatum eſt, vt ipſum aduerſus eam iniuriã præuilegio, ac Edicto noſtro munire dignaremur. Nos qui plurimùm illis fauemus, qui ſua opera, & induſtria publica ſtudia iuuare contendunt; admiſſis huiuſmodi præcibus, tenore præſentium authoritate noſtra Imperiali, & ex certa ſcientia decernimus, ſtatuimus, & ordinamus; ne quis Chalcographus, Bibliopola, Mercator, Inſtitor, aut quicunque alius cuiuſcunque ſtatus aut conditionis fuerit, noſter & Imperij ſacri ſubditus, quacunque Imperij & ditionis noſtræ fines patent; memoratam Hiſtoriam aquatilium animalium ab hoc Hippolyto Saluiano cõgeſtam intra Decennium à prima operis æditione continuè numerandum, ſine ipſius authoris expreſſa voluntate, & beneplacito imprimere, aut imprimi facere, ſeu aliunde impreſſam, intra fines Imperij & ditionis noſtræ adportare, vendere, ſeu diſtrahere, aut vendi, ſeu diſtrahi facere, aut venum exponere publicè vel occultè neq; audeat, neq; præſummat, ſub pœna Sex marcharũ Auri puri Fiſco noſtro, & ipſi Hippolyto Saluiano, eius ve hæredibus ex æquo irre

miſſibiliter partienda; vltra librorũ ſic ad æmulationem impreſſorũ amiſſionẽ, quos ipſe Hippolytus, ſiue hæredes vbicũque locorũ nactos, per ſe aut ſuos, adiumẽto Magiſtratus loci, vel citra id, ſibi vendicandi plenũ ius, & poteſtatẽ habeant. Harũ teſtimonio literarum Sigili noſtri appẽſione munitarum. Datum ad Oenipontem Die xxvij Menſis Decembris, Anno Domini 1551. Imperij noſtri xxxij. & Regnorum noſtrorum xxxvi. CAROLVS.

HENRY par la grace de Dieu Roy de France a noz amez & feaux les gens de noz Courz de Parlement de Paris Rouan Tholouze Bordeaulx & DiIon, a tous noz Balliz Seneſchaulx Preuoſt Iuges & autres noz Iuſticiers & officiers ou a leurs lieutenans & a chacuns deux endroict ſoy Salutz & dilectiõ. Noſtre cher & biẽ ame M. Ypolite Saluian de Tipherne Medecin de noſtre treſcher & feal grãt amy & couſin le Cardinal de Farnaize nous a faict dire & remonſtrer que auec grãt peine & labeur il a compoſe vng liure ou il traicte de lhiſtoire des Poiſſons & animaulx acatiques, & faict tailler les portraictz ymages & figures diceulx animaulx non ſans grans fraictz miſes & impẽces lequel; liure il faict imprimer hors noſtre Royaume & le mettre en lumiere & en faire apporter des liures pardeca. Mais il doubte que les Imprimeurs & Libraryres de noſtre Royaume ſur exemple ou double dudict liure le facẽt imprimer, En quoy faiſant il demoureroit fruſtres deſdictz fraictz & inpences & du prouffitz & vtilitez quil porroit raporter de la vendition deſdictz liures Imprimez hors noſtre dict Royaume & qui ſeront rapportez pardeca. Nous ſuppliãt & requerãt a ceſte cauze ſur ce luy poureoit & impartir noſtre grace. Pource eſt il que nous ce dict eſt conſidere inclinant liberalement a la ſupplicatiõ & requeſte que faictes nous a eſte de la part dudict Cardinal de farnaize en faueur dudict expoſant ſon medecin a ycelluy auons permys & ottroyez permettons & outroyõs voulõs & nous plaiſt de grace ſpeciale par ces preſentes, que les liures traictãs la dicte hiſtoire des poiſons & animalx aquatiques, quil auraict imprime hors noſtre Royaume il puiſſe & luy ſoit licite fere apporter par deca en ceſtuy noſtre Royaume en tel nõbre & quãtite que luy ſem blera & yceulx vẽdre & faire vẽdre par qui bõ luy ſẽblera en noſtre dict Royaume pays feores & ſegneuries de noſtre obeyſſance en deffendãt treſexpreſſemẽt a tous Imprimeurs Libraires dicelluy noſtre Royaume que durant le temps & terme de dix ans enſuyuans & corſecutifz a commẽcer au iour & date, que ledict liure ſera acheue dimprimer il nayent a imprimer ne faire imprimer ne vẽdre ledict liure ou autre ſur ycelluy cõtrefact ſi neſt des gre & conſentemẽt dudict expoſant; & ce ſoubz peine de confiſcation des liures qui ſe trouerõt auoir eſtez imprimez en noſtredict Royaume, & y venduz ſans ledictz grez permiſſions & conge dudict expoſant; & damande arbitraie Si vous mãdons commetons & expreſſemẽt encoignons a chaſcũgs deux reſpectiuemẽt endroict ſoy ſi comune a luy appartiẽdra que de noz pris grace cõge & permiſſions & vouloir durant le tẽps deſſuſdict vous faictes ſouffriez & laiſſez ledict expoſant iouyr & vſer plainemẽt & paiſiblemẽt ſans en ce luy faire mettre ou donner ne ſouffeir eſtre faictz mis ou donne auchuns troubles deſtourbier ou empeſchemẽt au contraire leſquelles ſi faictz mis ou donnez luy eſtoint mettes incontinãt & ſans delay a plaine & entiere deliurãce & au premier eſtat & deri en faiſant faire les inhibitiõs & deffences deſſuſdictes auſdictz Libraires, & Imprimeurs de noſtredict Royaulme ſoubs les peines & ainſi que deſſus eſt dict; Car tel eſt noſtre plaiſir non obſtãt quelcõques lettres a ce contraire. Donne a Paris le xxij iours de nouenbre Lan de grace 1554. & de noſtre Regne le huictieme.

Par le Roy. le Seig. de Loſpital M. des requetes de lhoſtel preſent.

De Lomenie.

COSMVS Medices Florentiæ Dux II. Exponi nobis fecit Hippolytus Saluianus Thyphernas quòd cum ipſe multis vigilijs ac longo tẽpore aquatilium animaliũ hiſtoriam conſcripſerit, eorundemq; formas in æs incidi curauerit; velitq; nunc eam hiſtoriam cum ſuis formis ære eſcuſis imprimi; ueretur ne librariorũ aliorũ qui lucrum alienum ſibi vndique aucupare ſolent, aſtutia & cupiditate denuo imprimatur, aut ab alijs impreſſa vẽdatur; ac proinde petit indemnitati ſuæ (quantũ ad noſtram Ducalem Ditionem, attinet) de oportuno remedio prouideri. Nos igitur qui doctis atque eruditis viris pro virili noſtra ſemp fauimus, eius petitioni & precibus annuẽtes omnibus omnino impreſſoribus librarijs & librorum vẽditoribus cæteriſq; noſtræ Ducalis Ditionis hominibus diſtrictius interdicimus; ne quis eorum hiſtoriam illam abſque ipſius Hippolyti voluntate proximo decennio imprimere aut ab alijs impreſſam venundare vel venalẽ exponere audeat. Quicunque verò interdicto huic noſtro cõtrafecerit, & impreſſorum & venui expoſitorũ librorum amiſſione & cofiſcatione, nec non decẽ aureorum in ſingula volumina ſe pœna mulctandũ ſciat; Quæ Ducali quidem ſiſco noſtro, & eidẽ Hippolyto ac etiam delatori æqualiter applicabitur. Quorũ in fidem Diploma hoc fieri iuſſimus noſtra manu ſolitiq; plumbei ſigili appenſione munitum. Datum Florentiæ in Ducali Palatio noſtro Die x Iulij. 1552.

COS. MED. Florentiæ Dux.

ANDREAS MASIVS IN PISCES SALVIANI.

Σαλβϊανῷ ἄκατον, κώπας, δόνακας, λίνα, γρῖπον
Ἄνθισ', ἁλιπλανίης παυσόμενος μογερῆς.
Ὅσσα γὰρ ἐν βλοσυρῇ φέρβονται φῦλα θαλάσσῃ,
Πάντ' ἐπ' ἀκινήτου γῆς πόρε κεῖνος ἔχειν
Ταῦτα φύσιν τε, βίον τε, καὶ ἤθεα. οὐ γὰρ ὁρᾷς, ὡς
Σπαίρουσιν, διερὰς σφόδρα ποθεῦντα νομάς;
Ἢν δ' ὕδωρ χεύσῃς, κρυερὸν μὲν ἐκεῖν' ἐπὶ πόντον
Σπεύσουσιν, σὺ δὲ σὸν νήπιε εἰς ἄκατον.

IACOBI LAELII CINCII PATRITII ROMANI.

Romanum externas cæpiſſe horreſcimus vrbes,
Et colla imperii tot ſtatuiſſe iugo;
Quodq́ue armis domitum victor percurrerit orbem,
Qua ſurgit Titan, qua caput abdit aquis;
En maiora tibi, latebras intrare profundi
Auſus, vir Latii cœrula regna tenet;
Non victi captiua vides muta agmina Nerei;
Et quota gens pulchro ſaucia Marte cadat?
Parturit vnda freti quot monſtra natantia ad ortum
Solis ab occaſu, tangere Roma manu eſt.
At totum id debes (victoria nanque duorum eſt)
CERVINI auſpiciis, Hippolyti ingenio.

EIVSDEM.

Hoc, modo quod libri cernis ſub imagine, non eſt,
Ne te decipiant exteriora, liber;
Arte ſed eſt mira, ſummo & confecta labore
Piſcina, immenſi piſcibus aucta maris,
Innumeriſq́ue aliis, quos vitrea flumina paſcunt,
Cumq́ue paludoſis ſtagna quieta vadis.
Mirentur quamuis Murænam ſecula priſca,
Dignius Hippolytum tempora noſtra canant.
Qui licet illi opibus, congeſto cedat & auro;
Ingenio, & doctæ Palladis arte ſupra eſt.

IO. BAPT. BINARDI MVTINENSIS.

In longa Hippolytus victuris ſecula chartis
Dum celebrat piſces, quos alit Oceanus,
Quoſq́ue lacus nitidi, piſcoſa & flumina, dúmque
Sedula ſpiranteis exprimit ære manus.
Miratur Proteus, mirantur Naiades artem;
Magnaq́ue cum læto murmure cœpta probant
Et ſimul exponunt alacres genus omne natantum
Quæ mandet claris ille voluminibus.
Hinc gemina piſces anima, vitaq́ue fruuntur.
Quam mare, quam Hippolyti nobile præſtat opus.

POMPILII DE CVPPIS PHILOSOPHI, AC MEDICI CARMEN.

Et medici doctique viri debere fatentur,
  Hippolyto tantùm quantus in arte labos.
Pisciculos, piscésque graues spectare coactus;
  Quo posset cunctis schemata pulchra dare.
Aequora quæsiuit, fontes, fluuiosque, lacúsque,
  Neptunique sacras frigida tecta domos.
Ad quas perueniens veneratus vertice Diuos
  Hasce verecundo prodidit ore preces,
Alma parens, seniorque pater Neptune Thetísq;
  Cœruleis ponti quos tegit vnda Deis
Agmina vestra canam vestro subscribite vati,
  Ferte mihi faciles ad pia dona vias,
Squamosũ genus omne ferã lubricúmq; reponã,
  Et quod pro corio lurida testa tegit,
Piscandi tempus, lites, morésque, cibósque,
  Quid medicum, vel quid dulcia iura iuuent,
Qui modus est coitus, qui mas, quæ fæmina quæque
  Turba natet nullo seminis orta patre,
Tritonis iussu Neptuni concha receptum,
  Tunc cunctis cecinit piscibus ore maris,
Vt pelago sonuit notum caua Buccina bombum
  Misenum cuius tela dedere neci,
Per mare concurrunt omnes ad littora pisces,
  Ah mirum est pontus quot fera monstra tegit.
Hic tua cum magno pinxit Neptune labore
  Agmina, mox pisces qui coluere lacus,
Delphin erat primus, qui gessit Ariona tergo
  Dum maris arguto carmine mulcet aquas,
Mox Canis atq; Lupus, Scarus, cũ Denticę Thynnus
  Cætera cum nullo numine turba ruunt.
Lucrinos latices, mox te Benace petiuit,
  Deseruit natos nec Trasimene tuos,
Quique Dionei portastis pondera nati.
  Parcite vos pisces, nam Iouis aula tenet,
Redde igitur grates authori plura laturo,
  Hoc libet egregium si tibi lector opus.

IO. VERSOSAE HISPANI.

Quod nomen libro? oceanus; dic vnde? quòd in se
  Contineat, quicquid continet oceanus;
Quis pater? Hippolytus, qui contra Protea, tali
  Thetidæ Hippolyti vindicat arte necem.

EIVSDEM.

Artibus Idotheæ Hippolytus pecora omnia Proteo
  Abstulit, inque suum contulit oceanum.

NINI VITERBIEN. EPS. POTENTIAE.


NSANO degunt quicumqꝫ ſub æquore piſces,
Quosqꝫ tenet torpens, quosqꝫ agit vnda fluens;
Hoc ſpectare potes adnare & ludere libro,
Vim Naturæ adfert Dædala vis hominum.

BASILII ZANCHII.

Dum Coi monimenta ſenis, dum ſcripta Galeni
Excutis; & media clarus in vrbe doces;
Aſſurgunt tibi Phillyrides, doctusqꝫ Machaon,
Quosqꝫ canit cultis Græcia carminibus:
Et te credibile eſt Phœbo didiciſſe magiſtro;
Quin etiam Phœbo te genitore ſatum.
Dum varias pelagi pecudes, Neptunnia monſtra
Pandis; & appoſito quæqꝫ colore refers;
Aſſurgunt tibi Nereides, magnusqꝫ Palæmon,
Quæqꝫ ſedent lætis numina littoribus:
Et te credibile eſt Proteo didiciſſe magiſtro;
Quin etiam Proteo te genitore ſatum.
Sic te Roma colit: ſic Phœbus ſpectat ab alto:
Sic Proteus ſummis proſpicit æquoribus.

GABRIELIS PHAERNI.

Quam noua collegit numeroſos pagina piſces
Quos mare, quos fluuii, quoſqꝫ tulere lacus.
Expreſſa variæ redduntur imagine formæ:
Fictaqꝫ natiuo monſtra colore natant.
Tenuibus in chartis ſquamoſa examina ludunt:
Viuus apellea palpitat arte liber.
Accedit ſolers ſcriptura, & dædala fandi
Copia, quæ doctis pingit imaginibus
Ingenia, & mores, & membra, ſitumqꝫ, modumqꝫ
Corporum, & exectis intima uiſceribus.
Picturam ſpectes, non ſane ſcripta requiras:
Scripta legas, pictis nil opus eſſe putes.

FRANCISCI FRANCHINI COSENTINI.

Vt ſua Neptunus celebrari armenta, ſuasqꝫ
Lætus opes, & ſe ſenſit ab Hippolyto:
Nereides dixit turpes de littore Phocas
Pellite, & hæc magno dicta referte uiro:
Quôd mea regna colat deſerta Cærula terra,
Me pecori Hippolytum præpoſuiſſe meo.

IOANNIS BAPTISTAE POSSEVINI.

NVNC age diuini Macedo monimenta magistri,
Quàm libet, impensa nobile iactet opus:
Non tamen iis opibus fretæ uis uiuida mentis
Non uicta est tenuis sedulitate uiri.
Testis erit pater Oceanus, facilesq; Napeæ,
Nereidumq; omnis, Naiadumq; chorus.
Egregium fuerat latio decus, alter ab illo,
Sed nihil æquari fas sibi Roma putat.

ANTONII FRANCISCI RAINERII MEDIOLANEN.

Squamigerum genus omne, agilesq; per æquora pisces
Mira vnus capit hic, quis putet? arte, liber.
Magnum opus. Hîc leuibus fluitantia corpora pinnis
Sternuntur pictis viuida imaginibus.
Stat pecus æquoreum; nec mollis ab ordine Delphin
Exilit; aut docta subsilit in tabula,
Lubrica dum facili spectanda dat ilia ferro,
Hippolyti, æternis picta voluminibus.
Interitum cupit ipse suum: modo cortice pulchro
Victuram Delphin ponat in hoc, animam.

FILIPPI GERII.

Vndigenæ si forte aliquis cognoscere gentis
Et studia, & patriam, vultusq;, & nomina quærit,
Is legat Hippolyti libros, & protinus omnes
Se fluuios putet, & campos lustrasse marinos.

EIVSDEM.

Quid magno nunc Hippolyto pro munere tali
Dic age quid dignum maxima Roma dabis?
Ille tibi uiden vt subigit genus omne natantum,
Captiuumq; libro donat in exiguo
At tu quas contra grates? quæ præmia reddes?
Nil puto, nil dignum, soluere Roma potes.

DIONYSII ATHANASII CALLIENSIS.

Postq̄ Orbem edomuit Macedum Regnator Heoum;
Fregit & inuicta Persica sceptra manu;
Fertur inaccessum voluisse irrumpere Pontum,
Humidaq; imperiis subdere regna suis:
Sed vetuere Dei, præclarisq; obstitit ausis
Non expectata mors properata manu.

Scilicet Hippolyti ingenio, secloq; recenti
Seruabant tantum fata benigna decus.
Cæruleos hic enim ingenio penetrare recessus,
Et maris arcanos ausus adire sinus;
Vt sileam abstrusis terræ manantia venis
Plurima, quæ tetigit, flumina, stagna, lacus;
Oceani est populatus agros, armentaq; Protei,
Eximium ausoniis munus itura uiris.
Nê ve putet quisq̃, me somnia vana loquentem
Splendida mentitis addere verba iocis;
Vndicolas spectare licet longo ordine gentes,
Et quæ mille dedit vulnera docta manus.
O decus Italiæ, vir Rege ingentior illo:
Tu præstas, ille est quod meditatus, opus.
Duc age, duc meritum Capitolia ad alta triumphum,
Qualem viderunt secula nulla prius:
Aeternæq; vrbi æternum hoc suspende trophæum,
Quæ tua det fastis nomina perpetuis.

PETRI FRANCISCI ZINI.

Pictura si tum creditur
Ab omnibus pulcherrima,
Orationi lucidæ
Cum cernitur simillima,
Quid cogitare pulchrius
His piscium formis potes?
Vides eorum singula
Expressa membra, argutulas
Collusiones, squammulas,
Et, quod negauit piscibus
Natura viuis, hos propê
Spirare pictos ac loqui.
Oratio dulcissima
Si illius esse dicitur,
Qui sic per aures mentibus
Instillat audientium
Quæ dicit, vt se illi vaga &
Pura in tabella cernere
Existiment depicta, quæ
Dicuntur, ecquid dulcius,
Amabo te, Hippolyti audies
Oratione? qua suos
Describit ipse atq; explicat
Pisces ita aptê, commodê &
Doctê, illius iure vt queat
Oratio, clarissima
Pictura dici, sed loquens.

Fuſcina, rete, leues calami, regnator aquarum
Ponuntur templis debita vota tuis.
Flumina, ſtagna, lacus, totum luſtrauimus æquor
Nereidum virides, Naiadumq; domos.
Mox templo egreſſum me tellus audiet omnis
Dicentem populos, regnaq; mollis aquæ.

EIVSDEM.

Hæc tibi Phœbe pater Neptuni immania monſtra
Fluuiorum, & Pelagi ſquamigerum omne genus
Hippolytus vaſti populato marmore ponti
Riparumq; toris clara trophœa dicat.
Da pater hæc ſeris monimenta nepotibus olim
Ante aras extent conſpicienda diu.

EIVSDEM.

Littore diſcerptum Hippolytum, laniataq; membra
Vt nigra vndarum monſtra dedere neci.
Virbius ætherias rurſum reuocatus ad auras
It fœlix Triuiæ per nemora alta comes.
Piſcium vt Hippolytus nudauit viſcera ferro
Et ſecuit docta ſquammea membra manu.
Cerulea Ponti pecudes genus omne natantum
Incipiunt vita nobiliore frui.

EIVSDEM.

Vltorem Hippolyti meritas te poſcere pœnas
Credebam, & ferro cædere monſtra maris.
At tu, quæ tantum liquidis animalia campis
Viuebant, terris viuere deinde iubes.

EIVSDEM.

Quos vſquàm gelidi fontes, Fluuiiq;, Lacusq;
Limoſoq; tulit gurgite pigra palus
Quos faciles pelagi Nymphæ, Dorisq; per vndas
Oceani æquoreis cerula paſcit agris
Expreſſos varia deſcribit imagine Piſces
Hippolyti multa ſedulus arte liber
Huc ades, & Nereii cognoſce armenta, gregesq;
Vda licet ſiccos per uada ferre pedes.

IOANNIS ANTONII MVSSI SICVLI NOVOCASTRENSIS.

Cedat Apollinea quicunque excellit in arte,
Siue sit hic recens, siue sit ille vetus.
En qui scripserunt libros de piscibus omnes
Ingenio Hippolytus vincit, & arte præit;
Scripserunt multi, at non expressere figuris,
Mens equidem sensu percipit ista magis,
Parcat Aristoteles magnus, doctique Latini,
Nempè magis scripta pagina picta docet,
Hic variè scripsit, propria expresitque figura,
Vt nihil exacta possit ab arte peti,
Scripta docent verè, depictaque monstrat imago,
Et patet vndiuagus piscis vt edit aqua,
Tu qui scripta leges, & quæ sunt picta videbis,
Cum natura ipsa dic, graue certat opus.

EIVSDEM.

Quot natura parit pisceis, quotque expetit vsus
Tot bene si penses, colligit iste liber,
Proteus haud totidem ualuit mutare figuras,
Vt mirè Hippolytus pingit & arte docet,
Quicquid id est dignum visu, & mirabile dictu,
Hic liber est æquor, flumina, stagna, lacus.
Quòd si fortè hodie vixisset Apitius, esset
Vnde suam posset exaturare gulam.
Sed vereor ne dum piscandi copia abesset,
Cogeret, vt letho se daret ante diem.

PETRI FRANCISCI ZINI.

Hippolyti quicunque libros euoluerit, & non
Omnes, quos illic verbis proprióque colore
Egregiè expressos pisces ex arte locauit,
Respirare, loqui, colludere viderit, illum
Surdum, luminibus captum, penitúsque carentem
Sensibus & nostra & ventura fatebitur ætas.

EIVSDEM.

Doctus fluctiuagos in hisce libris
Pisces Hippolytus locutione
Pura, perspicua, vaga, diserta
Sic descripsit, & explicauit, eius
Vt qui scripta legit, videre, se illos
Expressos nitidissima in tabella
Dicat, non legere. Atque rursus idem
Pisces tam bene pinxit & peritè,
Hos vt perspiciens, tibi intueri
Non pictos videare, sed loquentes
Exaudire, nec vlla scripta prorsus
Quæras ullius amplius, sed illum
Surdum & captũ oculis putes, sonos qui
Se in his percipere, atque motiones
Neget cernere. Plura adhuc requiris?
Sic de piscibus ille disputauit,
Naturam ut videatur edocentem
Audiuisse. Deinde penicillo
Illorum proprio colore quenque
Ita expressit, vt arbitrere veram
Formam exemplaque piscium parentem
Hinc ipsam didicisse singulorum.

EIVSDEM.

Cur piſcium propè omnium
Natura, vis, & nomina
Nota hactenus nulli? Quia
Vel neſcierunt eloqui
Antehac; vel illorum ſonos
Qui noſceret, nemo fuit.
Cur omnibus hæc omnia
Comperta nunc planiſſimè?
Quia arte præſtitit ſua
Diuinus Hippolytus, vt &
Ipſi loquantur tam bene, vt
Vel ſurdi eos intelligant.
Miranda narras. Audies,
Magis quod admirabere,
Si, quomodo id perfecerit,
Dicam. Obſecro dic, ſingulos
Deſcripſit, ac pinxit ſuis
Doctiſſimis coloribus.
Sic ille piſces, vt putes
Fari, moueri, viuere, &
Errore dulci præferas
Hos arte partos, piſcibus
Natura quos ipſa edidit
Natóſque præ his exiſtimes
Pictos, inertes, mortuos.
O tempus aureum, vir ò
Præſtantis ingeni, noua
Nunc arte qui facis tua,
Muti vt loquantur, mortuíque
Vt ſpiritum ducant, & hinc
Natura, vis, & nomina
Sint clara viuorum. Tuas
Laudes, & hæc & poſterum
Aetas canet. Quòd ſi inuidus
Quiſquam, & malus conabitur
Te dente ſeuo rodere,
Is ſtultus, ac mutus magis
Quàm piſcis olim, ab omnibus
Irrideatur. Is videns
Summis in aſtra laudibus
Vbique tolli ab omnibus
Doctis viris & candidis
Te ſemper ac piſces tuos
Liuore rumpatur miſer.

SANCTISSIMO PATRI PAVLO IIII PONT. OPT. ET MAX. HIPPOLYTVS SALVIANVS MEDICINAE PROFESSOR,



IHI nihil optatius aut iocundius accidere poterat P. BEATISSIME, quàm vt meas de Aquatilibus animalibus elucubrationes ederem te PONTIFICE. Cuius admirabilem naturam, exquisitam doctrinam, & summam vitæ ac morum probitatem ita omnes suspiciebamus; vt multis annis antea, pontificiæ dignitatis gradum tibi vni præcipuè deberi, sentiremus. Itaq; quòd ad humanas cogitationes pertinet, Pontifex iampridem fuisti. Cum omnia illa, quæ in Optimo Maximoque Pontifice esse debent, non adumbrata, sed expressa verbis & re ostendisti. Cum verò diuina prouidentia factum sit, vt quem omnes tantæ dignitatis fastigio dignum iudicabamus, eum tanquã splendidissimam quandam facem in sublimi cãdelabro positam, vniuersæ Christianæ Reipublicæ lumen præferentem cerneremus; summo gaudio perfusi Deo ipsi gratias multas egimus, & in dies maiores agimus; quòd nõ omnino populi sui oblitus est; sed ita nobiscum se gessit, vt illi & nos dicere possemus; Cum iratus fueris, misericordiæ recordaberis. Te enim Pastorem nobis dedit, in quo veterum illorum sanctorum Pontificum imaginem rediuiuam agnoscimus; & magis certè agnosceremus, si corrupta horum temporum conditio medicinam seueriorem pati posset. Hoc igitur tali tantoque Pontifice cum vniuersus orbis Christianus lætetur, huius publicæ lætitiæ partem non minimam ad me pertinere arbitratus sum; qui multos iam annos Romæ vixi, & medicinæ artis facultate, qualiscunque illa in me est, & publicè & priuatè multos iuui; qui ex quo die in hac vrbe versari cœpi, nominis tui obseruantissimus semper fui, & mihi occasionem aliquam dari cupiebam, qua obseruantiam meam ostenderem. Quod igitur animus parturiebat, iam parit; optabam enim tibi, cum adhuc esses Cardinalis, obseruantiæ in te meæ significationem aliquam dare; Et ecce Summo Pontifici Dei optimi Maximique locum in terris obtinenti, has vigilias meas offero. In quibus cum multos annos laborauerim, multumque operæ consumpserim; non solùm piscium ferè omnium græca, latina, & vulgaria indicaui nomina, corporis figuram descripsi, naturam & mores patefeci, qua arte tum hi capi, tum condiri debeant, narraui; & quale comedentibus nutrimentum præbeant, quibusue medeantur morbis edocui; Sed etiam quò res esset illustrior, atque perfectior; minorique labore legentes ad absolutam piscium cogni

rionē perduceret; eorū omniū, qui ad manus meas peruenerūt, piscium imagines appingēdas æreq; excudendas curaui. In quibus excudēdis quāta vsus fuerim diligētia, facilè omnes iudicare poterūt; quāto autē sumptu id præstiterim, ego ipse sentio. Cum itaq; vt reliqua omnia creata, Aquatilia etiam animantia diuinam solertiam ita testētur, vt possimus & in his illud dicere, quàm admirabilia sunt opera tua Domine, omnia in sapientia fecisti. Et propterea hæc quoque ad summi Dei sapientiam & laudem referātur; cui nam meliùs aut iustiùs libros de harum rerum tractatione scriptos dicare possumus aut debemus, quàm ei, qui Deum in terris nobis refert? per quem humano generi aditus ad Deum paratur? Quòd si Oppianus qui græcis versibus piscium naturam conscripsit, Antonino Imperatori libros suos dicauit, à quo pro singulis versibus singulos nummos aureos retulisse dicitur; ita vt eius versus χρυσᾶ ἔπη à veteribus dicti sint; quid ego facere debeo, qui non mortali alicui Imperatori, sed summi Dei Vicario librum meum dico; quem tanti nominis Maiestate ita munitū iri spero, & mihi persuadeo; vt nihil præterea sit requirendum. Accipe igitur PONTIFEX OPT. ET MAX. has meas lucubrationes, & ea benignitate qua cæteros soles, me quoq; ad pedes Sanctitatis tuæ confugientem amplexeris.



HIPPOLYTVS SALVIANVS TIPHERNAS
MEDICVS AC CIVIS ROMANVS
CANDIDO LECTORI .S.



TSI SVSPICOR fore, vt meus hic labor, in multorum voces,& reprehensiones incurrat, hominum partim dicentium, nos inutilem operam,inanemq́ laborem suscepisse, qui aquatilium animalium historiam scribere aggressi simus,rem quam,siue quis sciat,siue nesciat, nihil propterea vtilitatis, aut damni accepturus sit. Partim affirmantium,& si hæc cognitio admodum vtilis est,tamen eam â multis ante nos tum Latinis,tum Græcis accurate tractatam, vt nõ oportuerit eandem quasi fabulam canere, &(vt dicitur)acta agere. Nunquam tamen tanti erit eiusmodi suspicio,vt me pœniteat illorum consilium sequutum fuisse, qui mihi, & â principio scribere aggresso, quasi calcar,vt pergerem, admouerunt,& nunc quæ scripsissem,vt ederem,admonuerunt atq; hortati sunt.Nam quod ad priorem obiectionem attinet,facile me præstantissimorum virorum exemplo defendam,qui hanc ipsam historiam suis voluminibus complexi sunt,nec se in re leui,aut contemnenda laborasse existimarunt, cum multas & præclaras vtilitates,si quis diligentius animaduertat,afferat, nam & pars philosophiæ censetur,cuius ne minima quidem particula iure despici potest, & nostra medica facultas,sine hac doctrina,manca, & mutila videatur,cũ non rarius ex his medicamenta conficiat(ne in esculentis solum versari existimetur)quam ex aliis animalibus. Adde quod cum omnium penê scriptorum monumenta,siue illa carmine, siue soluta oratione,scripta sint,non raro aliquid de piscibus attingant, dici non potest, quantam lucem hæc doctrina, ad multorum locorum intelligentiam præbeat,vt iam non vtilis tantum,sed etiam necessaria existimetur. Sed non est consilium huc oĩa huius cognitionis cõmoda,& opportunitates conferre,quanta .n. futura sint, quisq; hasce historias nostras legendo,quotidie per se discere,atque sentire poterit. Quod vero ad alteram obiectionem pertinet,non si multi ante nos,in hoc studio laborauerunt,multumq́ operæ consumpserunt,propterea locus aliquis nobis,industriæ exercendæ,non relictus est,præsertim cum vel aliud propositum nobis fuerit,alioq; modo,diuersaq; ratione, atq; illi,in his versati simus. Nam Aristoteles quidem hæc ita tractauit,vt vniuersæ animantium naturæ potius,q̃ singulorum animalium rationem habuisse videatur, quorum tantum meminit,quantum satis esset, vt vniuersalia ipsa exemplis explicaret. Nos vero quod in vniuerso,& in parte est,non sparsim,atque concise,sed certo quodam suoq; loco tractamus,vt liceat cuiq; facile,ac breui,totam piscis cuiusq; naturam cognoscere. Etenim primum exposuimus,quo singuli pisces nomine,tum græce,tum latine,tum etiam vulgari gentium lingua(quantum consequi potuimus) appellentur, dein totius corporis figuram descripsimus, deniq; naturam,moresq; illorum persecuti sumus, ad hæc quaq; arte & capi,& condiri debeant, qualis singulorum succus sit,quale nutrimentum,quibusq; morbis medeantur copiose docuimus,vt ad vniuersam historiam(iudicio meo)planê nihil deesse videatur. Et ꝑterea cũ nonnulli, quæ in aliis legerant,ita illa, in sua transtulerint,vt nihil laborauerint,vera ne essent,an falsa,hominum auctoritatem sequuti potius,quãm historiæ veritatem,vt Aristotelis Plinius,Plinii Solinus, Oppiani Aelianus,Athenæi Eustathius,qui cõtenti historiam se se ab illis accepisse,de veritate parum soliciti fuerunt. nobis propositum fuit nihil affirmare, nisi quod ita se habere re ipsa didicimus, ac perspeximus,vnde sæpe coacti fuimus aliorum scripta reprehendere,non sanê con-

tradicendi studio (vt videmur) sed veritatis gratia, quæ nobis amicior Platone, & Socrate, esse debet, quin etiam tantum â contumelia absumus, vt si qua ratione defendi possunt, quantum in nobis est, id præstemus, eorumq; obscuriora loca clariora reddere conemur. Denique vt beneficium cumulatius esset piscium quotquot descripsimus, curauimus etiam vt formæ appingerentur, quanta porro diligentia oēs videre poterunt, quanto sumptu, nos ipsi sentimus, sanê cum typis possemus ligneis parua impensa vti, vt concinniores, elegantioresq; formæ redderentur, æreis vti voluimus, alienæ vtilitati potius, quâm nostræ arcæ consulentes. Quod si quis adhuc in his aliquid desiderat, necesse omnino est, vt exiguum illud esse fateatur, cogitetq; nihil ab artifice tam perfecte, tam ad amussim effingi posse, vt omni ex parte prorsus respondeat. Satis enim fecisse æquo lectori speramus, si id nostra diligentia assecuti simus, vt quicunq; formam aliquam intuitus fuerit, sine vllo monitore statim intelligat, cuius illa piscis, aquatilis ue animantis sit, modo piscem ipsum antea cognitum habeat. Quam ob rem si in tradenda hac historia, quæ ab aliis accepimus, ea vel clariora, vel ordinatiora reddidimus, si complura vel adiecimus, vel emendauimus, si via longe faciliore, ac planiore disposuimus, si formas ad viuum depictas cudendas curauimus, si harum rerum cognitio, hominum generi tot vtilitates, & opportunitates, quot ostendimus, affert, nec nos iudicandi sumus acta agere, nec ea cognitio inanis leuisq; videri debet. Neque etiam nobis vitio vertendum est, quod non omnium aquatilium animantium historias, formasq;, nostra hæc contineat editio, quando id longe maius est, quâm vt vno contineri libro possit, quam ob rem reliquorū aquatiliū (de quibus hic nō pertractatur) historias, formasq;, in librū merito reiecimus secūdum, qui iam diu sub prælo est. Quod si quis tamen illorum etiam interim notitiā aliquam desideret, ex nostris piscatoriis tabulis, vnâ cum hoc primo libro editis, eam facilê expiscari poterit. Et demum vt scriptorum, quibus in hoc opere lucubrando adiuti fuimus, honori, nec non legentium labori, quantum in nobis erat, vnâ consuleremus, vbi vbi aliorū sententias adducimus, eas, non solum, vt â nostris facile internoscantur, his duabus notis ⸢ ⸥ includimus, sed etiam auctorem, librum, caput, aut folium & lineam indicamus. Quod quidem (ne series locutionis, maximo legentium incōmodo, sæpissime interturbetur) minoribus literarum charateribus præstitimus. Cum semper enim super hanc primam includentem notam ⸢ vna aliqua minor posita litera sit, illa eadem rursus in margine quoque ponitur, quam illius sententiæ, auctoris nomen, libri inscriptio, ac capitis, aut folii, & lineæ numerus sequitur. Accipe igitur hilari fronte primum hunc nostrum librum candide lector, oīaq; æqui boniq; consulens (vti ingenuum virum decet) eo fruere, donec alterum reliquorum aquatilium animantium, quod breui fiet, foras dabimus. Vale. Romæ Calendis Septembris. M. D. LIIII.

HIPPOLYTI SALVIANI TIPHERNATIS, IN SVAS TABVLAS PISCATORIAS, AQVATILIVM ANIMANTIVM PROPE OMNIVM, NATVRAM, CVM AVCTORIBVS IPSIS, MIRO COMPENDIO, GRAPHICE EXPRIMENTES.

PRAEFATIO.





POSTEA q̃ constitui, Animantium aquatilium historiam conscribere, Non ignorans quâm graue onus, difficilemq; prouinciam suscepissem: Ne rei magnitudine, difficultateq; retardarer; quo minus tam præclarum opus, tamq; vtile conficerem. Existimaui plurimum mihi adiumenti allatum iri, Si auctores tum veteres, tum recentiores, qui eo in genere laborarunt, literarumq; memoriæ aliquid cõmendarunt, rursus accuratius euoluerem, Et quæ ab illis, ea de re, scripta fuissent, diligentius colligerem, inq; literarum seriem, atq; ordinem digererem, Et dispersa, confusaq;, unum quasi sub aspectum ferrem. Quod cum non sine labore tandem absoluissem, Intellexi me operæpretium fecisse, opinione maius, atq; vberius. Nam præterq̃ quôd infinita, ad id, quod mihi proposui, rerum omnium copia suppeditata esset, Illud etiam accessit, Vt cum omnia, quæ ab illis sparsim scripta fuerant, vno quasi intuitu conspicerem, facilior mihi aditus, ad quosdam locos obscuriores intelligendos, patefactus sit, Vtq; nullo ferê negotio, quid ab illis consentaneũ sibi, ac inter se, quidue dissentaneum, quid ueri simile, quid absurdum scriptum fuerit, compræhendi posset: Quare cũ semper ita putauerim, nihil esse libero homine dignius, quâm de optimis literarum studiis bene mereri, Req; ipsa intellexissem, quanto hæ meæ tabulæ, harum rerum studiosis, usui futuræ essent, Facilè a me ipso impetraui, vt vnâ cum primo, huius nostræ historiæ libro ædenrentur. Quo dum alter, qui cæterorum aquatiliũ animalium historiam continebit, foras datur, habeat tantisper lector, ex quo gustum aliquem reliquorum capere possit. Siquidem in illis breuiter, strictimq; omnium historia continetur. Et quidem eo ordine, facilitateq; depicta, vt quisq; per se, sine vllo labore inuenire, cognoscereq; valeat, quid de quoq;, vllo vnq̃ tempore, seu latinê, seu græcê scriptum fuerit. Ita vt qui fidem habere voluerit, ei sanê, solæ hæ tabulæ, omnium scriptorum instar, futuræ sint, Quum non solum ea omnia contineant, quæ in hoc genere, ad hæc tempora peruenerunt, sed librum quoq;, vnde illa accepta sint, nec librum solum, sed caput etiam, vel folium, & lineam, ostendant. Iis verô, qui non prorsus earum auctoritati stare, sed auctores ipsos inspicere potius voluerint, plurimum tamen vtilitatis etiam afferent, cum quasi porrecto digito, quæ dixi omnia, indicent. Sed vt in ipsis conficiendis nullum subterfugi laborem, nec vt omni diligentia excuderentur, sumptui peperci, Ita nunc mihi graue non fuerit, paucis ipsarum vsum exponere. Sciendum igitur ambas facies, quæ aperto libro oculis subiiciuntur, continuata serie, quasi vnicam, accipiendas, legendasq; esse. Quarum denæ columnæ sua quæq; inscriptione distinguntur. Prima enim latina aquatilium animantium nomina, quæ quidem apud auctorem aliquem adhuc reperi, secundum literarum seriem, ita continet, vt si vni cuipiam animanti plura sint, vbicunq; quod inter ea, vsitatissimum est, pro primi sui elementi ratione, locum obtinet, ibi rursus reliqua omnia subnexa, & ad suum quodq; auctorem relata habeantur. In proxima vero, pari ratione obseruata, græca nomina continentur. Et in tertia, cuiusq; gentis Vulgaria, In quibus sanê adscribendis, parcior fortasse æquo fuisse, plerisq; videbor. Verum ego nihil, nisi quod exploratissimum haberem, in toto hoc opere, ponendum mihi putaui, Tum etiam tanta, ac tam incerta est illorum, non solum pro quaq; natione, ac lingua, verum etiam apud vnam eandemq; gentem, pro diuersis portubus, ac vrbibus, & ferè dixerim vicis, varietas, vt non incommode, quod quisq; congruentius, elegantiusue existimauerit, adscribendi locum reliquisse, videri possim. Quarta columna complexi sumus ea omnia, quæ a quoq̃ auctore, singulis tributa offendimus, Et quidem eo ordine, vt primo nominum, deinde corporis, mox naturæ, ingeniiq;, ab hoc capiendi, deniq; coquendi, condiendiq; rationem, postremo vero quale nutrimentum, ac quam uim medicam humanis corporibus præstent, ostenderimus. Quinta vero Aristotelis auctoritati dicata est, quem latine, vt â Gaza versus est, expressis vbiq; & libris, & capitulis, citamus, adscriptis etiam binis punctis, si bis vno capite, rei eiusdem meminerit. Sexta Oppiani est, qui similiter vt â Lippio latinus factus, atq; ab Aldo excusus est, commostrato libro, folio, & versu, â nobis adducitur. Septimam Plinius occupat, libris, capitulisq; indicatis. Octauam possidet Athenæus, cuius librum, paginas, ac lineas, Germanico Valderi exemplari usi, ostendimus. Nona Aeliano concessa est, in quo citando, quia nec græcê, nec latinê, quod quidem sciamus, euulgatus habetur, historiam illius â P. Gilio compilatam, intelligimus. In postremam deniq; reliquos auctores, qui non ex professo, hanc materiam tractarunt, redegimus. Et quia in illis quoq; citandis, quo omnem operam lectori faciliorem redderemus, Vbi in capitula libri non sunt diuisi, ipsa folia, & nonnunq̃ etiam lineas annotauimus, Monendum hoc quoq; est: Nos latinis Herodoto, â Sebast. Gryphio, Anno 1542. Strabone ab Henricho Petri, anno 1549. Galeno ab Hæredibus Iuntæ Anno 1539. excusis vsos esse. Ouidium vero quando simpliciter dicimus, Fragmentum eius auctoris, quod de piscibus extat, â Gryphio Anno 1537. euulgatum, intelligere, Quando autem Petrum Gilium, eum libellum putare, quem ille de Gallicis, & Latinis nominibus, pisciũ Massilẽsium cõscripsit, Massarii vero cõmentarios, quos in nonum Plinii ædidit, eos, qui ex officina Frobeniana Anno 1537. prodierunt. Tuum igitur erit optime lector, hac nostra qualicunq; opella candide frui, ac nos tuo applausu, ad reliqua prosequenda alacriores reddere. Vale.

NOMINA.

LATINA.	GRAECA.	VVLGARIA.	ATTRIBVTA.	ARISTOTELE
ABLENNIS.	Ἀβλεννής.		Acus eſt Diphilo. Vide Acus.	
Abramis.	Ἄβραμις.		Piſcis. Marinus.	
			Nili.	
			Denſo agmine incedit.	
Acanthias.	Ἀκανθίας.	Peſce Palōbo. Romæ.	A ſpina, quam habet ſic uocatur.	Hiſt. lib. 6. cap. 10.
Acantha. Lippio.			Muſtelini generis eſt.	Hiſt. lib. 6. cap. 10.
& Spinax. The.			Cor quinq; angulorum habet.	
			Ad præcordia, ſuper mãmas, oua habet	Hiſt. lib. 6. cap. 10.
			Prolem, ſpinæ impedimento, nõ recipit.	Hiſt. lib. 6. cap. 10.
			In Euripo non gignitur.	Hiſt. lib. 9. cap. 37.
			Vide etiam Muſtelus.	
Acarne.	Ἀκάρναξ. Hesyc.		Labrax cui ſit. Vide etiam Labrax.	
	Ἀκαρνὰν. Athe.		Dulcis, & aſtringens.	
			Nutriẽs, ad excernẽdũ eſt Facilis.	
			Difficilis	
			Marinus piſcis.	
			Vide etiam Acharnus. Idem forſan.	
Accipenſer.	Ἀκκιπένσερ.		A Romanis uocatur.	
	γαλεὸς ῥόδιακος.		Creditur Eſſe ab Archeſtrato.	
			Non eſſe ab Athenæo.	
	Ἔλλοψ.		Quibus Sit.	Theodoro, Ariſtotelẽ ue
			Non ſit. Vide Ellops etiam	
			Paruus, longi rictus, figuræ triangul.	
			Squamas ad os uerſas, unus oĩum habet	
			Branchiæ quaternæ, et ſimplices ſunt.	Hiſt. lib. 2. cap. 13.
			Fel inteſtinis commiſſum eſt.	Hiſt. lib. 2. cap. 15.
			Contra aquam nando meat.	
			Rarus inuentu.	
			Pamphylio profundo, nec alio, paſcitur	
			Piſcium nobiliſſimus habitus.	
			A coronatis cum tibicine introfertur.	
Accipiter. P. Gilio.	Ἱέραξ.		Eſt alijs Miluus. Vide Miluus.	
Acharnus.	Ἄχαρνος. Athe.		Aeneenſis piſcis eſt.	
	Ἀχάρνα. Hesy.		Vide ẽt Acarne, et Archanas. Idẽ for	
Aculeatus.	βελόνη.		Dicatur à quibus. (ſan.	Hiſt. lib. 6. cap. 17.
Acus.	Ἀβλεννής.		Eſt Diphilo.	
& Belone.	ῥαφὶς.		A quibus appelletur.	
		Aguglia. Romæ.	Longi rictus eſt; & dentibus caret.	
		Anguſigula. Venetijs	Ex longorum piſcium eſt cenſu.	Hiſt. lib. 2. cap. 15.
			In iecore fel continet.	Hiſt. lib. 2. cap. 15.
			Spinã habet Viridis coloris.	
			Halcyoniũ nidis idoneã	Hiſt. lib. 9. cap. 14.
			Serò fœtificat.	Hiſt. lib. 6. cap. 17.
			Parit Aeſtate.	Hiſt. lib. 5. cap. 11.
			Dehiſcente utero.	Hiſt. lib. 6. ca. 13. et 17.
			Piſcatio	(3.c
			Difficilis concoctu.	
			Eſt Arida ſine pinguedine, et ſucco	
			Humida, & boni ſucci.	
Admois.	Ἄδμωις.		Piſcandi ratio.	
Adonis.	Ἄδωνις.		Exocœtus etiã dicitur, Vide Exocœtus	
Aeolia.	Αἰολίας.		Coracinus cui ſit. Vide Coracinus.	
Aeolus.	Αἴολος.		Scarus eſt Nicandro. Vide Scarus.	
Aerica. Theodoro.	χαλκὶς.		Chalcis alijs. Vide Chalcis.	Hiſt. lib. 8. cap. 20.
Aetneus.	Αἰτναῖος.		Caſtum coniugium ſeruat.	
Agriophagrus.	Ἀγριοφάγρος.		Locus. Vide etiam Phagrus.	
Alburnus.		Albo.	Puerilium hamorum præda.	
Allabeta, uel Allabes	Ἀλλάβης.		Niliacus piſcis.	
Alopecias.	Ἀλώπηξ.	Volpe marinà.	Vulpes eſt. Vide Vulpes.	
Aloſa.	Θρίσσα.	Laccia. Romæ.	Alijs Clupea. Vide Clupea.	

PPIANVS.	PLINIVS.	ATHENAEVS.	AELIANVS.	VARII AVCTORES.
—	—	Lib.8.fol.177.27.		
.1.fol.110.49.				
—	—	Lib.7.fol.155.50.		
.1.fol.110.49.				
.1.fol.113.3.—	—	Lib.7.fol.147.30.		
—	—	Lib.7.fol.147.34.		
—	—	—	—	Hesychius.
—	—	Li.7.fo.163.25.l.8.f.177.		
—	—	Lib.8.fol.177.38.		
—	—	Lib.7.fol.163.25.		
—	Lib.32.cap.11.			
—	—	Lib.7.fol.147.39.		
—	—	Lib.7.fol.147.37.		
—	—	Lib.7.fol.147.39.		
—	Lib.9.cap.17.—	Lib.7.fo.147.41.Appioni.		
—	Lib.32.cap.11.—	—	—	Oui.fol.36.18.& 37.28.
—	—	Lib.7.fol.147.40.		
—	Lib.9.cap.17.—	—	—	Macr.3.Sat.cap.16.
—	Lib.9.cap.17.			(Macr.3.Sat.cap.16.
—	Lib.9.cap.17.—	—	Lib.11.cap.21.—	Cice.de fato. Oui.fol.36.18.et 37.28.
—	Lib.9.cap.54.Rhodi.	Lib.7.fol.147.37.Rhodi.	Lib.11.cap.21.—	Colu.l.8.c.16.M.Var.l.2.ca.6.Rhod.
—	Lib.9.cap.17.—	Lib.7.fol.147.40.—	—	Oui.f.37.28.Ci.de fato.Mar.13.21
—	—	Lib.7.fol.147.38.—	Lib.11.21.—	Plau.in Bacch.Macr.3.Satu.ca.16.
—	—	—	Lib.12.cap.52.	
—	—	Lib.7.fol.143.44.		
—	Lib.9.ca.51.l.32.c.11	L.7.fo.159.31.l.8.f.177.		
—	—	Lib.8.fol.177.27. (27.		
—	—	L.7.fo.159.30.l.8.f.177.		
—	—	L.7.fo.159.30.et.32.(27.	—	Maſſ.fol.351.
.1.fol.109.35.				
3.f.141.38.				
—	—	—	—	Alb.M.lib.24.Amger dictus ab eo.
—	Lib.10.cap.32.			
—	Lib.9.cap.51.—	—	Lib.11.cap.23.—	Maſſ.fol.351
3.fo.141.38.fo.				
— (142.6.	—	Lib.8.fol.177.27.—	—	Maſſ.fol.351.
—	—	Lib.7.fol.163.47.		
—	—	Lib.8.fol.177.27.—	—	Maſſ.fol.351.
.3.fol.138.30.				
.1.fol.109.20.	Lib.9.cap.19.—	—	Lib.11.cap.24.	
—	—	Lib.7.fol.154.17.		
—	—	Lib.7.fol.159.50.		
.1.fol.115.13.	—	—	Lib.11.cap.25.	
.1.fol.109.5.				
—	—	—	—	Auſ.Gal.in Moſel.
—	Lib.5.cap.9.—	Lib.7.fol.155.49.—	—	Strab.lib.17.fol.539.
—	Lib.32.cap.11.			
—	—	—	—	Maſſ.fol.46.

N O M I N A.

LATINA.	GRAECA.	VVLGARIA.	ATTRIBVTA.	ARISTOTELE
Alphistes.	Ἀλφηστὶς.		Est Apollodoro, Numenio, Epicharmo.	
Alphisticus.	Ἀλφηστικὸς.		Est Aristoteli, Diocli.	Non legi in Aristotele.
			Color In uniuersum cereus.	
			Partibus aliqbus, purpureus.	
			Flauus.	
			Vnius spinæ est, ex Aristotele.	Non legi in Aristotele.
			Saxatilis est Diocli.	
			Bini capiuntur.	
Amia.	Ἀμία.	Lechia. Romæ.	Dicta, quod non singulæ, sed gregatim na(tent.	
& Trocta. Aeli.	τρόκτα.		Ab Aeliano uocatur.	
			Descriptio figuræ, & coloris.	
			Dentes habet ualidos.	Hist. lib. 9. cap. 37.
			Branchias habet contectas, ex Arist.	Non legi in Aristotele.
			Fel habet æqualis magnitudinis cũ inte(stino.	Hist. lib. 2. cap. 15.
			Lienẽ hẽt eiusdẽ magnitudinis.	
			In Põto diebus singulis auctio cognosci(tur.	Hist. lib. 6. cap. 17.
			Carniuora est.	Hist. lib. 8. cap. 2.
			Apta piscibus esca, paratur ex ea.	Hist. lib. 4. cap. 8.
			Gregalis est.	
			Pugnat Cum Delphinis.	
			Cum beluis.	Hist. lib. 9. cap. 37.
			Qua audacia.	
			Qua prudentia.	Hist. lib. 9. cap. 37.
			Hamo capta, lineam erodẽs, liberatur	
			Degit Propè fluuiorum ostia.	Hist. lib. 8. cap. 13.
			Fluuios etiam subit.	
			Carnis Præteneræ, & boni succi.	
			Duræ.	
			Ex Byzantio optima.	
			Quomodo condiri debeat.	
Anguilla.	Ἔγχελυς.	Anguilla. Italis.	Dicta Latinè, quod anguib' assimiletur	
		Ael. Germanis.	Græcè, quod luto infundatur.	
			Ἔγχελις etiam per ι. dicitur.	
			Longa, & lubrica.	Hist. lib. 1. cap. 5. li. 2. c
			Brãchias habet quaternas; et simpli(ces.	Hist. lib. 2. cap. 13.
			Exiguas.	Hist. lib. 8. cap. 2.
			Pinnas binas tantum habet.	Hist. l. 1. c. 5. l. 2. c. 13.
			Tergoris est crassioris.	(li. 4. cap
			Gulam habet, sed exiguam.	Hist. lib. 2. cap. 17.
			Ventris exigui est.	Hist. lib. 8. cap. 2.
			Fel in iecore continet.	Hist. lib. 2. cap. 15.
			Pinguedine non abundat.	Hist. lib. 3. c. 17. lib. 8. c
			Sexu nõ differt, neq; n. mas, neq; fœmi(na ẽ.	Hist. l. 4. c. 11. l. 6. c. 14
			Gignitur Nõ coitu, sed spõte	Hist. lib. 4. c. 11. lib. 6. c.
			Ex lentore ab ea distillãte.	(Gen. l. 3. ca
			Vescitur Limo, eduliis, & humore.	Hist. lib. 8. cap. 2.
			Noctibus.	
			Crescit in Gange ad tricenos pedes.	
			Locus In clara solum aqua uiuit.	Hist. lib. 8. cap. 2.
			Palustris, fluuiatilis, et mari(na	
			Ex fluuiis ĩ mare descẽdit	Hist. lib. 6. cap. 14.
			separatim ab aliis piscibus ui(uit.	
			Se mutuum deuorant.	
			Mitescit adeo, ut in aures additas gerat	
			Viuit Sine aqua senis diebus.	Hist. lib. 8. c. 2. Par. l. 4. c
			Octonis annis.	Hist. lib. 8. cap. 2.
			Laudatur Marina, magisq; lacustris	
			Copaida, et Strymonia.	
			Quæ fœmi. falso creditur	Hist. lib. 8. cap. 30.
			Siculi freti, Rhegyum à Messana diuidẽtis.	

PPIANVS.	PLINIVS.	ATHENAEVS.	AELIANVS.	VARII AVCTORES.
—	—	Lib.7.fol.141.41.46.	—	Hesychius.
—	—	L.7.fo.141.45.fo.152.33		
—	—	Lib.7.fol.141.43.		
—	—	Lib.7.fol. 141.43.		
—	—	Lib.7.fol.141.45.		
—	—	Lib.7.fol.141.45.		
—	—	Lib.7.fol.152.33.		
—	—	Lib.7.fol.141.43.		
—	—	Li.7.fo.139.52.f.161.52.	—	Eustathius fol. 868.5.
—	—	—	Lib. 12.cap.53. —	P. Gili.cap.32.
—	—	—	Lib.11.cap.26. —	Mass. fol. 143.Ioui.cap.7.
3.fol.129. 34.	—	Lib.7.fol.139.45. —	Lib.12.cap.53.	
—	—	Lib.7.fol. 139.45. —	—	Ioui.cap.7.
—	—	Lib.7.fol.139.46.		
—	—	Lib.7.fol.139.46.		
—	Lib.9.cap.15.			
—	—	Lib.7.fol.139.46.		
—	—	Lib.7. fol.139.46.		
2.fol.129.31.	—	—	Lib.12.cap.53.	
3.fol. 129.35.				
3.fol. 129.37.	—	—	Lib.12.cap.53.	
3.fol.134.27.	—	Lib. 7.fol. 139.47. —	Lib.12.cap.53.	
1.fol. 108.38.				
—	—	—	—	Mass.fol.70.
—	—	Lib.7.fo.140.1.		
—	—	—	—	Gal. clas.2.fol.30.C.
—	—	Lib.7.fol.140. 9.		
—	—	L.7.fo.140.6.fo.147.11.		
—	—	—	—	Ioui.cap.33.ex Marco Varrone.
—	—	—	—	Eustathius.fol.1240.15.
—	—	—	—	Eustathius.fol.1240.21.
—	Lib.9.cap.20. —	—	—	Plautus in Pseu.
—	—	Lib.7.fol.155.53.		
—	Lib.9.cap.20.			
—	Lib.9. cap. 23.			
—	Lib.10. cap.68. —	—	—	Eustathius.1231. 31.
	—	—	—	Eustathius. 1231. 29.
1.fo.115.15. —	Lib.9.cap.51. —	Lib.7.fol.149.26. —	—	Eustathius. 1231. 31.
—	Lib.9.cap.21. —	Lib.7.fol.149. 27.		
—	Lib.9. cap.3. —	—	—	Solinus.cap.65.
—	Lib.9.cap.21. —	Lib.7.fol.149.23.		
1.fol. 108.46.	Lib.32.cap.11. —	Lib.8.fol.177.19. —	—	Gal. clas.2.fol.36.D.
1.fol. 108.46.				
—	—	—	Lib.11.cap.27.	
—	—	—	—	Eustathius. 1231. 37
—	Lib.32.cap.2. —	—	Lib.12.cap.24.	
1.fol. 113.20.	Lib.9.cap.21.			
—	Lib. 9.ca.21. —	—	—	Eustathius.1231.36.
—	—	Lib.8.fol.177.19.		
—	—	L.7.fo.148. 52.f.149.38	—	Eusta.1240.25.Paus.l.9.fo.368.Cle. (Alex.Peda.li.2.ca.1.ex Mæandro.
—	—	Lib.7.fol. 149.36. —	—	Macro.Satur.3.c.15.Eusta.1240. 28.

NOMINA.				
LATINA.	GRAECA.	VVLGARIA.	ATTRIBVTA.	ARISTOTELE
			Sacra habetur ab Aegyptijs.	
			Sacrificatur dijs, à Bœotijs.	
			Sapidissima est.	
			Succi – Omnibus piscibus, melioris.	
			Nunquam boni.	
			Plurimi.	
			Piscandi ratio.	Hist.lib.4.cap.8.li.8.ca
			Mortua sola piscium non fluitat.	Hist.lib.8.cap.2.
Antacæus.	Ἀνταχαῖος. Athe.		Descriptio.	
	Ἀντακεός. Hesy.		Nullis ossibus, spinis ue interstitis.	
			Cetaceæ magnitudinis.	
			Reperitur – In magno Istro.	
			In Borysthene.	
			Vescitur hyeme, sua pinguedine.	
			Carne est prædulci.	
			Salsamentis idoneus.	
			Capitur in glacie destitutus.	
Antherina.	Ἀνθερίνη.	Latterino. Romæ.	Alijs Atherina. Vide Atherina.	Hist.lib.6.cap.17.
Anthias.	Ἀνθίας.		Ἱερὸς ἰχθῦς. i. sacer piscis, cur dicatur.	Hist.lib.9.cap.37.
& Sacer. Theodoro.	Καλλίχθυς.		Quibus – Sit. Vide Callichthys.	
			Non sit.	
	Καλλιώνυμος.		Quibus – Sit. Vide Callionymus.	
			Non sit.	
	Ἔλλοψ.		Quibus – Sit. Vide Ellops.	
			Non sit.	
	Λύκος.		Quibusdam est, ex Hicesio.	
	Αὐλωπίας. et Hi. lib. 6. cap. 17. Græcè		Phagro, Chromi, Acarne, Orpho, Synodonti, Synagridi, genere similis est.	
			Spinas in dorso serratas habet.	
			Parit æstate.	Hist.lib.6.cap.17.
			Dorsi spinis, lina secans, hamũ intercipit	
			Optimus piscium omnium, hyeme.	
			Vbi frequens, & qua ratione capiatur.	
			Succi plurimi, & boni est.	
			Dulcis, et astringẽs, et ad excernẽdũ difficilis.	
			Species quatruplex, Flaua, Niuea, Fusca, & Euopos, atq; Aulopos dicta.	Hist.lib.6.cap.17.
			Vide etiam Aulopos, & Santhias.	
Est autem Muræna [i] *piscis longus*, [k] *teres*, [l] *serpentis formam referens*, [m] *lubricusque*. [n] *Nõ squamis*, [o] *sed molli obductus cute*, [p] *tenuissimaque*, *secus quàm Anguilla*, *cui crassior est*. Nec vnicolor est [q] *sed uaria*, subnigra inquam, [r] *Auratis distincta notis*. Præter has ordine nullo per vniuersum corpus digestas notas, si Plinio credendum est, [s] *In Gallia Septentrionali Murænis omnibus in dextra maxilla septenæ maculę ad formam septentrionis*, *aureo colore fulgent duntaxat viuentibus*, *pariterq́ue cum anima extinguntur*. [t] *Quas Murænis indifferenter omnibus inesse* falsò asserit Iouius; quando neque hoc dicat Plinius, neque experientiæ respondeat. Non solùm enim in nostris non apparent, sed neque etiam in illis septentrionalis Galliæ huiusmodi conspicuas esse maculas, certum est. Capite præterea rotundo Muræna est, tenui ac acuminato. Os anseris instar, latissimo rictu disectum, dentibusque quamplurimis acutissimis [u] *atque serratis*, non in maxillis solùm, sed in ima quoque faucium parte dispositis munitum habet. [x] *Nullæ sunt ei pinnæ*, [y] *Brãchias quaternas habet*, *ac simplices*. Quapropter neque [z] Plinio, neque [a] Petro Gyllio *nullas ei branchias esse* asserentibus credendum est. Non solùm enim Aristotelis auctoritate, sed ipsa quoque experientia cognoscitur, quòd ei *βράγχια* insunt; etsi, vt notauit Aristoteles eodem capite, non veluti cæterorũ piscium *διηρθρωμένα* sunt; quod quidem branchiæ articulatæ vertendum erat, & non *branchiæ integræ*, vt vertit Theodorus. Cum non minus Murænarum (vt disectio ipsa monstrat) quàm cæterorum piscium integræ sint branchiæ. Sed verè minus, vel nullo prorsus pacto articulatæ, cuiusmodi piscium ferè reliquorum esse solent, conspiciantur. In vtroque enim eius latere vnum est exterius branchiarum orificium paruum, rotundum, ac cuti in se ipsam tanquam in orbem collecta ferè occlusum. In intima etiam sede non oblongis oris, vt alijs accidit piscibus, sed quaternis orbiculatis osculis quaternæ aperiuntur branchiæ. Vnde haud ab re [b] *Paruas branchias habere dicuntur*. [c] *Fel intestinis hæret & non iecori*, *à quo meatibus quibusdam tenuibus tantùm dependet*. Caro eius, maculosa detracta cute, candidissima apparet, & innumeris, exilibusq́ue spinulis vndique conspersa. Ad decẽ libras augetur, maiorẽ neq; vidimus, neq; ab aliquo visam audiuimus. Etsi Strabo scriptũ reliquerit [d] Circa Carteiam locis exterioribus minarum supra octoginta Murænas reperiri.

Iouij lapsus.

C

Plinij & Gyllij error.

Theodori erratum.

D

b Athe.lib.7.fol.155. 53.
c Arist.hist. lib 2.ca. 15.

d Lib.3.fol.137.

SEXVS DIFFERENTIA, ET COEVNDI RATIO.

[e] Murenę mutuo supinarum partium circumplexu, non secus quàm serpetes, & reliqua quę pedibus carent, *& longo sunt corpore, coeunt*. Quibus autē cū coeant, haud eadem est vniuscuiusq; sententia. [f] *Licinius enim Macer fœminini tantùm sexus esse eas, è serpentibusque concipere tradit*. Cui subscribit & Oppianus, eiusmodi concubitum versibus hisce describens, Laurentio Lippio interprete, quo ferè semper in hoc authore citando vtar [e Arist.hist.lib.5.ca.4.] [f Plin.lib.32.cap.2.]

[g] Quæ Muræna facit non fama obscura feruntur,
Serpenti nubit, prompteque ex æquore saltat
In littus, petit à cupido cupidos hymenæos.
Ardet amans serpens, & multo exæstuat igne,
Concitus in rabiem furibundus quærit amores,
Et curuum subitò saxum speculatur, & omne
E Lethiferum ponit virus, quod gestat in atris
Dentibus, & bilem saxo deponit amaram,
Vt tedas capiat tranquillo pectore mites;
Littore consistens horrendum sibilat ore,
Concubitusque petit, subitò Muræna profundo
Excita voce furens: ruit ocyor illa sagitta.
Ex terra serpens ponti descendit in æstum,
In venerem prompti gaudent complexibus ambo,
Serpentis caput ore tenens flat sponsa proterui.
Sic ambo tedis læti Muræna profundum
Desilit in pelagus, serpens per littora reptans
Omissum repetit virus, quod dentibus atris
Fuderat; at bilem nigram si forte viator
Iecerit in pontum, iactat per littora corpus,
Et non sperata clauduntur lumina morte.
Priuatus serpens armis, quibus ipse putabat
Se fortem, & tanto serpentis nomine dignum,
Et vitam, & tetrum perdit prope saxa venenum.
[g Lib.1.fol.115.60.]

Huius etiam fuere opinionis [h] D. Basilius, [i] D. Ambrosius, [k] atq; Sostratus; eò ab illis differentes, quòd serpentis loco (genericum enim nomen est serpens) Viperam expressere. Eiusdem præterea cum Vipera concubitum Aelianus quoque comprobat (etsi de loco ab eis discrepans videatur) inquiens. [l] *Cum libidinis impetu plena est Muræna in aridum progreditur, sponsi iniquissimi desyderio permota latibulum Viperę intrat, ibique ambo inter se colligantur, atque coitu implicantur, Vulgus hominum opinio ait, Viperam stimulis* F *libidinis concitatam ad mare accedere, & vt adolescens in amoribus dissolutus cum lyra fores pulsat amatę, sic Vipera sibilo edito amatam euocat; ea è mari exit, natura diuersorū locorū incolas in cupiditatem unam, & cubile idem cogente*. Quorum quidem omnium opinio à nobis non probatur; idque non solùm propterea quòd neque omnino vera credatur à Nicandro scribente, [m] *Fama est si modo uera, Murænam maris pascuo derelicto, in continenti cum uenenum iaculantibus Viperis coire*; ac vulgaris censeatur à Plinio dicente, [n] *In sicca litora lapsas, uulgus coitu serpentum impleri putat*; falsaque demum existimetur ab Andrea [o] *Quippe qui in libro de his quæ falsò creduntur, Murænam cum Vipera coire falsum esse asserat*; Sed ob id etiam, quòd cum in quamplurimis marinis litoribus frequentissimæ Murænæ degant; nec piscatorum, nec eorum qui circa huiusmodi litora assiduè versantur, aliquem inuenimus vnquam; qui semel, ne dum G sæpius (vti par esset) eas cum viperis concubentes viderit. Ne temerè tamen huiusmodi obortam esse opinionem arbitremur; Murænam aliquando cum Vipera concubuisse, perspectum alicubi esse crediderim; vti Andreas etiam in libro de venenatis innuere videtur inquiens [p] *Murænas mordentes, quæ ex Vipera natæ sunt, interficere; atque has minores esse teretesq; ac uarias*, Ob idque forsan Murænas cum Viperis solum coire, ab hominibus falsò receptum esse. Affirmant autem alij eas cum pisce concumbere, qui [q] ab Aristotele σμύρος, [r] ab Athenæo μύρος, à Plinio [s] Smyrus & [t] Myrus, [u] à Theodoro verò Murus vocatur; quemque Murænarum marem esse statuunt. Cuius quidē opinionis Aristoteles non author, vt [x] Plinius [y] ac Massarius opinantur, sed relator tantùm censeri debet; quemadmodum clarè eius indicant verba, Ait enim [z] *Sexus discrimine perinde ac in cæteris, uolunt ut alterum mas sit, alterum fœmina*: Verùm neque hæc quoque opinio verisimilis est; nam quo fieri posset, vt inter numerosas toto vere quamplurimis marinis litoribus captas Murænas, aliqui etiam non caperentur Myri; cum tamen neque nos multis iam annis id summopere contendentes, vllum prorsus viderimus vnquam, ab alijsue alicubi visum audiuerimus. Nec est, vt capi quidem dicatur, à Murænis tamen non internosci; quando eorundem authorum testimonio talibus ac tantis à Muræna notis Myrus differat, vt cognitu sit facillimus. Scribit nanq; Aristoteles [a] *Murus non idem quod Muræna est, quippe cum Muræna sit uaria atque infirma, Murus unicolor & robustus, colore Larici arbori similis, dentes etiam tam intus quàm foris possidet*. Quod Plinius quoque Aristolem sequutus asserit inquiens, [b] *Aristoteles Myrum uocat marem, qui generat. Discrimen esse quod*

Multorum opinio reicitur. Plinius & Massarius notantur.

[h Hex.hom.7.] [i Hex.5.cap.7.] [k Athe.li.7.fol.156.13.] [l Lib.12.cap.23.] [m In Theriaca. Athe.lib.7.fol.156.8.] [n Lib.9.cap.23.] [o Athe.lib.7.fol.156 11.] [p Athe.lib.7.fol.156 7.] [q Hist.lib 5.cap.x.] [r Lib.7.fol 156 15.] [s Lib.32.cap.11.] [t Lib.9.cap.23.] [u Hist.lib.5.cap.x.] [x Lib.9.cap.23.] [y In castig in Plin. fol.135.] [z Hist.lib.5.cap.x.] [a Hist.lib.5.cap.x.] [b Lib.9.ca.23.]

H

Murena varia & infirma sit, Myrus vnicolor & robustus, dentesque extra os habeat. Hoc idem Aristotelis etiam testimonio dicit & Athenæus; in quo tamen Aristotelis verba citante, nonnulla mendosè leguntur. In primis enim cum Aristoteles habeat σμύρος ὁμόχρους, id est, vt Plinius etiã legit ac vertit, Myrus vnicolor; mẽdosè habetur in Athenæo [c] μύρος λεόχρως, hoc est, Mirus leonini coloris. Præterea scribitur in Athenæo χρῶμα ὅμοιον ἔχει ἴυγγι, id est, colorẽ similẽ habet aui, quæ lynx vocatur; cũ scriptũ sit in Aristotele χρῶμα ὅμοιον ἔχει τῇ πίτυι, hoc est, colorẽ similẽ habet Larici arbori. Verùm hîc vtri insit mẽdũ, haud facilè iudicauerim; cũ neq; piscẽ, vt qui nobis incognitus sit; neq; Pliniũ, quippe qui omnia de Myro Aristotelis verba, præter hæc ipsa (quòd quò factum sit, haud conijcere queo) vertit; cõsulere liceat. Postremò cũ in Aristotele legatur καὶ ὀδόντας ἔχει καὶ ἔσωθεν καὶ ἔξωθεν, hoc est, & dentes tã intus quàm foris habet; quam etiam lectionem & Plinius sequutus est; corruptè admodũ in Athenæo legitur ὅλον τάτε ἔσωθεν καὶ ἔξωθεν. Deinceps Dorion testatur [d] *Myrum quòd ad carnem pertinet, spinis carere, totumque bonũ, & tenerũ supramodum esse; duoque genera reperiri alios nigros alios subrufos; nigricantesque præstantiores existere*. Quibus certè notis vel minimo etiam negotio à Muræna internosci Myrus posset. Quam ob rem credendũ potius arbitror Murænas non secus quàm alias ferè omnes piscium species, in mares & fœminas diuidi. Neq; si quis eas omnes ouis grauidas capi assereret, ob idq; fœminini solùm sexus esse pertinaciter contenderet; ad Viperæ aut Myri concubitum confugiendũ esset. Quando [e] Aristotele [f] Ouidio [g] Plinioq; authoribus *Licet Passeres, Erythini uel Rubelliones, Channæ uel Hiatulæ* (vt Theodorus vertit) *ouis grauidæ omnes capiantur*; non tamẽ propterea ex alterius speciei pisce concipere creduntur; sed ex se ipsis potius, vti de Channa testatur Ouidius inquiens [h] *Et ex se concipiens Channe gemino fraudata parente*. Quam sententiam Plinius etiam citat scribens, [i] *Ouidius tradit Channem ex se ipsa concipere*; quod Murænis etiam tribui, si fœminæ omnes verè sint, nihil est quod impediat.

[c] Lib. 7. fol. 156. 15.
[d] Athe. lib. 7. fol. 156. 6.
[e] Hist. lib. 4. cap. 11. lib. 6. cap 13.
[f] In frag. fol. 34. 1.
[g] Lib. 9. cap. 16.
[h] Infrag. fol 36. 30.
[i] Lib. 32. cap. 11.

Athenæi mendosus locus.

A

B

PARTVS.

[k] Cum ceteri pisces stato pariant tempore; [l] omnibus anni tẽporibus Murena parit; [m] parua *autem* (vt Aristotelis testimonio Athenæus ait) *oua gignit*; quãuis non parua; sed [n] *numerosa* citato loco dicat Aristoteles. [o] *Eadem* vt Aristoteles testatur, *ut squamosi pisces ouum* ψαθυρὸν, id est; *friabile* (vel interprete Theodoro *arenidum*) *non edit*. Quæ quidem oua, etsi Plinius [p] *citissimè crescere*, verè scribit; Aristotelis tamen mentem cuius verba interpretatur, haud intelligit. Nõ enim oua, sed recẽs ortas Murænulas [q] *ex paruo celeri adolescere incremento*, docet Aristoteles; vti non solùm clarè eius indicant verba, sed Athenæus etiam confirmat scribẽs, [r] *Aristoteles inquit in quinto de animalibus Murænam ipsam ex paruo celerem auctionem capere*. Neque hîc autem docendũ erat, Murænarũ oua citissimè augeri; cum alibi [s] *Piscium omnium oua celeriter crescere*, non edocuerit solùm, sed causam quoque reddiderit.

[k] Pli. lib. 9. cap. 23. Arist. hist. lib 5. cap. x.
[l] Pli. lib. 9. cap. 23.
[m] Ath. lib. 7 fol 156. 3.
[n] Lib. 7. fol. 156. 3.
[o] Hist. lib. 5. cap. x.
[p] Hist. lib. 3. cap. x.
[p] Lib. 9. cap. 23.
[q] Hist. lib. 5. cap. x.
[r] Lib. 7. fol. 156. 2.
[s] Gene lib. 3. cap. 4.

Athenæus notatur.

C

Plinius notatur

LOCVS.

[t] *Murænæ neque flumina subeunt, neque in stagnis gignuntur*; vt Galenus noster testatur. Nec obstat ab eodẽ alibi dici, [u] *Nonnulli præterea sunt piscium, qui duplici ex humore uiuũt, tũ marino tum dulci, ut Lupi, Capitones, Cancri, Goby, Murænæ, Anguillæ*. Nã cũ eo authore, [x] *Murænæ licet flumina non subeant, fluuiorũ tamẽ ostia petant*; inter pisces duplici ex humore viuentes iurè ab ipso connumerantur. Quippe qui in fluuiorum ostijs (vbi marina dulci se immiscet aquæ) degentes pisces, vt qui ab illis differant, qui in puro solùm mari viuunt, ex duplici humore viuere dixerit. Nec secus etiã sentit Dorion [y] *fluuiatilem reperiri Murænam asserens*; cum fluuiatilis Murænæ nomine non Murænam, sed Lampetram ipsam intelligat; vti sequente historia Lampetræ dicata manifestissimè demonstrabimus. Quam ob rem marinæ tantũ censendæ sunt Murænæ. Verùm [z] *cum marinorum piscium alij litorales dicantur, propterea quòd circa litora viuant; Alii pelagici, eò quod in alto mari degant; Alii verò ambigui, quoniam & in litore, & in alto pelago versari consueuerint*. [a] Inter pisces qui ambigunt Murenas recenset Aristoteles. Oppianus verò de earum sede sic cecinit.

[t] Clas 2. fol. 29. F.
[u] Clas. 2. fol. 36. D.
[x] Clas. 2. fol. 29. F.
[y] Athe. lib. 7. fol. 156. 6.
[z] Arist. hist. lib. 8. cap. 13
[a] Hist. lib. 8. cap. 13.

D

[b] Ast imos scopulos, fundo quos Ostrea multo
Cingit, queis thalami curui, queis lustra profunda
Opsophagi, Scombri, pugnax Murena frequentat

[c] In maritimis etiam piscinis inclusę viuunt. [d] Vnde C. Hirius qui ante alios Murenarum viuariũ priuatim excogitauit, cœnis triũphalibus Cęsaris dictatoris sex millia numero Murenarũ (Siue potius, vt Marcus Varro testatur, [e] *duo millia) mutuo appendit; nam permutare quidẽ pretio noluit* aliaúe merce. [f] Quanquam nonnullis (authore Columella) commiscere eas cum alterius notę piscibus non placeat; quia si rabie vexantur, quod huic generi, velut canino solet accidere; sęuissimè persequuntur squamosos, plurimosque mandendo consumunt. [g] Sola ex pretiosis piscibus Murena quamuis Tarsensis, Carpathiique pelagi, quod est vltimum, vernacula, quouis hospes freto peregrinum mare sustinet. [h] Aliquando exit & in terram; [i] Per hyemem vero latitat.
E

NATVRA ET MORES.

[k] *cum pinnis* (vt dictum est) *Careat Muræna, flexuoso corporis impulsu ita mari utitur, ut serpens terra.* [l] Carnibus solùm vescitur; [m] lactatuque pinguescit. [n] Ferox autem est & mordax; [o] noxiũque *aliquid habet*, dum mordet & non cum editur. [p] *Quæ enim ex uipera ortæ sunt, mordentes interficiunt*; si verum sit (vt diximus) quòd vllæ ex vipera oriantur. [q] *Inuenit in hoc animali documenta sæuitiæ* Vedius Pollio eques Romanus ex amicis Diui Augusti, viuariis earum immergens damnata mãcipia; non tanquam ad hoc feris terrarum non sufficientibus, sed quia in alio genere totum pa*riter hominem distrahi, spectari non poterat.* Mirum etiam est, & quod à Nicandro narratur, [r] *Quod* Murena scilicet sępius è viuario prodiens, laboriosos piscatores in salum fugientes mordens, è
F *nauibus in mare pronos deiecit.* [s] *Congro caudã abscindit*, vel vt scribit Plinius [t] *Alter alteri caudam prærodit.* Cũ Polypo & Locusta bella gerens illum superat, & exest; ab hac verò vincitur, & interficitur; queadmodũ perbellè eorum sæua bella poeticè cecinit [u] Oppianus. Quod quidem bellum non Murænæ, sed Congro [x] Aristoteles [y] ac Plinius tribuunt. Plinio tamen authore [z] *Polyporum generis est & Ozena, dicta à graui capitis odore, ob hoc maximè Murænis eam consectantibus.* [a] Rabies ei velut canino generi accidere solet. [b] Ferunt autem aceti gustu pręcipuè *eam in rabiẽ agi.* Et quanuis ferox & immanis suapte natura sit, alicubi tamen mirè mitescit aliquãdo; [c] *Apud Baulos enim in parte Baiana piscinam habuit Hortensius orator, in qua Murænam adeo dilexit* vt exanimatã flesse credatur. In eadem villa Antonia Drusi Murenę, quam diligebat, inaures addidit; cuius propter famam, nonnulli Baulos videre concupiuerunt. [d] Murena quoque Cras-
G si Romani omnium prędicatione celebrata, sic inauribus & gemmis distincto monili, tanquam sanè eximia formę pulchritudine puella ornabatur; & appellantis vocem Crassi cognoscebat, atque ad eum adnatabat; cumque quidpiam ei porrigebat, gaudio exiliens prompto & parato animo accipiebat; hanc ille mortuam fleuit vberius, atque honore sepulturę affecit. Astuta præterea est; [e] *Rete nanque circundata maculas appetit ipsas, conscia teritis, ac lubrici tergi; tum multipici flexu* laxat, donec euadat. [f] Vt verò hęsit in hamo, amplius deuorat quàm hamum, ad mouetque dentibus lineam, atque ita erodit. [g] Eandem hamo infixam inuertere se, quoniam *sit dorso cultellato, spinaque lineam præsecare*, mendosè legitur in plinio; cum Anthiæ id, & non Murænæ à Plinio tribui credendum sit; vti clarè ex [h] Ouidio, quem ad verbum eo loco sequitur, coniicere possumus. [i] *Diu extra aquam uiuit, propterea quod paruas branchias habeat.* [k] *Fuste non* interimitur, ferula protinus; animam in cauda habere certum est; eaque icta celerrimè exanimari, at capitis ictu difficulter.
H

Plinij locus corrigitur.

[b] Lib. i fol. 109. 2.
[c] M. varr. lib. 3. cap. 17. Colu. lib. 8. cap. 17. Pli. lib. 9. cap. 55.
[d] Pli. lib 9. cap. 55. Macr. sat. 3. cap. 15.
[e] Lib. 3 cap. 17.
[f] Lib. 8. cap 17.
[g] Colu. lib. 8. cap. 16
[h] Arist. hist. lib. 5. cap. x. Opp. lib. i. fol. 116. i. Pli. lib. 9. cap. 19. 20. 23. Aelia. lib. 12. cap. 23.
[i] Arist. hist. lib. 8. cap. 15. Pli. lib. 9. cap. 16.
[k] Arist. Par. lib. 4. cap. 13. Pli. lib. 9. cap. 20.
[l] Hist. lib. 8. cap. 2.
[m] Pli lib. 32. cap. 2.
[n] Opp. lib. 2. fol 124. 41. Oui. infrag. fol. 34. 5. & 21. Pli. lib. 32. cap. 5.
[o] d. Am. hex. 5 cap. 2.
[p] Ath. lib. 7. fol. 156. 8
[q] Pli. lib. 9. cap. 23.
[r] In Theriaca.
[s] Hist. lib. 9. cap. 2.
[t] Lib. 9. cap. 62.
[u] Lib. 2. fol. 124. 39.
[x] Hist. lib. 8. cap. 2.
[y] Lib. 9. cap. 62.
[z] plin. lib. 9. cap. 30.
[a] Colu lib. 8. cap. 16.
[b] Pli. lib. 9. cap. 23.
[c] Pli. lib. 9. cap. 55
[d] Marc. sat. 3. cap. 15. Aelia. lib. 12. cap. 24.
[e] Oui. fol. 34. 5. Pli. lib. 32. cap. 2.
[f] Oui. fol. 34. 21. Pli. lib. 32. cap. 2.
[g] Lib. 32. cap. 2.
[h] Fol. 34. 24.
[i] Athe lib. 7. fol. 155. 53.
[k] Pli. lib. 20. cap. 23. lib. 32. cap. 2.

QVANTAE SIT NOBILITATIS, ET QVAE EARVM NOBILIOR.

Pretiosum veteribus piscem Murænam extitisse, tum ex eò intellige potest; [l] *Quòd* Licinii Murenę cognominati sunt, propterea quòd hoc pisce effusissimè delectarentur; tum ex quamplurimis aliis antiquorum scriptorum testimonijs. Cicero nanque vt suam in cibis temperantiam Gallo significaret, scribit [m] *qui me Ostreis & Murænis facilè abstine-bam*; Plinius vero ait, [n] *Tripatinum inquit Fenestella, appellabatur summa cœnarum lautitia, una erat Murænarum, altera Luporum, tertia Myxonis piscis*; Columella, [o] *in pretiosorum piscium numero eam collocat.* Lampridiusque [p] *Heliogabalum Murænarum lactibus & Luporum in locis mediterraneis rusticos pauisse*, asserit.

[l] Macr. sat. 3. cap. 15.
[m] Epist. fam. lib 7. epist. 27.
[n] Lib. 35. cap. 12.
[o] Lib. 8. cap. 16.
[p] In vita Heliogab.

lex.5. cap. 2.
lib. 2. de. re. rust. cap. 6.
las.2. fol. 29. F.
lib. 8. cap. 17.
Satur.lib.3.cap.15.
Lib. 9. cap. 54.
Lib. 7. fol.156.19.
Pædag. lib.2.cap.i.

Ac Diuus Ambrosius [q] *pretiosiorem escam eam esse* censet. Non quælibet tamen, & cuiussuis loci tanti sunt faciendæ; vti nos M. Varro admonet inquiens, [r] *Non enim si Murænæ optimę flutę sunt in Sicilia, & Helops ad Rhodum; continuò hi pisces in omni mari similes nascuntur*. Quam ob rem Romæ quoque ab omnibus vilis ac plebeius piscis censetur. Nec est vt nostris solùm temporibus Romanam Murænam vulgarem esse, antiquioribus verò nobilem fuisse, arbitremur; cum Galenus [s] *Romæ omnium ferè marinorum piscium minimo emi*, dicat; Iubeatque Columella [t] *In piscinis flutas* (id est Siculas) *quæ maximè probantur, includi*. Cui Macrobius quoque consentit, inquiens [u] *Accersebantur autem Murænæ ad piscinas nostræ urbis ab vsque freto Siculo, quod Rhegyum à Messana despicit; illic enim optimę à prodigis esse creduntur, tam hercule quàm Anguillæ; & utræque ex illo loco græcè πλῶται uocantur, latinè Flutæ, quòd in summo supernatantes sole torrefactæ curuare se posse, & in aquam mergere desinant.* Quanta demum Siculæ Murænæ, quæ Fluta vocatur præstantia sit, [x] Plinius, [y] Athenæus, [z] ac Clemens Alexandrinus testantur. A

CAPIENDI, AC CONDIENDI RATIO

Arist. hist. lib. 5. cap. x.
Plin. lib.32. cap.2.
Macr. sat.3.cap.15.
Lib. 13. 80.
Macr.sat.3.cap 15.
Oppi. lib. 3. fol. 135. 9.
Amphi. act. 1.sce. 1. Pseud. act. 1. scena. 3.
Aulula.act.2.sce.6
Ioui. lib. de pisc. cap. 31.


[a] In terra in quam exeunt, sępe capiuntur Muręnę. [b] Licinus verò Macer concipere eas è serpentibus (vti diximus) *tradit, ob idque sibilo à piscatoribus tanquam à serpentibus euocari, & capi*. [c] *In Sicilia autem* quòd in summo supernatantes sole torrefactę curuare se posse, & in aquam mergere desinant, *faciles captu fiunt*. Vnde & Martialis cecinit [d] *Quæ natat in Siculo grandis Muræna profundo, Non ualet exustam mergere sole cutem*. Quod & M. Varro in libro qui Gallus inscribitur, comprobat; etsi in reddenda causa discrepet; Ait enim, [e] *In Sicilia manu capiuntur Murænæ flutæ, quòd hæ in summa aqua præ pinguitudine fluitent*. Capiuntur præterea retibus, nassis, & hamis; & maximè [f] *si pro esca Polypo utamur*. Captæ autem (quò carnes earum nullis impeditæ spinis gratiores fierent) antequam coquerentur, ab antiquis exossabantur; vt Plautus indicat dicēs [g] *Mirum ni hic me quasi Murænam exossare cogitat*; & alibi, [h] *Tu Macherio Congrum, Murænam exdorsua quantum potes*. [i] Binis verò bacillis vtraque manu comprehensis eam mediam astringēdo, detergendoque rectè *& festiuè exossabis*. Sicque exossatam, corio, ac interaneis detractis, capiteque ac extrema cauda (circa quam plurimæ ob exossationem cōgestæ sunt spinæ) abscissis atque proiectis, in plura frusta secato; in teganoque, vino optimo, oleo, sale, aromatibusq; ac bene olentibus herbis impositis ad mitiores prunas excoquito; vel in oleo frictã arancij mali succo condito. B C


VT NVTRIAT, ET QVIBVS MEDEATVR.

k Athe lib. 7. fol. 156. i.
l Gal. clas 2. fol. 29. F. fol.36. E.
m Gale. clas 2. fol. 36. D.
n Plin lib 32. cap.7.
o Pli. lib. 32. cap. 5.
p P. Aegi. lib. 5. cap. 21.

[k] *Alunt Murænæ non minus quàm Anguillæ, & Congri*. Carnem autem habent mediocrem inter duritiem & mollitudinem; vnde succum quoque gignūt neque crassum, neque tenuē, sed mediocrem & bonum; [l] *Nisi in uitiosis aquis degerint, cuiusmodi sunt fluuiorum ostia qui latrinas expurgãt* aut culinas, aut balneas, aut vestium ac linteorum sordes, aut si qua sunt alia in vrbibus, per quas medias fluunt, expurganda; & potissimũ si populosa vrbs fuerit; pessimę nanque in huiusmodi fluuiorum ostiis, qualis est Tyberis Romam pręterfluens, Muręnę gignuntur. [m] Innoxię verò sunt, quę in ea maris parte versantur, quę dulci se aquę non immiscet. [n] Lichenas & lepras tollit Muręnarum cinis, cum mellis obolis ternis. [o] Muręnarum autem morsus ipsarum capitis cinere sanantur; [p] Earundeque morsibus auxiliantur lactis ficulnei guttę quatuor, aut paulò plures, cum cicutę, serpilli tribus aut quatuor; & quę ad viperas commemorata sunt. D

P. 3





P. 4

N. { G. Γαλεξία
L. *Mustella*.
V. *Lampreda*

HISTORIA TERTIA.

DE LAMPETRA.

a Sipont.in.cornuc.



VM nostri quarti piscis (*Lampetra* [a] à lambendis petris nunc dicti) haud facilè vetus græcum latinumúe nomen proferri possit; & propterea de eius nomine variæ ortæ sint opiniones, priusquam antiqua eius nomina perpẽdamus, eiusdem descriptionem, ac historiam vniuersam pertractare statuimus. Sic enim deinceps antiquam nomenclaturam eius faciliùs peruestigabimus.

DESCRIPTIO.

Longa & lubrica est Lampetra, non squamis sed cute læui, & varia contecta; subalbida in ventre, in lateribus võ & dorso subluteis ac nigricantibus maculis conspersa. A
Os nõ intrãsuersum, sed in altitudinẽ scissum est. Hoc dentes plurimi lutei, acuti, hamati nonnulli, aliqui etiã gemini ordine ferè nullo distributi orbiculatim replent. In fronte fistulam habet angustam, qua hausta aqua transmitti conspicitur. Huic proxima nota parua orbicularis & cãdida apparet. Cæruleã oculorũ pupillã aureus circũambit circulus. Branchias vtrinq; habet septenas, quarũ in vtroq; latere paulopost oculos septena etiã exteriora orificia orbiculata semper patula & cõcinnè distributa
b Lib.de pisc.cap.34 cõspiciuntur. Quã ob rẽ arbitrari [b] *branchijs eam omnino carere*, vti Iouius asserit, erroneum Iouij error.
est. Pinnas quibus vtrinq; exortis natant pisces, nullas habet prorsus. In dorso tamen duæ sunt ei membranaceæ pinnæ, quarum vna maior est ac caudæ continua, altera minor & paulò superior. Vnicam spinã habet à capite ad caudam vsq; deductã, non B
osseã sed cartilagineã. Et iccirco in genere τῶν γαλεῶν (Mustelorũ vertit Theodorus)
c Clas.2.fol.30. meritò [c] à Galeno (qui eã Galexiã appellat) constituitur. Lõgus enim piscis est & car
d Hist.lib.1.ca.5. lib. 2.cap.13.lib.5.ca.5 tilagineus, in lateribusq; detectas branchias habet; quibus differẽtijs [d] τῶν γαλεῶν genus instituit Aristoteles. Nec refert, si mari bina illa circa excrementi ostium non pen
e Hist.lib.5.cap.5. deant, [e] *quæ* ab Aristotele *omnibus Mustelis maribus inesse* dicuntur; nam de ei cognitis Mustelis id intelligi debet, & non de Lampetra ipsi incognita; vt infra clarè monstrabi-
f In annot.Pli.fol. 103. mus. Nec ob id etiam quòd ouipera sit, à Mustelino excludenda genere est, vti [f] Mas
g Hist.lib.1.cap.5. lib.3.cap.1.lib.6. cap.11. sarius voluit; quia scribat Aristoteles. [g] *Mustelos ac cartilaginea omnia, cum intra se oua pepererint, animal in lucẽ edere.* Nam hoc quoq; non ea ratione eis competit, vt in eorũ aliquo aliter esse C
nõ possit. Vnde sicuti Aristoteles ex cartilagineis planis Ranam marinã non solũ exci
h Hist.lib.2.cap.13. Lib.6.cap.x. pit inquiẽs, [h] *Cartilaginea omnia animal edũt, Rana dẽpta, quæ oua foras parit*; sed causã ẽt reddit dicẽs,
i Gener.lib.3.cap.3. i Cartilaginea perfectum intra se ouũ pariunt, mox animal foras edunt, vno excepto, quã Ranã vocant; hęc enim vna foras ouũ perfectũ parit. Causa natura corporis est, caput enim longè grandius reliquo corpore habet, idq́ue aculeatũ, valdeq́ue asperum, quã ob rẽ animal non parit; *capitis enim magnitudo, & asperitas exitũ impedit*. Ita nos quoq; ex cartilagineis longis iurè Lampetrã excipimus; cum tenuiori corpore sit, quàm vt possit, intra se catulos formare.

DIFFERENTIAE.

Duplex est Lãpetra, vna qualis ex superiore descriptione intelligi, ac ex quarta pisciũ nostrorũ icone videri põt; altera cuius forma tertio nostri ordinis loco depicta est; quæ quidẽ colore, & magnitudine inter se distant. Cũ illa nãq; maculosa & bicubitalis sit; hæc subcineracea existens maculis caret & vix pedalis est. Nũ autẽ ætatis solũ D
rõne, an potius specie quoq; differant, difficile est declaratu. Nulla enim alia præter colorẽ & magnitudinẽ in ipsis apparẽte differentia, maculosisq; oĩbus cubitali magnitudine maioribus semper existentibus, neq; ulla parua (vti par esset, si hæ paruæ, magnæ maculosæq; non fieret) vnquã reperta; ætate & non specie distingui videtur. Sed cũ rursus illas & maculosas & bicubitales, has võ sine maculis & pedales semper repe- Ioannes Visbrocus.
riri videamus; specie differre apparẽt. Nam aliquæ, inter ipsas colore, & magnitudine mediæ inuenirentur; si hæ paruæ, maculosæ ac magnæ fierẽt. Cum præterea Ioannes Visbrocus Gandensis vir doctiss. piscẽ Lampetræ similem in Germania reperiri Remigius Apheronymus.
(Pryck à Germanis appellatũ) mihi indicasset; Remigius Apheronymus medicus celeberrimus, ac Leodien. Ecclesiæ Canonicus dignissimus eam ad viuum depictã, atque eius corium ex Leodio mihi misit. Ex quibus Pryck eiusdem generis speciem quandam tertiam, siue prædictarum mediam constituendam esse cognoui.

Cartilaginea nãqʒ ſpina, branchiarum numero figura & ordine, capitis fiſtula, ore, pinnis, ac totius corporis forma maiori & minori Lampetræ ſimilis eſt; Sed cum in cubitalem tantũ magnitudinẽ excreſcat, tranſuerſalibusq; ac nigricantibus lineis ſolũ inſignitus ſit, ab vtriſque differt. Maior nanqʒ bicubitalis eſt, ac maculis ſubluteis cõſperſa; Minor võ pedalis & maculis carens. Reperitur autẽ Pryck in quamplurimis Germaniæ fluminibus, ac frequẽtiſſimè in Rheno; eſtq; tantæ ſuauitatis, vt in delitijs apud Germanos iurè habeatur. Cadaueribus tamen delectari dicitur.

L O C V S.

Lampetræ tũ in mari (etſi non in quauis eius parte, cũ Galenus [a] *Eas in græco mari nuſquã naſci* teſtetur) tũ in fluminibus reperiuntur. Minores nanqʒ frequentiores, maiores ve-
a Clas.2.fol.30.B.
E rò rariores ineunte vere flumina mari proxima ſubeunt; in illiſq; toto verno tempore commoratæ in mare deinceps æſtate incipiente reuertuntur. Et iccirco in fluminibus vere tantũ capiuntur; quo ſolo etiam tempore in mari quoqʒ capi conſueuerunt; quòd reliquis anni temporibus vel in abditis lateant locis, vel longè à litoribus in altũ ſecedant pelagus. Quæ verò in fluminibus ac lacubus mediterraneis reperiuntur, cũ difficile videatur, eas longè adeo à mari commigraſſe; ibidem forſan naſci credendæ ſunt. Cuius opinionis Plinius quoqʒ eſſe videtur; eas enim Muſtelas (vt infra patebit) appellans inquit, [b] *mirum dictu, inter alpes lacus quoque Rhetiæ Brigantinus Muſtelas æmulas marinis generat.*
b Lib.9.cap.17.

O R T V S.

Pariunt paruæ in fine veris & in fluminibus & in mari, vt recèns ortæ, quæ vtrobiqʒ
F reperiuntur, indicant. Magnas verò & maculoſas, ſi ſpecie à paruis diſtinguãtur; neqʒ in fluuijs neqʒ in marinis litoribus (cum neutrobi earum vlla parua ac recèns orta appareat) ſed in remotioribus maris locis parere, ex illiſq; nõ niſi cubitales ſaltem factas marina adire litora, ac flumina ſubire crediderim. Oua pariunt omnes.

VT SAPIAT, VT NVTRIAT, ET VT CONDIATVR.

Etſi teneræ ſuaueſque adeo Lampetræ ſunt, vt piſcium omnium nobiliſſimæ à pleriſq; cenſeantur; non quouis tamen tempore, & loco tanti ſunt faciendæ; ſed Martio Apriliq; menſibus, & in fluminibus captæ; Aeſtate nanqʒ ineunte ſicuti ſpinalis eis medulla nerui inſtar, durior efficitur; ita teneræ ac ſapidæ minus fiũt; marinæ verò ſubaridæ ſemper ac agreſtes habentur. Et fluuiatilium rurſus præcipua tum à magnitudi-
G ne, tum à ſapore nobilitas Tyberinis debetur; vt quæ Romæ ſicuti nunquam minus binis aureis, ita aliquando denis ſingulæ veneant. Vti Iouius refert, [c] *Delicatiore quodam condimento multò maiorem quàm ab ipſis pulpis nobilitatem accipiunt. Necare enim eas in Cretio vino ſolent, eiqúe myriſtica nuce os claudere, & foramina illa branchiarũ totidem cariophylis adimplere; in teganoqúe conuolutã in ſpiras additis auelanis tritis, medulla panis, oleo, vino Cretico, aromatibusqúe ad temperatiores prunas, certis momentis ſedulò excoquere.*
c Lib.de piſcibus cap.34.
[d] *Inter piſces, qui molli carne conſtant: eam connumerat* Galenus. Iouius võ teſtatur, [e] *Earum pulpis nullam vim noxiam ineſſe; quando & duritie, & lento pingui prorſus expoliatę ſint.*
d Clas.2.fol.30.B.
e Lib.de piſcibus cap.34.

ANTIQVORVM NOMINVM INDAGATIO.

H His declaratis, de nominibus iam diſſeramus. Piſcis igitur de quo agitur, ab Italis *Lampreda*, ab Hiſpanis *Lamprea*, à Gallis *Lamproye*, à Germanis *Lamprзd*, à recentioribus verò latinis *Lampetra* vocatus; cum Galeno auctore [f] *In græco mari nullibi naſcatur*, Ariſtoteli, ac alijs pleriſque græcis ſcriptoribus incognitus extitit; & ob id neque de eo quicquam cõmenti ſunt, neqʒ vllum ei græcum impoſuerunt nomen. Opinari enim [g] quòd græcorũ γαλεὸς ſit, vt Iouius arbitratur, ridiculum eſt; cũ Ariſtotelis ac aliorum teſtimonio genericũ & non ſpecificũ nomen ſit γαλεὸς, [h] *longos omnes ac cartilagineos piſces cõprehendens.* Nec ob hoc tamen græcorũ neminem eius meminiſſe aſſerendũ eſt; cum Galenus de ipſa (quam Romæ cognouit) hiſce agat verbis, [i] *Qui piſcis apud Romanos in maximo eſt pretio, quem Galexiam appellant, ex genere eſt Muſtelorũ; qui nec in gręco quidẽ mari vſquam naſci videtur; quę cauſa eſt, cur Philotimus ipſum ignorauerit.* Deinceps paulò infra, [k] *Liquet ſanè celebrem illum apud Romanos Galexiam, in eorũ numero, qui molli carne conſtant, eſſe habendũ; reliqui verò Muſteli dura magis carne ſunt prædìti.* Quòd autem Lampetra noſtra Galeni Galexia ſit, non ex eò ſolùm comprobatur, quod ex Muſtelorum genere eſt, teneraque ac pretioſa, cuiuſmodi Galexia deſcribitur ab eo; ſed etiam quia nulli alij Muſtelorum Galexiæ nomen competit; cum omnes (Lampetra ac Gladio piſce demptis) viles ſint, ac duræ carnis. Dori

Iouij lapſus.
f Clas.2.fol.30.B.
g Lib.de piſc. ca.34.
h Hiſt.lib.2.cap.13. lib.5.cap.5. lib. 6. cap.x.xi. Oppi.li. 1.fol.113.3. Athe. lib.7.fol.147.29.
i Clas.2.fol.30.B.
k Clas.2.fol.30.B.

ib.7. fol. 156. 6. onẽ quoqȝ apud Athenæũ [l] *Muræuam fluuiatilem habere unam tãtum ſpinam ſimilem Aſello, qui Gallaria uocatur*
ſcribentem, de Muræna non intelligere certũ eſt; cum earum nulla vnam ſolùm ſpinã
habeat fluuiatilisúe ſit; vnde de Lampetra ab eo id dici opinandum; vt quæ in flumini
bus degit & vnicã ſpinã habet. Quæ cum græco nomine careret, haud temerè ab eo
fluuiatilis Muræna vocatur; cum in fluuijs maximè capiatur, Murænæque corporis
formã, & coloris varietatẽ æmuletur. Et ſicuti græcorum ſolum Galenum atque Do-
rionem Lampetræ meminiſſe ſcimus; ſic haud facilè latinum nomen eius proferri po
De animal. lib. 24. cap. de Muræna. teſt. Cum igitur eam à veteribus Murænã non appellari ([m] *ut falſò Alber. Magnus arbitratur*) Alberti magni error.
clarè præcedẽte hiſtoria comprobatũ ſit. Perpendamus an antiquorum ſit Muſtela,
vti in ſuis cõmentarijs Cornucopiæ inſcriptis aſſerit Sipontinus Plinij nixus auctorita A
Lib. 9. cap. 17. te dicẽtis, [n] *Muſtelas (mirum dictu) inter alpes lacus quoque Rhetiæ Brigantinus æmulas Murænis generat*; in qui
bus quidem Plinianis verbis ſi Murænis verè legendũ eſſet, id clarè admodũ cõproba
retur; ſed cum à pleriſqȝ marinis & non Murænis legatur, haud ita certè cõprobari vi
detur. Nec propterea Lampetrã Muſtelam eſſe negãdum eſt (cum nullũ aliud latinũ
piſcium nomẽ æquè ne dũ magis ei cõueniat) ſed potius cõiecturis ac rationibus alijs
veriſimilibus magis cõfirmandũ. Cum igitur Galenus pretioſum piſcem illum, quẽ
Lampetram noſtrã eſſe mõſtrauimus, γαλεξίαν à Romanis vocari aſſerat; non ita accĩ
piendũ arbitror, vt Romanos Galexiã vocaſſe credamus; quãdo vox hæc Galexia ne
qȝ latina ſit, neqȝ apud vllum latinorũ auctorũ reperiatur; & quod maius eſt, neqȝ etiã
alibi in Galeno ipſo, aut vllo alio græcorum ſcriptorum (quod ſciam) legatur. Sed B
potius exiſtimo Galenũ ipſum de nobili hoc piſce ſcribentẽ, nouam illi græcã nomen
claturã dare conatum (cum ei nullum inditum eſſet græcũ nomen) ex duobus græcis
latina reddentibus, nomẽ vnũ nouũ nempe γαλεξία compoſuiſſe. Quod quidem ſiue ex
γαλῆ & ἀξία, ſiue (vt magis cõponendi ratio ſuadet) ex γαλῆ & ἕξις cõponatur; ſemper
piſcem illum pretioſum, quẽ nos Lampetrã eſſe ſtatuimus, à Romanis Muſtelã voca-
tũ fuiſſe innuit; Muſtela enim pretioſa priore cõpoſitione, altera võ Muſtelæ habitum
præſeferens ſignificatur. Quod Auſo. quoqȝ Gallus indicat quippe qui Lãpetram de-
o In Moſella. pingit, dũ hiſce Muſtelam deſcribit verbis.

[o] Quæque per Illiricum, per ſtagna binominis Iſtri
Spumarum indicijs caperis Muſtela natantum
In noſtrum ſubuecta fretum, ne lata Moſellæ
Flumina tam celebri defraudentur alumno
Quis te naturæ pinxit color? atra ſuperne
Puncta notant tergum, qua lutea circuit iris,
Lubrica cœruleus perducit tergora fucus
Corporis ad medium fartim pingueſcit, at illinc C
Vſque ſub extremam ſqualet cutis arida caudam.

Nec eſt quòd miremur in hac Lampetræ pictura aliquid deſiderari; quoniã in deſcri-
ptionibus omnibus tum piſciũ, tum cæterorum animalium ab antiquioribus traditis,
id ferè ſemper accidat. In eandẽ demũ nos ſententiam ducit, quòd nihil Muſtelæ à ve
teribus tribuitur, quod cõmuni etiã cõſenſu Lãpetræ nõ competat. [p] *Piſcibus enim pretioſiſ*
p Apul. in Apolog. q Lib. 9. cap. 17. *ſimis ęqualem cenſeri, quod Muſtelę Ennii teſtimonio tribuitur.* [q] *Ac ſecundos in menſis ho*
r In Moſella. *nores poſt Scaros mereri*, vt ei Plinius aſcribit. [r] *Celebremque*, vt ab Auſo. [s] *Et guſtu ſuauem*, vt à D.
s Hex. 5. cap. 2. Ambr. Muſtela dicitur, *exiſtimari*; iurè Lãpetræ cõuenit; quæ auida etiã eſt, [t] *Cuiuſmodi Mu*
ſtelã eſſe Columella aſſerit. Nec vnà cum P. Gyllio [u] *ab hac recedere opinione* debemus; ꝓpterea P.Gyllij opinio reicitur.
t Lib. 8. cap. 17. u Lib. de nomi. piſcium cap. 104. x Lib. 12. cap. 27. quòd piſcẽ aliũ à Lãpetra Muſtelã eſſe demõſtret Aelia. eã ſic deſcribẽs, [x] *Muſtela breuis* D
piſcis nullam cũ Muſtelo cómunitatẽ hẽt, nam hic quidẽ catilagineus eſt, & pelagius, & magni-
tudine pręſtãs, ſimul & canis ſpeciem ſimilitudinemque gerit; Muſtelã võ diceres eſſe Iecorinũ;
pupillę oculorũ ad cyaneũ colorẽ accedunt; eius mentum quã Iecorini maius eſt, & minus quã
Chremitis; algas depaſcitur, & ſaxatilis eſt; atque ſimiliter vt terrena omniũ cadauerũ in quę
incurrit oculos exeſt, et cõficit. Nãqȝ ſicuti ipſe ſolus græcorũ γαλῆς θαλασσίας Muſtelæ marinæ me
minit; Ita aliũ à latinorũ Muſtela piſcẽ intellexiſſe, aut latinã Muſtelã deſcribẽtem er- In Aelianũ animaduerſio.
raſſe, credendũ eſt. Quòd nec mirũ eſſe debet, cũ in eodẽ capite in Muſteli quoqȝ hi-
ſtoria aberret; de eo tanquã de certa ſpẽ agẽs, cum tamẽ genus ſit γαλεὸς, hoc eſt Mu-
ſtelus; vt ſupra mõſtrauimus. Neqȝ etiã eſt, vt hanc opinionem interturbari ſuſpice-
y Hex. 5. cap. 3. mur à D. Ambr. ſcribẽte [y] *Muſtelam catulos parere*, cũ Lãpetra ouipera ſit; quoniã Ariſtote
z Hiſt. lib. 3 cap. 1. lib. 6. cap. xi. lis dicentis [z] *Muſtelos oẽs catulos parere*, ſequutũ potius ſentẽtiã, quàm re ipſa ita eſſe expertũ,
id ſcripſiſſe, cenſendum ſit. Ex quibus omnibus ſi non certa demonſtratione, veriſi-
mili ſaltẽ coniectura Lampetrã noſtrã veterũ latinorũ Muſtelã eſſe facilè ſuaderi põt

P. 4.



N. G. Εγχελυς.
L. Anguilla.
V. Anguilla.

HISTORIA QVARTA
DE ANGVILLA.

NOMEN.



B Italis *Anguilla*, à Germanis *Ael*, à Latinis, M. Varrone authore, [a] *eo quod corporis forma, anguẽ præseferat* Anguilla; à Græcis verò ἔγχελυς quintus piscis noster vocatur, [b] *quasi* vt Eustathius explicat, ἐν ἰλύϊ χεομένη, hoc est *in luto profusa*, Athenæo aũt & Eustathio teste, [c] *accentũ interdũ habet in penultima, ut ἐγχέλυς, interdũ uerò in antepenultima ut ἔγχελυς*, Eisdémq; authoribus [d] *declinatur aliquãdo per. υ. ut τῆς ἐγχέλυος, aliquãdo per. ε, ut τῆς ἐγχέλεος; per. υ. nãque singulares, per. ε. uerò, plurales casus inflecti, plurima antiquorũ scriptorũ docẽt exempla.* [e] Ab Aristotele præterea, [f] atque à Bæotiis, non per. υ. ἐγχέλυς, sed per. ι. ἐγχέλις scribitur. A

DESCRIPTIO.

Piscis est Anguilla ([g] *et si*, vt Athenæus, atq; Eustathius notarũt, *eam à pisce diuersam facere uidetur Homerus*, inquiẽs [h] *Vexabantur Anguillæ ac pisces gurgite uasto*) Arist. Pliniíque testimonio; [i] *Longus & lubricus*, Ita vt viuẽs, detineri manibus nequeat. Vnde in prouerbiũ abiit, [K] λεῖος ὥσπερ ἔγχελυς, hoc est, vt ferè Plautus expressit, [l] *Anguilla est, elabitur*, Nõ squamis, sed tergore tegitur. Quod quidẽ, vti Plinius scribit, [m] *Sicuti Murænis tenuissimũ est, sic Anguillis crassius, eoque uerberari solitos tradit Verrius prætextatos; & ob id, multã his dicit non institutam*, Capite est tenui, ferè rotũdo, atq; acuminato; nõnullis (quæ falsò fœminæ credũtur) dẽptis, quibus crassius; latiusculúmq; est. Dẽtes plurimi exiles, acuti, in anteriore maximẽ oris parte, multiplici stãt ordine. Et vt author est Aristo. [n] *Branchias utrinque quaternas habet simplices*, & eodẽ atq; Athenæo testibus [o] *exiguas*; Iuxta quas, [p] *binæ hærent pinnæ, utrinque una*. Color nõ oĩbus vnus, a- B
quarũ. n. in quibus degũt rõne, variatur. Quæ nanq; defluentẽ ac purã incolũt, vẽtre sunt cãdido, dorsóque cineraceo, siue subcœruleo. Quæ verò in impura ac stagnãti cõmorantur, vẽtre subalbo, dorso verò subuiridi vel subnigro apparent. Et vt ab Arist. proditũ est, [q] *gulam (quod piscibus contingit paucis) habent, sed exiguã:* [r] *Ventreque exiguo sunt*, [s] *Fel iecori hæret*, [t] *pingue inest paucis, plurimæ eo carent*, [u] *Seorsum enim à carne non pinguescunt*, *Vnde paucũ eis in omento sebum esse solet*; Plinio atq; Solino authoribus, [x] *In Gãge amne ad tricenos pedes augẽtur*; Athenæíq; & Pausaniæ testimonio, [y] *Copaidæ* (Quæ, vt Theõ edocet, [z] *in Copea Bœotiæ palude oriũtur*. Et Athenæo atq; Eustathio teste, [a] *strymoniæ* (Quæ referẽte Athenæo [b] *in Strymone Thraciæ flumine nascũtur*) *eximiæ magnitudinis esse dicũtur*. Nos aũt quã viginti libris maiores neq; vidimus, neq; ab aliquo fide digno visas audiuimus. Ad quã ẽt magnitudinẽ, neq; vbiuis gẽtiũ increscũt, sed ĩ nõnullis tantũ lacubus. C

SEXV NON DIFFERRE, ET QVO MODO GIGNANTVR.

Vt Arist. atq; Plinius prodidere, [c] *Anguilla neque mas, neque fœmina est, neque prolem ex se aliquã potest procreare. Qui cã enim capillamentis, & lumbricis similia quædã interdũ sibi adnexa gerentẽ uidisse aiunt, inconsideratè id asserunt, antequã aduertant qua parte illa gerãtur. Neque. n. aliquid eiusmodi est, quod animal creet, nisi prius generarit ouũ, quod in nulla Anguilla uisum est: & quæ animal gignunt, suo in utero fœtũ continẽt, non in uentriculo, ita. n. non secus quàm cibus concoquerentur primordia geniture. Quã autẽ differentiã maris & fœminæ Anguillæ notarunt, scilicet alteram caput habere amplius, atque oblongius, alterã, hoc est fœminã repandius, hæc non maris ac fœminæ differentia est, sed generis.* Et vt idem Aristoteles alibi tradit. [d] *Non sunt fœminæ, sed quia aspectu à cæteris discrepant, fœminæ appellantur.* Quamobrem. [e] *Nec per coitũ procreantur, nec pariunt oua. Capta enim nunquam aliqua est, quæ aut semen genitale, aut oua haberet. Meatus quoque, uel semini, uel uuluæ accommodatos, nulla rescissa ostendit: sed hoc unum inter sanguinea, genus totum sine coitu, sine ouo procreatur. Quòd ita esse eo constat argumento, quòd in nonnullis feculentis stagnis, aqua omni exhausta, & limo detracto, Anguillæ denuo generãtur, ubi* D
aqua accesserit pluuia: Nã siccis temporibus gigni nequeunt, etiã in lacu perenni. Quippe, quæ imbre & uiuant, alantur. Videntur tamen nõnullæ habere facultatẽ gignẽdi, eò quòd in aliquibus lumbrici fiunt, his enim Anguillas generari creditur. Quòd error est: nã certè ex his prodeũt Anguillæ, quæ terræ intestina uocãtur. Quæ spõte in luto, humescẽteue humo proueniũt; Iã aliæ absolui ex his uisæ sunt, aliæ scalptis discerptisque ĩtus apparuerũt. Oriũtur hæc intestina dicta, tũ in mari, tũ in fluuiis, tũ in stagnis, putredinis maximè ratione, sed in mari qua algæ sunt; In stagnis autẽ & fluuiis iuxta ripas; Calor enim amplius eas subiẽs partes, facit ut putreãt. Talis autẽ est Anguillarum generatio. Et si aliquãto secus sentire videantur nonnulli; Plinius enim nõ simpliciter naturæ sponte, sed aliqua earum quoq; concurrente actione, eas gigni afferit, inquiens, [f] *Anguillæ atterunt se scopulis, ea strigmẽta uiuescunt, nec alia est earum procreatio.* Oppianus verò concumbere etiam eas arbitratus, sic cecinit,

Plinius et Aelianus discrepant ab Arist.

[g] *Anguillæ spiris, multoque uolumine nexæ*
Concumbunt, lentor distillat corpore toto,

I

[a] lib. 4. lin. lat.
[b] fol. 1240. 15.
[c] Athe. li. 7. fol. 149. 46. Eust. fo. 1231. 34.
[d] Ath. l. 7. f. 149. 41. Eus. f. 1231. 33
[e] Athe. lib. 7. fo. 149. 50. Eust. fo. 1249. 21.
[f] Theon. in Acar.
[g] Ath. li. 7. f. 149. 29. Eu. f. 1231. 29
[h] in Illiad. lib. 21.
[i] Hist. lib. 1. ca. 5. Pli. li. 9. ca. 20
[K] Aristop. ĩ conni. At. l. 7. f. 149. 44 Eust. f. 1240. 18
[l] in Psend.
[m] lib. 9 ca. 23.
[n] Hist. li. 2. ca. 13
[o] Hist. li. 8. ca. 2 Ath. l 7. f. 149 24. fo. 155. 53.
[p] Hi. l. 1. ca. 5. l. 2 c. 13. Par. l. 4. cu. 13. Pli. l. 9. ca. 20
[q] Hist. li. 2. ca. 17
[r] Hist. li. 8. ca. 2.
[s] Hist. lib. 2. ca. 15
[t] Hist. lib. 8. ca. 2
[u] Hist. li. 3. ca 17
[x] Pli. lib. 9. ca. 3. Solin. ca. 65.
[y] Ath. l. 7. f. 148 53. Paus. lib. 9.
[z] Theõ in Acar.
[a] Ath. l. 7. f. 149. 38. Eu. 1240. 25
[b] At. l. 7. f. 150. 21
[c] Hist. l. 4. c. 11. Pl. li. 10. c. 68. Eus. fol. 123. 31.
[d] Hist. li. 8. c. 30.
[e] Hist l. 6. c. 14 et 16. At. l. 7. f. 148 28. in manuscr. Eus. f 1231. 30
[f] lib. 9. ca. 51.
[g] li. 1. f. 115. 16. At. l. 7 f. 149. 26 Eus. f. 1231. 31.

Qui ſpumæ ſimilis,bibula celatur arena, Concipit accepto , naſcuntur lubrica terga ,
Accipit hunc cœnum, quid enim fœcundius illo ? Flexibus innumeris Anguillæ in litore repunt.

LOCVS.

In fluminibus,atqꝫ lacubus ferè omnibus,nõ cõmorari ſolũ,ſed naſci quoqꝫ Anguillas certũ eſt.In mari ne itẽ,haud ita perſpicuũ;Nam ſi contẽplemur primũ eas (et ſi perrarò)in mari capi,deinceps verò [h] Terræ inteſtina ex quibus naſcuntur,in mari quoque,qua algæ ſunt,non minus quàm in fluminibus, ac lacubus,oriri . Et poſtremò [i] à Galeno, [K] ab Epicharmo,[l] atqꝫ à Diphilo, De marinis agi Anguillis;In mari etiã procreari videbũtur.Verũ ſi rurſus perpendamus,recens ortas nullas , grãdiores verò perraras in eo capi,diciqꝫ ab Ariſt.[m]de mari in lacus & fluuios aſcendere Mugiles , contra Anguillas inde in mare uenire,quod Oppianus quoqꝫ aſſerit,inquiẽs,[n] Ex fluuio Anguillæ repunt,pluuiaque lacuna , In uaſtum pontum . **A** In eo nõ gigni,ſed aliquas ſolũ,ſecundis amnibus in ipſum deuectas, reperiri & capi ; Háſqꝫ à Galeno,ab Epicharmo,à Diphilóqꝫ marinas vocari,fatendũ erit;Terræ verò inteſtinorũ , quæ in mari ſunt,illa duntaxat,quæ prope fluuiorũ oſtia exoriuntur, Anguillas procreare,alia verò,quæ procul ab huiuſmodi oſtiis gignuntur infœcunda eſſe cenſere oportebit. Vnde vti mirari cõuenit,cur Plinius,[o]Inter piſces maris peculiares Anguillam recenſuerit, ita ei minimè ſubſcribendũ . Et licet in luto([p] uti Græca indicari nomenclatura monſtrauimus) profundi conſueuerit.[q] In eoque per diẽ immotæ conquieſcant [r] puriſſima tamen aqua delectantur.Vnde qui uiuarijs Anguillarijs dant operã, ſeruant quàm maximè ut pura , ſinceraque ſit aqua efflués ſemper, & afflués per ripas,ubi uiuaria extruunt.Nã niſi clara aqua ſit,breui ſtrãgulatæ intereunt . Cũ branchias habeant exiguas.[s]Quin ſi exigua in aqua ſtabulentur,pereunt:quod idẽ & cæteris piſcibus accidit,ſtrãgulantur.n.ſi ſemper eadẽ in aqua uerſentur.Quo modo ſpirãtia animalia intereunt,ſi in aere exiguo claudantur . Plinius aũt nõ ſimpliciter, **B** vt Ariſt.exigua in aqua ſtabulãtes,ſtrãgulari;[t] Sed hyemem eas,in exigua aqua non tolerare aſſerit. Cuius rei cauſam Athenæus reddit,inquiens.[u]Per hyemem etiam cũ aqua uẽtorũ impetu perturbatur,ſæpius moriuntur. In piſcinis quoqꝫ includi poſſunt;[x] Verùm ſi æſtate de lacu in piſcinã transferantur,uiuere nequeunt.Sed ſi hyeme facilè ſedis mutationẽ patiuntur,nullã denique uehementem mutationẽ tolerant : et quidẽ æſtate,etiã ſi in frigidam aquã transfers, omnes plerunque intereunt.[y] ab alijs piſcibus ſeparatim uiuunt,neque cũ ys temerè inueniuntur.

NATVRA, ET MORES.

Athenæo teſte.[z]ut Anguillarũ nutritores teſtãtur,noctibus paſcuntur;interdiu in limo quieſcunt,authore Ariſt.[a]Paucæ quædã,certisque locis ueſcuntur limo,atque eduliis,ſi quis apponat; Plurimæ uerò dulci humore,aluntur. Manſueſcere eas multorũ authorũ teſtimonio cõprobatur,[b] Nymphodorus.n.Syracuſanus,[c]Apollodorus,[d]atqꝫ Plinius, In Eloro Siciliæ amne nõ procul Syracuſis,mãſuetas adeo eſſe,ut è manu ueſcãtur, tradidere. Nihil ãt refert,quòd nõ ĩ amne,vti Nymphodorus;ſed in caſtello Eloro dixerit Plinius, quãdo Elorus nõ minus vrbs **C** quã prope eã decurrẽs fluuius uocetur.[e]Eadem præterea manſuetudine uti in Labradii Iouis fonte, & quòd maius eſt inaures additas gerere. Subdit Plinius;quod Athenæus quoqꝫ confirmat,dicens [f] Se uidiſſe in Arethuſa circa Chalcidem Anguillas manſuetas inaureſque aureas & argenteas habentes, & capientes ab afferentibus cibos . Agatharchides aũt in lib.6.rerũ Europæ,ſcribit.[g] Copaidas Anguillas eximiæ magnitudinis,ab ipſis Bœotiis ceu uictimas coronari,molaque conſperſas,profuſis precibus diis ſacrificari. Aegyptii verò nõ ſolũ[h] ſacrum piſcem eã eſſe exiſtimant [i] Sed diis etiã ſimilẽ, ac diis ipſis præſtantiorem faciunt. Et multorũ authorũ teſtimonio,[K] Septenis,octonis ue annis uiuunt. Teſteqꝫ Ariſt.&Plinio.[l]Durant & ſine aqua ſenis diebus Aquilone ſpirante;Auſtro paucioribus. Nã vt proditũ eſt [m] Cum haud multum refrigerationis deſiderent,ſimplices exiguaſque branchias habent;diuque extra aquam uiuere poſſunt.[n] Se autem mutuo deuorant . [o] Exanimeſque piſcium ſolæ non fluitant.

QVO MODO CAPIANTVR.

Vt Ariſtot.Plinius,atqꝫ Athenæus teſtatum reliquere,[p] Turbare aquã ſoliti ſunt,qui eas piſcantur, & quidem in Strymone amne circa Virgilias maximè capiuntur,tunc enim,aqua & lutum aduerſis flatibus inturbatur. **D** Et authore Plinio,[q] Lacus etiã eſt Italiæ Benacus,in Veronẽſi agro Minciũ amnẽ trãſmittens,ad cuius emerſus annuo tẽpore,Octobri ferè mẽſe,autumnali ſidere (ut palàm eſt) hyemato lacu,fluctibus glomeratæ uoluũtur in tantũ mirabili multitudine,ut in excipulis eius fluminis,ob hoc ipſum fabricatis,ſingulorũ milliũ globi reperiãtur. Vnde ἐγχέλεις θηρᾶσθαι,id eſt Anguillas venari,ortũ eſt prouerbiũ;Quod [r] in eos quadrat,quibus tranquillo Reip. ſtatu nihil eſt emolumẽti,proinde ſeditiones gaudẽt exoriri ;. quo ciuitates publicũ malũ,in ſuũ priuatum uertant cõmodũ. Quo quidẽ adagio uſus eſt Ariſtophanes inquiens.

Nanque accidit tibi,quod Anguillas qui aucupantur. Vbi quieta ſtat palus,nil piſcium reportant, Contra lutum ſi mouerint,ſurſum atque item deorſum Capiunt,ita ipſe capis,ubi rem publicã inquietas.

Facilè aũt fluminibus,ac lacubus præcipuè turbidis,capiuntur;[t] Vel quòd (Ariſt.& Athenæo authoribus) branchias exiguas habeãt, & propterea turbida aqua ſtrãgulentur.Et ſi non ſtrangulari,ſed [u] excæcari turbida aqua dicantur, à Clemente Alexandrino,[x] Vel quod (ut teſtis eſt Ariſtophanes)cum natare non poſſint,in luto iaceant,quo agitato,tanquã à propria ſede expulſæ,captu fiunt faciliores.

[h] Hiſ.li.6.ca.16.
[i] claſ.2.fo.36.
[K] At.l.7.148.52
[l] At.l.8.f.177.19
[m] Hiſt.li.6 c.14.
[n] li.1.f.108.46.
[o] lib.32.ca.11.
[p] Euſ.f.1240.15
[q] At.l.7.149.27 Theõ. in equit.
[r] Hiſt lib.8.c.2. Ath.l.7.f.149 22.Pl.l.9.c.21
[s] Hiſt.li.8.ca. 2.
[t] lib.9.cap.21.
[u] li.7.f.149.25
[x] Hiſt.li.8.ca.2.
[y] Aeli.li.11.c.27
[z] li.7.f 149.27 Pl.li.9 ca.21.
[a] Hiſt.li. 8.ca.2.
[b] At.l.8.f.165.30
[c] Maſſ. fol.134.
[d] lib.32.ca. 2.
[e] lib.32.ca.2. At.l.8.f.165.32 Aeli.l.12.c. 24
[g] At.li.7.f.149.1 Eu.f.1240.26
[h] Hero.l.2 f.146
[i] At.li.7.150.39. Eu.fo.1240. 27
[K] Hiſ.l.8.c.2.Pl. l.9.c.21.At.l.7. f.149.28.ĩmanu ſc.Eu.f.1231.36. Hiſ.li.8.c.2.Pl. li.9.ca.21.
[m] DePar.l.4.c.13 Opp.l.1.113. 20. Ath.l.7.155.53.
[n] Eu.f.1231. 37.
[o] Hiſ.l.8.c.2.Pl. li.9.cap.21.
[p] Hiſ.l.8.c.2.Pl. l.9.c.21.At.l.7. fo.149.24.51.
[q] Pl.li.9.ca. 22.
[r] Eraſmus Adag.
[s] In Equitib.Ath. l.7.fo. 149. 1.
[t] Hi.l.8.c.2.At. l.7.fo.149.24.

[u] Str.l.7 fo.262.
[x] Theõ.ĩ Equitib. Ariſtop.

Vt autem proditur à Macrobio, [y] *In freto Siculo, quod Rhegyum à Meßana dispicit Anguillæ & Murænæ in summo supernatantes, Sole torrefactæ, cum curuare se, ac in aquam amplius mergi non poßint, captu faciles fiunt.* Alium ridiculum piscandi modum, versibus hisce describit Oppianus.

[z] Atque puer ludens uasti prope littora ponti
Decipit Anguillas, longa intestina sub undas
Conijciens, hami setis æquata uideres.
Vt uidet, utque ruit, longa intestina petentem
Arripit, atque cito sensit tumefacta perire
Nanque puer sufflans anima intestina repleuit.
Et subito uentus densus percurrit in ora
Anguillæ, & pueri flatu tumefacta laborat.
Et uento arctatur, frustraque euadere tentat
Inflatam penitus & toto pectore anhelam
Spiritus educit pueri ludentis in altum.
Non aliter certat cratere educere pleno,
Cum calamo uinum si quis trahat ore tumenti,
Nanque trahit flatu uinum, sequiturque repente
Per calamum Bacchus currens ad labra bibentis.
Sic tumidæ Anguillæ sufflantis ab ore trahuntur. A

Multiplici præterea retiũ genere, hamis nasísq; capiuntur. Vt verò author est Arist. [a] *si speluncis lateant, fauces specus odoribus illinentes cetariis, eas non secus quã pisces cõplures euocãt.* Quã quidẽ sententiã citat & Plinius; Verũ cũ inquiat, [b] *Pisces quosdã & speluncis latẽtes salsamẽto illitis faucibus scopuli, piscator expellit; ueluti sui cadaueris agnitionem fugientes,* Aristotelis mentem assequi non videtur, quippe qui non fugari, sed allici salsamento pisces dicat.

QVANTAE SINT NOBILITATIS, ET QVAE EARVM PRAEFERANTVR.

Inter suauissimos.n.pisces dinumerãda Anguilla est. Quod antiquorũ quoq; scriptorũ testimonio cõprobatur. Nanq; apud Athenæũ, [c] *Anaxandrides ad Aegyptios sermonẽ protendens, inquit, Tu maximã Anguillã Deum putas; ego obsontorũ credidi suauissimũ.* Archestratus verò apud eundẽ scribit, [d] *Regina sed omnibus una est, ut puto: duxque uoluptatis Anguilla, quæ natura est solus piscis ἀπύρηνος:* Refertq; Athenæus, [e] *Ex cœnãtibus quempiam apposita Anguilla dixisse, eã esse coniugij Helenã, ac se futurũ Paridem; nulloque adhuc manũ extendente, ipsum manu iniecta, latus ad spinã usque nudasse.* Verũ licet oẽs sapidæ sint, vt Archestratus etiã testatur, inquiens, [f] *Anguillas oẽs laudo.* Neq; parũ tamen saporis præstantia differũt; Neq; eædẽ ab omnibus æquè præstantes cẽsentur, [g] *illas nanque, quæ falsò fœminæ creduntur, meliores esse credit* Arist. Alij verò, [h] *Copaidas,* atq; [i] *Strymonias, ut quæ sint miræ magnitudinis, ac præpingues, celebres affirmãt,* [k] *Egregias etiã nasci circa Eucleũ fluuiũ, li. 16. troici apparatus Demetrius Scepsius narrat.* Et Clemẽs Alexãdrinus, [l] *In Meandro ortas celebrat.* [m] *Præ cæteris præterea laudantur, quæ in Siculo freto Rhegyũ à Meßana seiungente; nascuntur.* [n] *Ex quo loco, græcè πλῶται, latinè uerò Flutæ dicũtur, eò quòd in summo supernatantes, sole torrefactæ curuare se posse, & in aquã mergere desinãt.* Diphilus aũt [o] *Palustribus marinas suauiores esse, sed minus nutrientes aßerit.* Nos verò Transimeni, ac Vulsinensis lacus, vti omniũ quas vidimus maximas, sic tenerrimas, suauissimásq; esse, experti sumus.

B

CONDIENDI RATIO. C

Non omnes recens tantũ captæ comeduntur, sed multis etiã locis, earũ plurimæ saliũtur; Vt toto anni tẽpore conseruari, ac ad mediterranea loca lacuũ expertia deferri possint. Vnde [p] *Hicesius quoque in libro de materia, inter salsamenta Anguillas Macedonicas cõnumerauit.* Et Eustathius [q] ἐγχέλεια, *salsamenta ex Anguillis facta significare scribit.* Súntq; salitæ recẽtibus suauitate inferiores; Non tamẽ prorsus cõtẽnendæ. Antequã aũt coquatur, excoriari debẽt; Sic verò cute nudatas, interaneis exẽptis omnibus, ac capite, extremáq; cauda abiectis, in frusta secato; deincépsq; recentes in verubus torreto, puluere, ex zaccaro, ac cãdidissimæ farinæ tantundẽ & tantillo cinamomi confecto, sedulo conspersas. Quòd si propter exilitatẽ cõmodè verubus torreri nõ possint; oleo prius frictas, pipere, ac arancii mali succo, omphacióue cõdito; Salitas verò & verubus torrere poteris aceto & oleo persæpe conspergẽs; & aqua etiã elixare, quibus elixis acetũ ac olei parũ infundere conuenit, [r] *Veteres aũt eas in betis cõuolutas comedebant, ut ex multis antiquorũ locis demonstrare licet. Eubulus.n. in Echo, dicit, Candida adest betis uestito corpore Nympha, Expers coniugij Anguilla. Et in Ione, Palustres aderãt Anguillæ Bœotiæ deæ betis indutæ.* Aristophanes verò quempiã, Anguillã alloquentẽ inducens, ait [s] *Neque.n. moriens à te unquã sim separatus betis cocta.* D

VT NVTRIANT, ET QVIBVS MEDEANTVR.

Athenæo teste [t] *Piscibus omnibus melioris esse succi, stomachoque admodũ gratas, abundeque nutrire, ac comedentes saturos reddere, in libro de materia scripsit Hicesius.* Verũ Galenus noster, cui magis credendũ est, lõgè secus sentit, inquiens, [u] *Anguillæ nunquã boni sunt succi, tametsi puro in humore uersentur, ne dum in eo, qui urbiũ sordes, & purgamẽta in se recipit.* Et alibi; [x] *Quãuis carnẽ mollẽ habeãt, cũ tamẽ succo lento, ac pituitoso abundẽt, ijs qui tenuãte diæta uti uolunt, plurimũ sunt noxiæ.* Pinguedo, quæ ex eis, dum torrentur, distillat, auribus iniecta, antiquis aurium doloribus mederi creditur. [y] *Quæ uerò, in aqua, in qua Anguillæ elixæ fuerint, supernatauerit, unguentum ad plagas ingreditur.* Fumum præterea, qui ex Salitarum cute super prunas proiecta, exhalat, per podicẽ susceptum torminibus ob dysenteriam torquentibus, efficacissimum esse aiunt.

[y] Sat. 3. capi. 15.
[z] lib. 4. fol. 150. 27. Aelia. li. 11 cap. 27.
[a] Hist. lib. 4. c. 8.
[b] lib. 10. cap. 70.
[c] lib. 7. fol. 159.
[d] lib. 7. f. 149. 39 Eu. f. 1240. 31
[e] Ath. li. 7. f. 149 30. Eu. f. 1240 30.
[f] Ath. lib. 7. fol. 149. 36.
[g] Hist. li. 8. ca. 30
[h] Pau s. li. 9. f. 38. Ath. li. 7. f. 148 52. Eusta. fol. 1240. 26.
[i] Ath. li. 7. f. 149 38. 150. 21. Eu. fol. 1240. 26.
[k] Ath. li. 7. f. 150 24. in manusc.
[l] Ped. li. 2. cap. 1
[m] Ath. lib. 7. fol. 149. 36. Macr. sat. 3. ca. 15. Eu. fo. 1240. 29.
[n] Macro. Sat. 3. cap. 15.
[o] Athe. lib. 8. fol. 177. 18.
[p] Ath li. 7. f. 149 22.
[q] fo. 1231. 35.
[r] Athe. lib. 7. fol. 150. 16.
[s] in Acharnibus.
[t] li. 7. f. 149. 20
[u] Clas. 2. f. 36. E.
[x] Clas. 2. fol. 44 A
[y] Gal. in Spurijs fol. 31. A.


N. G. Κόγγρος.
L. Conger.
V. Broncho.

HISTORIA QVINTA
DE CONGRO.

NOMEN.



HIC noster, sexto loco, depictus piscis, qui Romæ *Broneo*, à Gallis *Vn congre*, à Massiliensibus *Filat*, à Græcis vulgò *Cauorofas*, & à Lusitanis *Cromgo* vocatur, à Græcis, aliquando per.K. κόγγρος, aliquando per.Γ. γόγγρος, à Latinis verò, modò per.C. *Conger* & *Congrus*, modò per.G. *Gonger* appellatur. Dicitur præterea Græcè etiam,[a] γρῦλλος, vt apud Athenæum Nicander in libro de linguis, asserit.

DESCRIPTIO. A

Congrus, piscis est, vt [b] Aristoteles, & [c] Plinius testantur, *Longus & Lubricus*, Non squamis, sed authore Athenæo,[d] *Cute obductus*, Quæ quidem læuissima est. Et vt [e] Isidorus Hyspalensis, atque [f] apud Athenæum Diphilus asserit, *Anguillæ similis*. Nam tum corporis forma, tum colore eam imitatur; Vnde à plerísque Anguilla censetur. Facilè tamen (si quis diligentius aduertat) ab ea distinguitur. Et in primis oculorum discrimine, quos habet longe maiores quàm Anguilla; Deinde colore, qui, etsi cineraceus, ei, non secus quàm Anguillæ inest, non solùm tamen in imo ventre, vt Anguillæ, sed in lateribus quoque, ac in dorso, in amplas & candidas degenerat maculas; Postremò nigra linea, in exteriori parte membranaceæ pinnæ, per dorsum eius extensæ, cōspicua; Atque duobus breuibus cutaceísque corniculis, in extremo rostro existētibus. Quibus Anguilla caret. Vt [g] Aristoteles [h] & Plinius tradunt, *Pinnas tantùm binas habet*. Et eodem Aristotele teste, [i] *Binas vtrinque branchias, alteras simplices, alteras duplices*, Et si [K] *Vtrasque duplices esse*, Massarius asserit. Et vt prodit Aristoteles, [l] *Gula est ei exigua, licet cæteri ferè pisces gula careant*. Eiusdémque testimonio,[m] *In fellis situ uariat: alijs enim ad iecur, alijs infra sepositum fel adhæret*. Vt verò à Strabone asseritur,[n] *Circa Carteiam in exterioribus locis minarum supra octoginta augetur*. Ac vt apud Athenæum Eudoxus refert,[o] *In Sicyone plaustri magnitudine increscit*. Ego autem ad triginta tantùm libras auctos aliquando vidi; Audiui, tamen quosdam, qui, eos sexaginta libras implentes, se vidisse affirmarint.

QVO MODO COEAT, ET QVALIA OVA GIGNAT. C

Oppiano teste,[p] *Mutuo circumplexu, Anguillæ instar, coit*. Aristotele verò authore,[q] *Fœturam intra se continet, sed non omnibus locis æquè id constat, nec ipsa fœtura satis patet in utero pingui obeso; Inest tamen serie quadam prolixiuscula, ut in serpentibus, quòd certè ignis periculo innotescit, pingue enim absumitur, atque uaporatur; oua autem crepant, & extrusa dissiliunt. Ad hæc si palpites, & atteras digitis pingue læue utique senseris, ouum autem duriusculum. Congri itaque alij pingue habent, ouum nullum: alij contra pingue nullum, ouum autem quale modò exposui, possident.* Scilicet vt idem alibi tradit,[r] οὐ τὸ ψαθυρὸν ᾠόν, hoc est, non fragile, vel friabile ouum (vel *non arenidum*, vt vertit Theodorus) cuiusmodi squamosi pisces parere solent.

GENVS ET NATVRA. D

Aristotelis testimonio,[s] *Duplex eorum genus est, Albicantium unum, Nigricantium alterum*. Athenæo authore,[t] *Gregatim degunt*, Et vt testatum reliquit Aristoteles,[u] *Sola carne uescuntur*, Vt verò alibi asseuerat.[x] *Sæpe cauda abscissa, etiam meatu tenus excrementario, uiuunt, abscinditur autem à Muræna*, vel vt Plinius asserit,[y] *Ipse & Muræna caudas inter se prærodunt*, Eodem prætereà Aristotele teste,[z] *Euenit usu, ut Locustis Polypi superiores sint, & adeò, ut si eisdem in retibus senserit Locusta Polypum, præ metu moriatur: Congros Locustæ euincunt, nam elabi non queunt propter crustæ asperitatem*, οἱ δὲ γόγγροι τοὺς πολύποδας κατεσθίουσιν, οὐδὲν γὰρ αὐτοῖς δύναται διὰ τὴν λειότητα ἀλώκτου (ἀλώντου ex manuscripto codice corrigendum) χρῆσθαι; hoc est, Congri autem Polypos deuorant, nulli enim ipsis propter læuitatem vsui esse possunt, Et non vti vertit Theodorus, *Congri Polypos superant, sed edere non possunt, læue enim, & lapsum Polypi*

Marginal notes:
[a] lib.7.fol.144.44.
[b] Hist. lib.1.ca.5.lib.2.cap.13 lib.3.capi.10.
[c] lib.9.cap.20.
[d] lib.8.fo.178.10.
[e] lib.12.cap.9.
[f] lib.8.fol.177.32.
[g] Hist.lib.1.cap.5.part.lib.4.cap.13.
[h] Pli.li.9.ca.20
[i] Hist.li.2.cap.13.
[K] In casti.Pli.fo.74.
[l] Hist.lib.2.cap.17.
[m] Hist.lib.2.ca.15.
[n] lib.3.fol.137.
[o] lib.7.fo.144.44.
[p] li.1.fo.115.22
[q] Hist. lib.6.ca.17.
[r] Hist.lib.3.cap.10.
[s] Hist.lib.8.cap.13.
[t] Athe.lib.7.fo.144.42.li.8.fo.178.11.
[u] Hist.li.8.ca.2
[x] Hist. lib.9.ca.2.Athe.lib.7.fol.153.35.
[y] lib.9.cap.62.
[z] Hist.li.8.ca.2

Massarius notatur.

Aristo. codex castigatur.

Theod.Gaz. error.

corpus, usum hostis effugit. Nam Læuitas haud efficit, quò minus Polypi à Congris deuorentur. Hi enim cum dentati sint, illos etsi non comprehendant, lacerare possunt. Polypis verò nihil comedentibus, quod brachiis suis firmè comprehensum non detineatur, nihílque lubricum (propterea quòd læues sint) retinere valentibus; iure Congrorum læuitas causa est, quòd ipsi, Polypis nulli vsui sint, id est, quòd à Polypis lædi non possint, etsi ab ipsis Polypi lacerentur; Vti & Plinius testatur, hunc Aristotelis locum sic transcribens,[a] *Polypum in tantum Locusta pauet, ut si iuxta uiderit,* (vel vt corrigendum arbitramur, vt iuxta visum) *omnino moriatur, Locustam Conger: Et rursus Polypum Congri lacerant;* Atque Oppianus quoque confirmare videtur; qui quidem hoc bellum cum Polypo, non Congrum, vt Aristoteles & Plinius dixêre, sed Murænam gerere scribens,[b] *Polypum à Muræna*, etsi non minus quàm Conger læuis sit, deuorari testatur. Postremò vti Author est Aristoteles,[c] *Cum in piscium genere, alter alterum sui generis edat, id maximè Conger facit.* Vnde & Ouidius ait, [d] *Immitisque suæ Conger per uulnera gentis.*

Pliniani codicis castigatio.

A

[a] *lib. 9. capi. 62.*
[b] *li. 2. fo. 124. 41*
[c] *Hist. lib. 8. ca. 2.*
[d] *lib. de piscib. fo. 37. 8.*

LOCVS.

Vt tradit Aristoteles,[e] *Albicantes Congri pelagij sunt, nigricantes verò ambigunt, ut qui partim pelagij & partim litorales sint.* Oppianus autem de eorum sede sic scribit,

[f] *Aequora, quæ fluuio, quæ sunt uicina paludi*
Incoluisse iuuat. qua dulcis terminus undæ
Et fluctus cœno commistus uortice multo
Voluitur à terra

B Aristotelis & Plinii testimonio [g] *Hyeme latent, ut uim frigoris fugiant.*

[e] *Hist. lib. 8. ca. 13*
[f] *lib. 1. fol. 108. 39.*
[g] *Hist. lib. 8. cap. 15. Pli. li. 9. ca. 16.*

QVANTAE SIT EXCELLENTIAE, ET QVO MODO CONDIRI DEBEAT.

Apud Athenæum testatur Archestratus,[h] *In Italia optimum capi Congrum, tantùmque cæteros antecellere pisces, quantùm pinguis Thynnus uilissimis præfertur Coracinis.* Eiusdem Athenæi testimonio,[i] *Maximè caput eius laudatur.* Diphilus verò[K] *Gryllum* (vti arbitror) appellans, insuauem eum esse, dicit; Quod verisimilius videtur. Nã neque hodie aulæ principes, neque ipsi cupediuoræ Congrum magnifaciunt; Sed Iouio authore,[l] *Soli Hispani Romanæ urbis Inquilini eum exoticis quibusdam pultarijs incoctum, in summo honore habere uideantur.* Antiqui autem priusquam eum coquerent, exdorsuare, vel exossare consueuerunt, vt ex Plauto, ac ex Terentio facilé intelligi potest. Ille enim,[m] *Tu Macherio,* inquit, *Congrum, Murænam, exdorsua quantùm potes.* Hic verò ait,

[n] *Dromo, Congrum istum maximum in aqua sinito ludere*
Paulisper, ubi ego uenero exossabitur,
Prius nolo.

Exossatus verò, vel (vt solemus nos) purgatus, in frustáque dissectus; Aut in tegano, vino, oleo, sale, aneto, porro vel cepa, ac aromatibus impositis, excoquitur; Aut verubus torretur; Aut in sartagine frictus, pipere, ac arancii mali succo conditur.

Archestrati opinio non probatur.

C

[h] *li. 7. fol. 147. 18*
[i] *lib. 7. fol. 147. 17. 23. et fol. 148. 13.*
[K] *Athe. li. 8. fol. 177. 32.*
[l] *lib. de piscibus cap. 30.*
[m] *Aulul. act. 2. scen. 6.*
[n] *Adelph. act. 3. scen. 4.*
[o] *Gal. clas. 2. fo. 30. C. Athe. li. 7 fol. 144. 42*

D


VT NVTRIAT.

Teste Galeno, atque apud Athenæum Hicesio,[o] *Duram carnem habet,*[p] *Raràmque, ut eidem Hicesio placet.* Vnde ipso authore, *parcè etiam nutrit;* Nos autem cum duræ sit carnis, vt ipse quoque Hicesius asserit, quò fieri possit, vt raræ sit etiam, ac parcè nutriat, haud videmus; Et si [q] *parcius quàm Sphyræna nutriat.* Athenæi testimonio,[r] *Succum haud bonum gignit, stomacho tamen non est molestus.* Vt verò Albertus magnus credidit,[s] *Natiua quadam proprietate, lepram morbum parere solet.*


In Hicesium animaduersio.

[p] *Athe. lib. 7. fol. 144. 43.*
[q] *Athe. lib. 8. fol. 177. 18.*
[r] *lib. 7. fol. 144. 43.*
[s] *lib. 24. de animalibus.*

P.VII.



P.VIII.



N. { G. βελόνη.
L. Acus.
V. Acuchia.

HISTORIA SEXTA, DE PISCE SEPTIMO, DESCRIPTIO.



EPTIMO loco depictus piscis, ex longorũ est numero; tenuis tamen admodũ, teres, ac paruus; Nullus enim huc vsq;, qui pedalẽ longitudinẽ, & parui digiti crassitudinẽ superaret, à nobis visus est. Caput autẽ exiguũ habet, à quo, rostrũ oblongum, durũ, non tenue si cũ reliquo conferatur corpore, nec acuminatum, prominet; Extrema nanque, siue anterior pars eius, latiuscula extat; Cuius quidẽ rictus, non in transuersum, sed in altitudinẽ dehiscit. A Brãchiæ sunt ei vtrinque quaternæ; pinnæ vero nullæ; præter vnã paruam, ac tenuissimã, quæ in medio dorso apparet. A capite, ad excrementorũ vsq; ostium, semper crassescit, sexangulúsque est. Deinceps verò, vt tenuior efficitur, ac in subtilem, & longã, vniuersi corporis ratione, caudã desinit, Sic pro sexangula, quadrangulam figuram sortitur. Squamoso tegitur corio; Cuius squamæ, nõ pisciũ, sed Serpentũ instar, miro inter se ordine cõmittũtur. Vnicolor est, subflauus scilicet.

NOMEN.

Neminem eorũ; qui hactenus scripserũt, huius meminisse piscis, vno Petro Gyllio dempto, ex eo facilè intelligi potest; quòd cũ peculiares, ac perraras adeo notas habeat; si Scriptorũ aliquis ullã mentionẽ eius fecisset, haud nos latere posset. Nec propterea quòd longus piscis sit, & rostratus; Acus censeri potest. Cum ille, qui post hunc pingitur, dubio B procul Acus sit, Vt sequenti historia patebit; Aut (vt[a] Petrus Gyllius credere videtur) serpens credi potest, Quando nec Congri caput habeat, sicut Arist. testimonio[b] *marinus Serpens habere dicitur*. Nec congro, corpore & colore proximus sit,[c] *Cuiusmodi Serpẽs marinus esse creditur* eodem authore. Verũ nõ græco solùm, ac latino nomine caret, sed vulgari etiam destituitur. Præter paucos enim quosdam, qui temerè, potius quàm comprobata aliqua consuetudine, *il Serpente marino* eum vocari aiunt; Omnes nomen eius ignorare fatentur. Quod nec mirum esse debet, cum perrarò admodum ad piscarium forum hic deferatur piscis; vel quòd in cibum non admittatur; vel quòd inuentu sit rarus, aut captu difficilis, propterea quòd ob tenuitatem suam, facilè ex retibus euadere possit.

[a] *lib. de nominib. pisc. cap. 65.*
[b] *Hist. li. 2. ca. 14*
[c] *Hist. li. 9. ca. 37*

C

HISTORIA SEPTIMA DE ACV PISCE.

NOMEN.



ACVCELLA Romæ, Venetiis *Angusicula*, à Ianuensibus *Acuin*, ab Hispanis *Agulia*, à Gallis *Aguilles*, Lutetiæ *Orphies*, & à vulgo Græcorum *Zarganes*, noster octauus piscis appellatur; à Latinis verò[a] *Acus, Aculeatus, & Belone*, & à Græcis Βελόνη,[b] ῥαφὶς[c] apudq; Athenæũ, à Diphilo ἀβλεννὴς etiam, vocatur.

DESCRIPTIO.

Arist. et Oppiano authoribus,[d] *Longus piscis est Acus*. Eodémque D Oppiano teste[e] *Tenuis etiã est*. Non tãtæ tamẽ longitudinis, quantæ sunt illi, quos huc vsq; descripsimus; Et ob id, neq; vt ipsi, se facilè colligit in spiras. Non squamis, sed læui cute indutus; Dorso cœruleo, ad viride inclinante, ventre argenteo; Et vt testatur Athenæus,[f] *Rostro acuto, tenui, longo, et duro*; Cuius inferior pars, superiore longior est; Vtraq; plurimis, exilibus, acutis, serratisq; dentibus munita existẽte. Vnde sicuti iure[g] *Dentatus* dicitur ab Oppiano; Sic perperam[h] *dentibus carere* creditur ab Athenæo. Branchiæ sunt ei vtrinq; quaternæ; Pinnæ vtrinq; etiã binæ, priores prope branchias, posteriores in ventre. Præter quas, vtrinq; exortas pinnas, duæ aliæ conspiciũtur; vna in medio ventre imo statim ab excrementorũ orificio, altera è regione in medio dorso. Præterea vt ab Arist. proditũ est,[i] *quandam διάφυσιν habet*, hoc est *rimam* (vt vertit Theodorus) *sub imo ventre, quẽadmodum* τυφλίναι ὄφεις, id est interprete Plinio[K] *cæcæ*, Theodoro verò[l] Columellã sequuto, *Cæciliæ ser-*

Athenæus notatur

[a] *Pli. lib. 9. c. 51. lib. 32. cap. 11.*
[b] *Opp. græ. li. 1. f. 6. 58. Ath. l. 7. fo. 159. 31. 163. 47. li. 8. f. 177 27.*
[c] *li. 8. fo. 177. 27*
[d] *Hist. li. 2. ca. 15. Opp. li. 3. f. 141 38.*
[e] *lib 1. fo. 109. 35.*
[f] *lib. 7. fo. 159. 30*
[g] *lib. 3. fo. 142. 9.*
[h] *lib. 7. fo. 159. 32*
[i] *Hist. li. 6. ca. 13.*
[K] *lib. 9. cap. 51.*
[l] *lib. 6. cap. 17.*

pentes. Quæ quidē rima, cū extra, circa excrementorū orificiū manifestißime appareat, intus verò conspicua nō sit, mirari cōuenit, quòd in Arist. græcè legatur, cā sub imo vētre esse, ἔσω, id est intus, nisi forsan illud ἔσω, tanquā temere ab aliquo additū, submouendum
[n] Hist. li. 2. ca. 15. censeamus, vti etiā censuisse videtur Theodorus, quippe qui illud in sua traductione omi
[l] Alber. mag. de anima. lib. 24. sit. Vt Arist. notauit,[m] Fel iecori annectitur. Vterum habet oblongū admodū ac bifidum. Et vt Alb. Magnus testatū reliquit,[n] Dorsi spinā uiridem, vel vt nos obseruauimus cœruleā.[o] Ex quibus
[o] Hist. li. 9. ca. 14 spinis teste Arist. Halcyonum nidi confingi creduntur, cū piscibus Halcyones uiuāt. Quem locū transcripsit Pli
[p] lib. 10. cap. 32. nius; Sed cū mendosè apud eū legatur,[p] Putant ex spinis Aculeatis; restitui debet, ex spinis Acu- Pliniani codicis castigatio.
[q] lib. 32. ca. 11. leati. Nam eo authore,[q] Aculeatus piscis est, qui βελόνη græcè dicitur, quod cū illū lateret, qui primū hunc deprauauit locū, errādi ansam accepit. Legens nanq; Aculeati, arbitratusq; adiectiuū & non substantiuū nomē esse, quo spinis concordaret. s. addita, locū vitians Aculea A
[r] Hist. lib. 6. ca. 17 tis scripsit. Non excrescit in multā magnitudinem, ex illis. n. quæ crebrò capiuntur, senæ
[s] Hist. lib. 5. ca. 11 vix libram implent. Aliquando tamen et si perrarò, carū aliquā bilibrē, ac trilibrē etiam
[t] li. de pisc. ca. 32 captam vidimus.

PARIENDI TEMPVS, ET RATIO.

[u] Hist. lib. 6. ca. 13 et 17. Gene. li. 3. cap. 4. Arist. authore[r] sero fœtificat, & eodem teste[s] Hyeme parit, & nō per æstatē, vt[t] Iouius, quippe qui Arist. oscitāter legerit, asserit. Et vt idē tradit Arist.[u] Vnus pisciū pariendi tēpore διαῤῥήγνυται, καὶ οὕτω τὰ ᾠὰ ἐξέρχεται, hoc est, disrūpitur, et sic oua emittit; & nō, vt[x] Plinius, primū,[y] ac Theodo Ioiuj error.
[x] lib. 9. cap. 51. rus deinceps verterunt, dehiscente utero parit. Præter id. n. quòd simpliciter piscē disrūpi dicit Pli. et Theo. allucinatio.
[y] Hist. lib. 6. ca. 13 et 17. Gen. li. 3. cap. 4. Arist. nec vteri meminit, neq; etiā vterū eius, in partu disrumpi, dehiscereue posse credendū est. Nam cū Arist. & Plinii testimonio,[z] à partu uiuat, et uulnus coalescat, partes verò exāgues, cuiusmodi vterus est, coalescere nō posint, ipsum dehiscere vterum, arbitrandū nō erit. B
[z] Hist. lib. 6. cap. 13. Pl. l. 6. ca. 51 Præterea vtero dehiscēte, nō extra, sed in ipsam ventris capacitatē emitterētur oua. Postremò cū Arist. ipse, qui primus huius disruptionis author extitit, dicat, vt supra etiā cita
[a] Hist. li. 6. ca. 13. uimus,[a] Habet piscis iste quandā rimā sub imo uētre, quēadmodū Cæciliæ Serpētes, à partu aūt uiuit, et uulnus coalescit. Nonne luce clarius est? ipsum asserere, ventrem imum, in quo rima illa consistit, & non vte
[b] Hist. li. 6. ca. 17. Gen. lib. 3. ca. 4 rum disrumpi. Hoc autē Acui accidit, vt proditur ab Arist.[b] Non tam multitudine ouorū, quā magnitudine: Hæc. n. pro multis maiusculos habet cōceptus, quòd. n. natura numero ademerat, id magnitudini addit. Vnde cū
[c] lib. 9. ca. 51. apud Pliniū mēdosè legatur.[c] Dehiscente propter multitudinē utero, propter magnitudinē, ex Arist. Plinii codex corrigitur.
corrigi debet. Non tamē oēs in partu disrumpi credendū est, sed solū, ut Arist. testatur,
[d] Hist. lib. 6. ca. 17 [d] Earū plurimas, eas. s. in quibus ad multā magnitudinē oua excreuerint; Si tamen verū sit, vt in vllis earū adeò augeatur oua. Nam cū nos frequēti earū dissectione, id sæpius experiri voluerimus, in omnibus semper plurima, innumeráque ac parua, & nunquam pauciora & C
[e] Gen. li. 3. ca. 4. magna, vt[e] Arist. affirmat, adinuenimus oua. Et licet,[f] Acum ouiperā, & non uiuiperā esse, ex his clarè
[f] Hist. l. 6. ca. 13. et 17. Gen. l. 3. c. 4 adeò constet. Aelianus tamē (nescio quo modo deceptus) secus sentit, scribens,[g] Catulorū suorum nō sustinētes incrementū disrūpuntur, non igitur pariūt Catulos: sed expellūt atque eijciūt. Subdit præter hæc Arist. Aeliani deceptio.
[g] lib. 11. cap. 23. [h] καὶ ὥσπερ τὰ φαλάγγια δὲ περιέχωνται καὶ περὶ τὴν βελόνην, ἐκτίκτει γὰρ πρὸς αὐτήν, κἄν τις θίγῃ, φεύγουσιν,
[h] Hist. lib. 6. ca. 17 hoc est, (interprete Theod.) Et modo phalāgiorū proles parentē offusa circūdat, quippe quā discedere statim prolis amor nō sinat, et si tetigeris, fugiūt; Quæ quidē interpretatio, nec græcis verbis plenè respōdet, nec quid sibi velit, intelligi potest. Sonant aūt græca verba sic potius. Et tanquam phalangia circunfusa sunt, et circa Acum, parit. n. ad ipsam; Et si quis tetigerit fugiunt. Quòd si & hæc obscuriuscula sententia videatur, mendū, quod in græco codice suspicor, criminari oportet. Theo. lapsus

LOCVS ET NATVRA. D


[i] lib. 1. fo. 109. 35. Vt Oppianus scribit,[i] Et in saxosis, et in arenosis locis uitam degit Acus. Retibus autem capta, si ex cis euaserit, ipsis irascens, dum dentibus ea lacerare contendit, in laqueos rursus incidit. Vt idem Oppianus hisce cecinit verbis,

[k] li. 3. fo. 142. 6.
[k] Quin etiam tali dicuntur mente Belone,
Cum sunt ereptæ lino, duroque periclo,
In laqueos fundunt bilem, morsuque recidunt,
Inque sinus rursus tentant irrumpere dente.

VT NVTRIAT, ET CONDIATVR.


[l] li. 8. f. 177. 27 Diphilo authore apud Athenæū[l] Concoctu difficilis est, & humida, boni tamen succi, Vt verò apud
[m] lib. 7. fol. 163. 47. eundem testatur Hicesius[m] ἀχυρώδης, id est aristis spinisue plena, uel arida est, ac sine pinguedine, & sine succo. Fricta, & deinceps omphacii, siue arancii mali succo conspersa comeditur, palatóque haud ingrata esse solet.

P.VIII.



N. G. Σφύραινα. L. sudis. V. Lucio marino.

P.X.



Sandilz.

HISTORIA OCTAVA
DE SPHYRAENA, SIVE SVDI,

NOMEN.



ISCIS noster nonus, qui Romæ, *Luccio de mare*, & à Massiliensibus *pes escome* vocatur; Authore Athenæo,[a] Græcè σφύραινα, & atticè, κέστρα dicitur; Latinè verò Sudis appellatur, vt Plinius edocet, inquiens,[b] *Sudis latinè appellata, à Græcis Sphyræna.* Vnde damnandus est Theodorus, tum quòd veteri latino nomine posthabito,[c] σφυραίναν in Aristotele, interpretatus fuerit *Malleolum*; tum quòd græcè nomenclaturæ exprimendæ studiosus adeo fuerit, vt haud congruũ piscis figuræ latinum nomen imposuerit. Nil enim minus quàm Malleum piscis iste repræsentat. Quòd autem hic piscis noster, verè Sudis sit, nomen ac forma piscis, manifestè declarant. Nam cum M. Varrone authore,[d] *Sudis ex piscium sit uocabulis, quæ translata sunt à terrestribus, ex qua parte similibus;* Plinio verò teste,[e] *Piscis sit rostro similis nomine*; Cui piscium obsecro? melius quàm huic nostro, sudis nomen quadrare poterit; Quippe qui non rostro solùm, sed corpore etiam toto, Sudem, siue palum egregiè repræsentet. Nec enim Petro Gyllio assentiendum est, qui,[f] *Quadragesimum nostri ordinis piscem, & non hunc nonum, Sphyrænam esse*, asserit; Quando (vti in nostra trigesima octaua historia, quadragesimo pisci dicata, clarè monstrabimus) Libella sit ille, ac nullo modo Sphyræna censeri possit. Cuius quidem Sphyrænæ, siue Sudis; cum[g] Aristoteles, ac[h] M. Varro meminerint, falsò dicit Plinius[i] *Præter Ouidium, authorem nullum mentionem eius fecisse.*

Marginal notes: [a] lib.7.fol.161.11.& 15 — [b] lib.32.cap.11. — [c] Hist.lib.9.ca.2. — Theod.Gaz. notatur. — A — [d] lib.4.de lin.lat. — [e] lib.32.ca.11. — P. Gyllij error. — [f] lib. de nominib. pisci.cap.31. — [g] Hist.lib.9.ca.2 — [h] lib.4. de ling. lati. — B Plinij lapsus.

DESCRIPTIO.

Longus piscis est Sudis, vt Oppianus etiam testatur, scribens[k] *Sphyrænæ longæ, tenuesque Bellonæ.* Et Speusippo apud Athenæũ authore,[l] *Acui & Sauridi similis.* Rostro cuneato, corpore autem toto, paxillo, simillimo; ac ore valde resciſſo; Cuius superior maxilla obtusa & breuior, inferior verò, acuta & longior existit. Vnde cuneati rostri acumẽ, extrema tãtùm inferioris maxillæ parte constituitur; ipsíque inferiori ac longiori maxillæ, superior ac breuior, si os claudatur, ad amussim committitur; Atque vtraq; dentibus, superior maioribus, inferior verò minoribus, munita est; In medióque anterioris partis, eiusdem inferioris maxillæ, in ipso tamen oris hiatu, dens vnus omnium longissimus atque acutissimus extat; Qui ore clauso, in foramen anterioris ac membranaceæ partis, superioris maxillæ, ita suscipitur, vt extrinsecus etiam paululum emineat. Oculos magnos habet; Atque quaternas vtrinque branchias, pinnásq; vtrinq; etiam binas. Præter has autem vtrinque exortas pinnas; Aliæ tres quoque in hoc pisce reperiuntur; Vna in ventre post excrementorum orificium; Aliæ duæ in dorso; prior in eius medio, posterior verò, versus caudam. Et cum à branchiis vtrinque per latus medium, linea paruulis ac duriusculis squamulis mira arte contexta, ad caudam vsque deducta sit; dorsum, & quicquid hac linea in vtroq; latere superius est, subcineraceum; venter verò ac pars omnis eadem linea inferior, candida conspicitur. Tergore tegitur squameo, cuius quidem squamæ paruulæ sunt, nec piscium, sed serpentum instar, miro ordine commissæ. Earum autem, quæ crebrius Romam deferuntur, quaternæ vix libram implent. Vidimus etiam aliquando, sed perraro, aliquã bilibrem. Quamobrẽ magnis piscibus annumerari nõ possunt; Vti Plinius quoq; testari videtur, inquiens,[m] *Sphyræna piscis, magnitudine inter amplissimos rarus, sed tamen non degener.*

Marginal notes: [i] lib.32.capi.11. — [k] lib.1.fo.109.35 — [l] lib.7.fo.161.14 — C — D — [m] lib.32.cap.11.

DIFFERENTIA, LOCVS, ET NATVRA.

Oppianus scribens,[n] ἀμφότεραί τε σφύραιναι δολιχαί, id est, vt Lippius vertit, *Ambæ Sphyrænæ longæ*, duo Sphyrænarum genera, & vtrunque longum, facere videtur. Quod tamen neque aliorum scriptorum quispiam annotauit, Neque nos, & si multa iamdiu usi diligentia, aliquam inter eas, generum differentiam animaduertere huc vsque potuimus.[o] *Piscibus prætetea, qui circa saxosa: ac arenosa littora uictitant, eas adscribit*, idem Oppianus. Aristoteles verò,[p] Quòd gre

Marginal notes: [n] li.1.fo.109.35 — [o] lib.1.fo.109.35 — [p] Hist.lib.9.ca.2

gatim degant, testatur cui experientia ipsa cōsentit. Semper enim vnà plures ferè capi consueuere. Captæ autem, euadere è retibus tentant, vt Oppianus his versibus edocet.

[q] *Si Sphyræna sinu retis claudatur in amplo* — [q] lib. 3. fol. 133. 60.
Latum perquirit laqueum, quo lubrica terga
Serpentum in morem labantur retibus amplis.

VT NVTRIAT, ET CVIVS SIT SAPORIS.

Vt Hicesius apud Athenæum inquit,[r] *Magis nutriunt Sphyrænæ, quàm Congri.* Et eodem autho re,[s] *Succum gignunt bonitate mediocrem. Sapore autem sunt non admodum grato.* Vnde Romæ plebei ac viles pisces iure censentur, Nec proprium ullum habent conditurae modum. — [r] lib. 7. fol. 161. 10. lib. 8. fol. 177. 18. [s] Athe. lib. 7. fo. 161. 11.

HISTORIA NONA
DE PISCE SANDILZ DICTO.

A Decimus noster piscis (cuius expictam formam, ac historiam vniuersam, DANIEL BARBARVS, non solùm quia Aquileiensium designatus sit Patriarcha, Reu[mus]. sed splendore etiam Barbaræ familiæ, præclaráq; eruditione, atq; doctrina, nec non virtutum omnium probitate, Ill[mus]. perbenignè mihi impertiuit) ab Anglis, apud quos frequens reperitur, *Sandilz*, appellatur, quod lingua nostra *De Arena Anguilla* sonat. Sic.n. Angli eleganter in cōpositione loqui consueuere; Ita vt *Sandilz*, hoc est *De arena Anguilla*, & *Vualmester, id est, de ponente monasterio:* & non *Anguilla, de arena*, aut *Monasterio de ponente*, dicant. Huius autē piscis, mentionem nullam apud Græcos, Latinósue scriptores factam reperimus, reperiríue posse credimus, cum septentrionalis solùm Oceani alumnus sit. — DANIEL BARBARVS.

DESCRIPTIO.

B *Sandilz* capite est tenui & rotundo, Rostro longiusculo; & acuminato; Ore paruo; Corpore reliquo oblongo, si latitudini conferatur. Nam cum eius medium (caput enim & cauda arctiores sunt) pollicis crassitudinem non superet, longitudo ad palmi mensuram extenditur. Quamobrem sicuti longis, sic etiam & paruis annumerari piscibus debet; cum neque pollicis latitudinem, neq; palmi longitudinem excedat vnquam. Dorso præterea (in quo pinnæ duæ reperiuntur, in eo medio vna, ac prope caudam altera) subcœruleus. Ventre verò (in quo, præter binas, quas vtrinque habet pinnas, vna etiam alia post excrementorum orificium subsistit) argenteus conspicitur.


LOCVS.

Septentrionalis oceani piscis est *Sandilz*, frequētissimè.n. in Britanniæ (quā nunc Angliā dicimus) litoribus capitur; Reperitúrq; & in Bononiensi litore, ubi *Sandilz* quoq; vocatur.


C NATVRA CAPIENDI RATIO, ET SAPOR.

Quibusdam anni tēporibus hi pisces, siue maiorū pisciū iniuriā, fugientes, siue suapte naturæ impulsu aqua derelicta, sub arenā ipsam penetrāt. Quod cū nonnullæ, longioris rostri aues aduertant, ad illa litora aduolātes, eos ex arena expiscātur. Quibus accolæ illorū locorū admoniti, lineis sacculis, aut ligneis vasculis, in quibus captos pisces cōdant, acceptis, ad litora frequentes veniunt, ibíq; singuli suū quoddā pedale lignū pectinatim incisum habentes, paríq; interuallo, ac certo ordine, per rectā lineā omnes collocati, pectinata ligni parte in arena defixa, eā, paulatim semper retrocedentes subleuāt, piscésq; vnà cū arena subsilire coactos, capiūt. Vnde cū illust. DANIEL Barbarus in Anglia pro Serenifs. sua VENETA Rep. Orator esset, circáq; eā Scotiæ partē, quæ ad Irlandā vocatā insu

D lam spectat, septembri mense nauigaret, vidēs quamplurimos homines certis ordinibus in litore dispositos, quid illic rei agerent nautā percunctatus, illos in arena Anguillas expiscari respōdit, quāobrem illuc deferri iussit; quò cū peruenisset, quā facilè ac copiosè illos pisces quisq; caperet, aduertēs, ipse quoq; eu aginato ensis gladio, modico quidem tēpore (vti mihi deinceps humanissimè cōmunicauit) illorū ferè ducētos cepit. Hic piscis si ex piscatorū manibus in arenā fortè delabatur, celerrimè ac profundè adeo sub arenā penetrat, vt nullo prorsus modo capi rursus queat. Quā sub arenā penetrandi facilitatē, & si Arist. (vt historia prima monstrauimus)[a] *Serpenti marino tribuit*. Non ob id tamen, hunc marinū serpentē esse arbitrari possumus; cū Congro corpore ac colore proximus nō sit. Sicuti eodē Arist. teste[b] *Corporis & forma et color, marino serpenti cū Congro conuenire debet.* Piscis est *Sandilz* sapidus satis, & sua copiosa captura haud mediocriter pauperū necessitatibus succurrit. — [a] Hist. lib. 9. cap. 37. [b] Hist. lib. 9. cap. 37.



N. G. Δράκων.
L. Draco marinus.
V. Trascina.



HISTORIA DECIMA DE DRACONE, SIVE ARANEO PISCE.

NOMEN.



PISCIS noster vndecimus, qui Romæ *Tragina*, à Gallis *Viue*, ab Anglis *viuer*, à Massiliēsibus *Vne Areigne*, & à Græcis nostri tēporis *Dracena*, ac in plerisq; aliis locis *pesce Ragno* vocatur; Græcè Δράκων, &[a] ab Ephippo Δρακαινὶς dicitur; Latinè verò nō solū Draco marinus & Dracunculus; [b] *Et si quidam alind uolunt esse Dracunculum*, sed marinus etiā Araneus appellatur. Licet [c] Plinius; [d] ac Isidorus Hispalensis, *Araneum, et Draconem tanquam diuersos pisces eodem capite recensentes*, secus sentire videātur. Nam cū inscribēdo aliorū potius scripta, quā rē ipsam consulere soliti fuerint; nonnullos Draconis marini, alios verò Aranei marini mentionē fecisse videntes, nec eundē piscē vtróq; vocari nomine aduertentes, duos esse pisces crediderūt. Nec pro defendēdis eis, Araneū & Draconē re vera diuersos esse pisces, ea probari ratione cōtendendū est; quòd (Plinio ipso authore) [e] *Pestiferum animal sit Araneus, spinæ in dorso aculeo noxius*; [f] *Draco uerò aculeos in branchijs ad caudam spectantes habeat*; Quādo hic noster depictus piscis, sicuti vtróq; appellatur nomine, sic in vtráq; parte, in branchiis inquā, & in dorso aculeos habet. Nec tamē, propterea quòd in eo vtrobiq; reperiūtur aculei, nec Araneū, nec Draconem eū esse suspicari debemus; Cum Araneū ipsum & in brāchiis, & in dorso aculeos habere, authorū testimonio cō probetur; In eius .n. dorso aculeū existere, [g] Plinius; Eiusdem verò aculeatas esse & branchias, [h] Isidorus Hispalensis, [i] ac Albertus magnus testātur. Qui etiā Albertus, vt qui iners sit in animalibus describendis, Plinii, ac Isidori opinionē sequutus, Araneū à Dracone distinguit. Cui quidē opinioni, Petrus Gyllius aduersari videtur, inquiens, [k] *Draconem arbitror esse, quem Ligures, & Massilienses, et Plinius ipse alio loco Araneum uocant*. Verū cū idem Gyllius paulò deinceps subdat, [l] *Iam porrò eum, qui ab Aristotele Araneus uocatur; nulli græci authores uenenatum esse tradunt, Draconem uerò omnes Scriptores, atque ætatis nostræ piscatores, cum à Pastinaca discesserunt, omnium marinorum uenenatissimum esse asserunt*. Non solū perperā cōtrariū affirmat, cum Draconē venenatissimū, ab Araneo omni prorsus veneno experte diuersum piscem faciat; Sed falsò etiā piscem vllū ab Arist. Araneum vocari testatur. Nam sicuti [m] *Litoralibus piscibus Draconē annumerat Aristoteles*, sic Aranei nunquā piscis meminit. Scimus tamen ab eo scribi [n] *Mugilibus infestum esse piscem quendam*. Cuius quidē nomē, ob græcorū exemplarium varietatē tripliciter scriptū reperitur. In aliquibus .n. exēplaribus Ἀρχάνος legitur, & sic legit etiā Theodorus; in aliis autē Ἀχάρνος, ac in aliis rursus Ἀραχνης. Verùm in tanta exemplariū varietate, haud statuere debemus, legendum esse Ἀράχνης; Et maximè, quoniā cum alibi, de eodē (vt arbitror) pisce pertractet, [o] *Illum æstate laborare* dicens. Accidátque rursus triplex in piscis nomine scriptura. In aliquibus codicibus Ἀρχάνας; uti legit & Theodorus; in aliis Ἀχάρνας: & in nonnullis Ἀχάνας legitur; in nullo autem (quod quidem uiderim) Ἀράχνης, reperitur. Deinceps cum [p] ab Athenæo Ἀκάρναν, [q] ab Hesychio Ἀκάρναξ, [r] à Plinióq; *Acarne inter pisces recenseatur*, In priori Aristotelis loco Ἀχάρνος, vel Ἀκάρνος. In altero autē Ἀχάρνας, vel Ἀκάρνας, & non Ἀράχνης, iure legendū esse censemus; Cum Ἀκάρναν Athenæi, Ἀκάρναξ Hesychii, ac Acarne Plinii, Ἀχάρνος ac Ἀχάρνας Aristotelis verè sit; Quemadmodum nō solùm ex ipsorum nominum similitudine; Sed ex eo etiam clarè coniici potest. Quòd cum [s] *Mugil & Lupus, mutuo odio flagrent*, [t] Ἀκάρναξ, *Lupus est*. Et vt Arist. asserit, [u] Ἀχάρνος, *Mugiles insequitur*. Postremò, si (vt diximus) hunc piscem nostrum; à Græcis nostræ ætatis *Dracena*, Romæ verò *Tragina*, quod ex *Dracena* deductū arbitror; ac in locis aliis plurimis *pesce Ragno* vulgò vocari animaduerterimus, Araneum à Dracone diuersum piscem non esse abundè satis persuasum nobis esse poterit.

DVPLEX MARINI DRACONIS REPERITVR GENVS.

Cum duo sint, marini Draconis genera, magnitudine, corporis forma, atq; coloris varietate differentia; vt vndecima & duodecima figura nostra, nec non vtriusq; descriptio, à nobis paulò post tradēda clarè indicāt; Antiquorū tamē recentiorúmue scriptorū nullus ante nos id animaduertit. Nam licet Plinius, vt qui scribat, [x] *Cucumis, Cynopus, Cammarus, Cynosdexia, Draco, quidam aliud uolunt esse Dracunculum*, à nōnullis distingui Draconē à Dracūculo asserere videatur. Cum tamē neq;

Marginalia (left): Plinii et Isidori lapsus — A; B; Alberti error. — C; D

Marginalia (right):
[a] At. li. 7. f. 161. 3
[b] Pli. li. 32. c. 11.
[c] li. 32. ca. 11.
[d] lib. 12. ca. 6.
[e] lib. 9. cap. 48.
[f] lib. 32. cap. 11.
[g] lib. 9. cap. 48.
[h] lib. 12. cap. 6.
[i] lib. 24. de ani.
[k] li. de nom. pisc. cap. 65.
[l] lib. de nom. pisc. cap. 65.
[m] Hist. li. 8. ca. 13
[n] Hist. li. 8. ca. 2
[o] Hist. lib. 8. c. 19
[p] li. 7. f. 163. 25 li. 8. f. 177. 38
[q] In catalogo nominum.
[r] li. 32. cap. 11.
[s] Hist. lib. 9. ca. 2 Plin. lib. 9. ca. 62. Ath. l. 7. f. 153. 34.
[t] Hesychius.
[u] Hist. li. 8. ca. 2.
[x] lib. 32. cap. 11.

eos, qui ita senserint, nominatim referat, nec differentias, quibus illi eos ab inuicem separ-
uerint, edoceat; nullis rationibus nixi, hāc, quā nos in marino Dracone generū differenti-
annotauimus, illis quoqȝ cognitā extitisse, affirmare possumus. Quorū quidē generū, et si
vtrunqȝ latinè *Draco*, Romæ vero *Tragina* indifferenter appellatur, nobis tamen clarioris
doctrinæ gratia, primū, maiorem, secundum verò, minorem Draconem vocare licebit.

ALIORVM IN MARINO DRACONE DESCRIBENDO ERRORES,

Sicuti Scriptores omnes, eò quòd vnum tantùm marinū Draconem cognouerint, ne-
gligentia; sic eorū plurimi ignorantia quoqȝ damnandi sunt. Quippe qui, neqȝ eū probè
agnouisse videantur. Cum .n. Serpens marinus, qui (vt in prima historia nostra monstra
uimus) græcè Οφις θαλάσιος vocatur, ex longorúmqȝ pisciū censu est; à marino Dracone,
qui græcè Δράκων appellatur, quíqȝ longis piscibus, vt ex eius depictis formis conspicitur, A
[y] lib. 9. cap. 27. annumerari non potest; toto prorsus genere differat; Nō defuere tamen, qui vnum et eun
[z] Hist. li. 9. c. 37 dem piscem, Draconem & Serpentē marinū esse crediderint. Plinius nanqȝ scribens,[y] *Dra-* Plinii lapsus.
[a] lib. 24. de ani. *co marinus captus, atque immissus in arenam, cauernam sibi rostro mira celeritate excauat,* cum Draconi tribuat,
[b] Vulg. com. in [z]*quod ex Arist. (quem transcribit) Serpenti debetur*; Draconem, marinū Serpentē esse arbitratur. Cuius
Dios. li. 2. c. 13 errorem,[a] Albertus primùm,[b] ac Matthiolus deinceps sequuntur; Eiusdem præterea sen- Plures Pli-
[c] Hex. Hom. 7. tentiæ fuit, & S. Basilius inquiens[c] *Dracones enim, & Murænæ, & Anguillæ in limosis fluminibus nascentes,* nii errorem
[d] Hex. l. 5. ca. 2 *itemque stagnis, uenenū iaculantibus reptilibus magis quàm piscibus, iuxta naturæ similitudinem appropinquant*, cui etiā secuti.
[e] lib. 24. de. ani. consentit S. Ambrosius, dicens,[d] *Quid dicam genera Serpentium, Dracones, Murænas, Anguillas.* Sed adhuc
rursus, ac grauius multò errat Albertus, scribens,[e] *Draco maris (ut dicit Plinius) ingens est bestia ad-* Alberti er-
modum serpentis formata, sed pinnas habet, quibus utitur ad natandum, & impetu uno multa maris spatia pernatat, magni- ror.
tudine uirium suarum. Est autem bestia uenenosa, & quosque momorderit pisces, uel alia animalia moriuntur; Nam non
solùm, fictum, ac à nullo vnquam visum maris Draconem pingit; sed id etiam falsò in au B
thorem Plinium refert; Quādo huiusmodi imaginarii Draconis nunquam meminerit ipse,
[f] Vulg. comm. in Licet[f] Andreas Matthiolus (cui pro sedula & diligenti, quā in simplicibus dignoscendis Matthioli er
Dios. l. 2. ca. 13 operam nauit, plurimū certè debemus) Alberti potius errore ductus, quàm ipsa Pliniana ratum.
lectione certior factus, *hoc idem Plinio tribuat.* Verùm cum ipse, hunc Alberti, Draconem, eum
non esse, de quo Dioscorides, ac Aristoteles pertractant, paulò post aduerteret; Horū ma Matthioli al
rinum Draconem describere volens, non hunc piscem nostrum, qui verè marinus Draco ter error.
[g] Vulg. com. in est,[g] sed *Hippocampum* (vt cuiqȝ eius descriptionem contemplanti patet) *pingit*, vulgari (vti ar C
Dios. li. 2. ca. 13. bitror) nomenclatura deceptus, Nonnullis enim in locis Hippocampus. *il Dracone marino uul*
[h] li. de pisc. ca. 19 *gò* appellatur. *Postemò Iouius* etiā in hoc pisce cognoscendo aberrat[h] *ipsum*, propterea quòd Iouii dece-
Romæ *Tragina* vocetur, (nominis similitudine deceptus) *antiquorum Trachurū esse* asserens; Cum ptio.
Trachurus piscis sit ab hoc longè diuersus, vt historia nostra decima tertia demōstratur.

VTRIVSQVE MARINI DRACONIS DESCRIPTIO.

Maior Draco ore est minutis dentibus denticulato, non in longitudinem, sed in o-
bliquum, nec recta, sed curua scissura scisso; Conuexa enim latera inferioris ma-
xillæ (quæ paulò longior est superiore, nec rectà, sed obliquè sursum porrigitur) à
concauis superioris lateribus, dum os clauditur, suscipiūtur. Oculos amplos, permagnis
superciliis munitos habet; Capútqȝ vniuersum magnū etiam, & rotūdum; Ac branchias
[i] lib. 32. cap. 11. vtrinqȝ quaternas; Quarū, exterius operculum[i] ut Plinius quoqȝ[k] ac Isidorus Hyspalen-
[k] lib. 12. cap. 6. sis testantur, *Aculeo ad caudam spectante armatur*; Et quemadmodum piscibus aliis quāplurimis, ita D
& ei, binæ vtrinqȝ insunt pinnæ, Duæ maiores in lateribus prope brāchias, Aliæ verò duæ
minores in ventre. Verùm cū hæ, quæ in ventre subsistūt, in piscibus cæteris, caudæ pro-
piores esse soleant, quā quæ in lateribus sunt, in Dracone secus accidit; Nam à cauda ma
gis recedunt ad capútqȝ propius accedunt pinnæ ventris quā laterū. Præterea cum reli
quorū pisciū nonnulli in medio ventre, alii verò inferius, versus caudā excrementorū ha
beant orificiū, in hoc ipso prope illas ventris pinnas, ac capiti proximū huiusmodi orifi-
cium consistit. Vnde fit, vt breuis admodū eius vētris capacitas interna reddatur; in qua
sicuti satis carnosus conspicitur ventriculus, sic gracilia alia apparent interanea. Ab hoc

orificio per ventrẽ mediũ ferè vſq; ad caudã,pinna alia non valde lata,ſed craſsiuſcula extẽditur.In ceruice aũt,ſiue in primo dorſo,quaternos habet aculeos,membrana tenui, anteriori parte,nigra,poſteriori verò, alba intertextos,ac [l] vt Plinius aſſerit *peſtiferos*, à quibus per dorſum reliquũ ferè vſq; ad caudã,pinna alia excurrit. Piſcis totus longiuſculus eſt,ſine ſquamis,ventre albo,capite verò,& dorſo,& reliquo corpore , maculis ſubluteis paruulis ac frequentibus depicto.Vnde cũ Ael.ſcripſerit , [m] *Marinus Draco alijs piſcibus reliquo corpore ſimilis eſt,eius caput,et oculorũ magnitudo terreni Draconis ſpeciẽ ſimilitudinemque gerunt,magni.n.ſunt,et uenuſti, maxillæ etiã ſimilitudinẽ quandam habent cũ terreſtribus,& eius pellis non procul abeſſe à terrena palpanti uidetur, ſimul & infeſtis,et uenenatis armatus eſt aculeis*,hunc noſtrũ maiorẽ Draconẽ deſcripſiſſe videtur.A quo quidem minor,vti & diximus,& ex eorũ formis apparet, in nonnullis rebus differt ; Cum
A maior.n. crebrò ad libræ vnius,& aliquando ad duarũ etiã magnitudinem excreſcat,minor ne dimidiã quidem librã implet;Præterea capite & corpore reliquo,non rotundo vt maior,ſed in latera cõpreſſo minor eſt.Cuius deniq; latera nõ ſubluteo ſolũ calore,quo maior ille inſignitus eſt;ſed frequẽtibus etiã,& obliquis, ad cœruleũ colorẽ vergentibus lineis,pulcherrimè depicta ſunt.

[l] lib.9.cap.48.
[m] lib.11.cap.41.

LOCVS ET NATVRA.

Ariſtoteles [n] *Inter piſces litorales Draconem* recenſet,quod Oppianus quoq; cõprobat,numerans enim piſces,qui circa ſaxoſa,ac arenoſa litora victitant,ſcripſit, [o] οἱ δὲ δράκοντες, καὶ αἰκισαὶ συνόδοντες, Quæ quidem verba malè vertuntur à Lippio, [p] *Et denſato dente Dracones*,cum συνόδων,nomẽ piſcis,qui dentex (vti hiſtoria noſtra 29. edocet) latinè dicitur, & non Draconis epitheton ſit;Soliuagũ,potius quã gregalem Draconẽ arbitramur;Propterea quòd,nun
B quã plures vnà capiãtur,vti piſcibus gregatim degẽtibus,accidere ſolet;Vnde in Romano etiã foro piſcatorio,quaterni aut quini vix ſimul reperiũtur. Quòd aũt captus,atque immiſſus in arenã,cauernã ſibi roſtro mira celeritate non excauet,vt [q] Plinius primũ, [r] ac Albertus, [s] & Matthiolus deinceps *falsò teſtantur*.Ex Ariſt.quẽ Plinius (vt paulò antè diximus) tranſcribit,intelligi poteſt. Ipſe.n. [t] *marino Serpenti, & nõ Draconi hoc adſcribit*.Nec pro eis excuſandis (vt in prima hiſtoria noſtra etiã declarauimus)hanc ſub terrã penetrãdi facilitatem, Draconi quoq; tribuere poſſumus.Cum nõ ſolũ,nullo ſit roſtri mucrone munitus,ſed etiã retuſa capitis magnitudine impeditus.Cum præterea Nicander, [u] *Eum maris uaſtatorẽ appellet*. [x] Dioſc. [y] Plin. [z] Oppi. [a] atq; Aelianus *Venenatis aculeis,quibus armatus eſt,id efficere declarant*.Quos quidem cũ & in dorſo,& in branchiis (vt ſupra monſtrauimus)habeat, Plinius Araneũ cũ vo
C cans, [b] *peſtiferũ animal eſſe,ſpinæ in dorſo aculeo noxium dicit*,Iſidorus Hyſpalenſis [c] *branchiarum aculeos uenenatos aſſerit eſſe*.Noſtræ verò ætatis piſcatores,& dorſi,& branchiarũ nõ venenatos ſolũ, ſed peſtiferos etiã aculeos eſſe teſtantur;Vnde à captis Draconibus ſtatim hos omnes abſcindunt,ne quempiã imprudenter piſcẽ pertractantẽ pernitiosè lædãt. Quibus profectò magis credendum eſſe cenſemus, quã Aeliano ſcribenti, [d] *Gobio , Draco,piſces marini pungendo uenenum emittunt;minimè tamen mortiferum*.Vt Volaterranus aũt inquit, [e] *Si manu dextra adripias eum,contumacẽ renitentemque experieris,ſi læua, ſubſequentẽ*. Sed maiori dignũ eſt admiratione,quod Gyllius refert,inquiens, [f] *Multi piſcatores mihi teſtati ſunt,eo tẽpore cum piſcium genus amore tenetur,ſe uidiſſe in uulnere, quod huiuſmodi piſcis inflixiſſet,piſciculos illius ſimiles generatos eſſe*.

Lippij error.
Plinij Alberti & Matthioli lapſus.
Aelianus notatur.

[n] Hiſt.lib.8.cap.13.
[o] lib.1.fol.6.55. Græcè.
[p] li.1.fo.109.3.
[q] lib.9.ca.27.
[r] lib.24.de animalib.
[s] Vulg.Comm.in Dioſc.li.2.ca.13.
[t] Hiſt.li.9.ca.37
[u] in Theriaca.
[x] lib.2.ca.13.
[y] lib.32.ca.5.
[z] li.2.fo.27.58
[a] li.11.ca.41. li.13.ca.7.
[b] lib.9.ca.48.
[c] lib.12.ca.6.
[d] lib.13.cap.7.
[e] lib.25.
[f] lib. de nominib. piſ.ca.65.

VT NVTRIAT.


Galeni teſtimonio [g] *Dracones,omnibus ijs,qui ipſis ueſcuntur,durã habere carnẽ manifeſtè apparẽt*, non ta-
D men immodicè duri ſunt;Vnde quouis modo conditi, cum nullam peculiarẽ cõditionem habeant, ſatis grati ſunt palato.Multum etiam nutriunt,nec mali ſunt ſucci.

[g] Claſ.2.fo.30 B.

QVAE ICTVI EIVS MEDEANTVR.

Vt Dioſcorides ſcriptũ reliquit, [h] *Cõtra ſpinæ ſuæ ictus remedio eſt diſſectus,et impoſitus marinus Draco*. Quod Plinius quoq; aſſerit,ſubdẽs ẽt, [i] *uel cerebro toto prodeſt*.Quibus nõ ſolũ cõſentit & Galenus,ſed declarat ẽt, [k] *Oportere uiuum ſecari,protinuſque affectis partibus apponi. Et Triglã ſimiliter eidẽ Draconis ictui mederi*.Paulus verò ait. [l] *Marini Draconis ictum plumbo infricato,aut Serpillo conciſo illinito,aut lente elixa,aut Sulphure cum aceto,aut Dracone ipſo diſſecto,foueri locus urina humana debet,abſinthium cum diluta uini potione bibi,aut eleliſphacus,aut ſurculi ficulnei, in dulci uino dilutum , aut piſcis ipſius cerebrum*. Poſtremò vt Plinius edocet, [m] *Dentium etiam ſedantur dolores,oſsibus Draconis marini ſcarificatis gingiuis*.

[h] li.2.cap.13.
[i] lib.32. Cap.5.
[k] Claſ.5.fo.85. H.
[l] lib.5.Ca.22.
[m] lib.32.Ca.7.


P.543.
N. G. Ὄνος.
L. Asellus.
V. Merluzzo.

HISTORIA VNDECIMA
DE ASELLO

NOMEN.



HIC noster piſcis decimus tertius, qui Romæ *Merluʒo*, ab Hiſpanis *Merluʒa*, à Gallis *Merlu*, à Luſitanis *Peſcada*, à Germanis *Stockfiſch*, & à Græcis noſtri temporis *Gaidaron* vocatur, Latinè Aſellus, Græcè verò ὄνος & ὀνίσκος dicitur, [a] *Cuius cum duplex* (vt infra monſtrabimus) *genus ſit, maiorum unum, minorum uerò alterum* vtrunqꝫ ὄνον, & ὀνίσκον appellari, Galenus aſſerit, inquiens; [b] *Quos Philotimus ὄνους uocauit, alij ὀνίσκους dixerunt*, A cuius ſententiæ Athenæum etiam fuiſſe arbitror, ſcribens enim ὄνος καὶ ὀνίσκος φησίν Ἀριστοτέλης ἐν τῷ περὶ ζωϊκῶν ἔχει στόμα ἀνερρωγὸς ὁμοίως τοῖς γαλεοῖς, hoc eſt, *Aſinus & Aſellus, dicit Ariſtoteles in libro de animalibus, habet os maximè reſciſſum, nō ſecus quàm Galei*, ὄνος ἀπὸ τοῦ ὀνίσκου diuerſum facere non videtur. Aduertendum tamen eſt [d] ſolùm ὄνον, & nunquā ὀνίσκον (& ſi ſecus hic teſtetur Athenæus) Ariſtotelem meminiſſe; Quapropter genus indifferenter vtrunque ὄνον ab ipſo vocari (niſi de maiorum tantùm genere, eum locutum eſſe velimus) credere oportet. Vt alii verò volunt, differt [c] ὄνος ab ὀνίσκου, ita vt maior aſellus ὄνος, minor ὀνίσκος uocetur. Qui quidem ὄνος [f] γάδος etiam [g] & βάκχος [h] & καλλαρίας appellatur. Et ſi nonnullis [i] βάκχος [K] ac καλλαρίας, non ὄνος ſed ὀνίσκος ſit. ὀνίσκος verò [l] γαλλαρίας quoque [m] & γαλλερίδας [n] & γελαρίης, [o] & καλλαρίας, [p] & χελλάρης, [q] & μαξεῖνος, [r] & βάκχος dicitur. Eſt autē huic piſci B vel teſte Mar. Varrone [s] *Propterea quòd aſininum colorem habeat*, vel vt Oppianus author eſſe videtur [t] Quoniā aſini inſtar ſegnis ſit, Aſelli nomen; & ſi indignè vt Ouid. teſtatur, inquiens.

[u] *Et tam deformi non dignus nomine Aſellus.*

DVO ESSE GENERA, ET QVIBVS AB INVICEM DISTINGVANTVR.

Plinius, Oppianus, atqꝫ Dorion, duo Aſellorū genera conſtituunt, quibus autē hæc ab inuicē differāt genera, manifeſtè ac plenè ſatis explicat nemo; Quamobrē (eorū ſcriptis nitentes) id nunc nos operā dare oportet. Cum Plinius itaqꝫ ſcribat, [x] *Aſellorum duo genera, Callariæ minores; & Bacchi, qui non niſi in alto capiuntur, ideo prælati prioribus*. Quatruplici inter ſe differentia Aſellos differre, aſſerere videtur; Primùm .n. ſicuti priores, quos Callarias vocat, minores C facit, Sic alteros, quos Bacchos appellat, maiores eſſe innuit. Eodem præterea authore, loco etiā differunt, inquiens enim, *Bacchos*, quos magnos cenſet, *non niſi in alto capi*; Callarias quos minores ſtatuit, litorales eſſe inferre videtur; Cui aſſentitur & Oppianus, quippe qui [y] *ὀνίσκους inter minores ac litorales piſces*, [z] *ὄνους* verò *inter maiores, ac alto mari degentes connumerat*. Præſtantia deinceps eos ſeperat Plinius, dicens, *ideo Bacchi prælati prioribus*. Poſtremò nominibus quoqꝫ diuerſi ſunt. Plinius nanqꝫ *minores Callarias, maiores Bacchos* appellat; Et ſi alibi Callariam ab Aſellorum genere ſeparare videatur, inquiens, [a] *Callarias Aſellorum generis, ni minor eſſet*. Oppianus verò, ac [b] Dorion *minores ὀνίσκους, maiores ὄνους* vocant. Num aliis item præter has inter ſe diſtinguātur differentiis, haud certò ſcimus; Quando vti minorem Aſellum crebrò vidimus ac pertrectauimus; Ita maiorem vidiſſe, datum huc uſqꝫ nobis non eſt.

D

DESCRIPTIO MINORIS ASELLI.

Caput habet Aſellus latum admodum, ac preſſum, [c] *Os uerò magno (Galeorum inſtar) rictu diſſectum*, vt Athenæus Ariſtotelis teſtimonio teſtatur. Verùm neqꝫ hoc apud Ariſtotelem legitur, neque illud Galeorum inſtar, verum eſſe videtur. Nam cum Galeis ferè omnibus inferna corporis parte os ſit, illúdque non admodum patulum, Aſello verò in extremo roſtro, ac maximo hiatu reciſſum, nullo prorſus pacto, Galeis Aſellus ore ſimilis eſſe poterit. Cuius quidem os, ſicuti maximè dehiſcit; ſic etiam maximè denticulatum eſt. Inferior nanque maxilla, quæ paululum prominet, vno acutorum dentium ordine, ſuperior verò duplici munitur. Oculos præterea maximos, ac branchias vtrinque quaternas habet, prope quas binæ vtrinque inſunt pinnæ. Eſtque vt Epicharmi authoritate Athenæus ait; [d] πελα

Athenæus notatur.

Athenæus reprobatur.

F

[a] Pli. lib. 9. ca. 17
[b] clas. 2. fol. 29.
[c] li. 7. fo. 157. 35
[d] Hiſt. lib. 8. cap. 15. li. 9. cap. 37.
[e] Opp. lib. 1. fo. 5. 51. fol. 6. 37. Græcè.
[f] Athe. li. 7. fol. 157. 40.
[g] Pli. li. 9. ca. 17.
[h] Athe. li. 7. fol. 157. 43.
[i] Athe. lib. 3. fol. 59. 49. lib. 7. fol. 157. 42.
[K] Pli. lib. 9. cap. 17. li. 32. ca. 11
[l] Athe. lib. 7. fo. 156. 7.
[m] Athe. li. 7. fo. 157. 41.
[n] Athe. lib. 7. fo. 157. 42.
[o] Pli. li. 9. ca. 17. lib. 32. cap. 11.
[p] Athe. lib. 3. fo. 54. 49.
[q] Athe. lib. 7. fo. 157. 41.
[r] Athe. lib. 3. fo. 59. 49. li. 7. fo. 157. 42.
[s] li. 4. de lin. lat.
[t] Opp. lib. 1. fol. 109. 14. li. 3. fo. 134. 22.
[u] lib. de piſc. fo. 37. 27.
[x] lib. 9. cap. 17.
[y] li. 1. fo. 108. 31
[z] lib. 1. fol. 109. 14.
[a] lib. 32. cap. 11.
[b] Athe. lib. 7. fo. 157. 40.
[c] lib. 7. fo. 157. 36.

[d] li.7.fo.163.33 [d] πιλογάστωρ, id est, *uentriosus*, Et si alibi apud Athenæum, hanc eandem Epicharmi sententiam Athenæi mẽdum.
[e] lib 7. fol. 157. 39. rursus referentem [e] ποικιλογάστωρ, hoc est, *uarium uentrem habens*, mendosè legitur; Cum sicuti verè ventriosus, sic nequaquam vario ventre conspicitur. Corpore autem reliquo teres est. Squamis tegitur minutis, in lateribus ac dorso, ad cineraceum colorem vergentibus,
[f] M. Varr. lib. 4. de ling. lat. qualem in quadrupedibus videmus Asinis. Vnde [f] *Ei Asini nomen* (vt diximus) *inditum est*. Plinio teste [g] *Lapillos duos in capite habet*. Qui ab [h] Athenæo & Aeliano *molari figura esse creduntur*. Et si re vera, non rotunda, sed oblonga figura esse reperiantur. Solus piscium [i] Athenæo [k] ac Aeliano authoribus, *Cor in uentre continet*; Quod in minoribus, secus esse crebra sectione didicimus; eodem enim loco, quo & pisces reliqui, & non in ventre, illud habent. Num id autem in maioribus forsan verum sit, si quando maiorum occasio dabitur, periculum faciemus. Athenæus & Aelianus notantur.
[g] Pli.li.32.cap.10. [h] Athe.lib.7.fo.157.37 AElia.lib.11 ca. 32.

Interna uentris capacitas, tenuissima ac nigerrima, vndique oblinitur membranula; Quæ sola digiti admotione facillimè diuellitur. Ventriculo est crasso & albo; Intestinis verò tenuibus & rubentibus; Fel iecori committitur; Vterum autem bifidum, nec admodum oblongum; Spinam verò vnam tantum habet; Vt Athenæus Dorionis testimonio asserit, inquiens, [l] Δωρίων δὲ ἐν τῷ περὶ ἰχθύων τὴν ποταμίαν φησὶ μύραιναν ἔχειν μίαν ἄκανθαν μόνην ὁμοίαν τῷ ὀνίσκῳ τῷ καλουμένῳ γαλλαρία, hoc est, *Dorion autem in libro de piscibus, fluuiatilem ait Murænam habere unam spinam tantùm, similem Asello, qui uocatur Gallaria*, Et non, vt perperam admodum interpretatur Iouius, inquiens, [m] *Apud Dorionem fluuialis Muræna, quæ marina sit multo minor, Gallaria nuncupatur, quoniam unam tantùm habeat spinam*. Quòd ei autem vnica spina sit, non solùm ex eo verum est; quòd præter eam vnam, quæ à capite per dorsum ad extremam vsque caudam deducitur, nullæ aliæ (uti in quamplurimis aliis piscibus contingit) per carnem conspersæ apparent; sed ob id etiam, quòd ab aliis cæterorum piscium dorsi spinis, diuersa adeo ratione fabrefacta sit, ut verè vna dici possit. Cum piscium enim omnium dorsi spina multis constituatur vertebris; In piscibus reliquis, ex vtroque quamplurium superiorum vertebrarum latere, transuersales spinæ, acutæ, longæ, incuruæque adeo, vt vniuersam ventris capacitatem amplectantur, atque constituant, enascuntur; Quæ quidem sic vertebrarum lateribus committuntur, vt modicula quauis elixatione, earum ita iunctura soluatur, vt non vnam, sed plures spinas esse, conspicuum fiat; Ex Aselli verò vertebris, nullæ profectò huiusmodi spinæ, sed earum vice, transuersales solùm quidam processus, externa parte conuexi, interna verò concaui, exoriuntur; Qui quidem diuersæ, à dorsi spina, spinæ censeri non possunt; Cum neque (eò quòd prorsus vertebris connati sunt) vlla à dorsi spina dissolui elixatione possint: neque aliquam spinæ formam præseferant. Quippe qui non solùm breuissimi sunt (uix enim mediam ventris capacitatem sepiunt) sed præter spinarũ etiam rationem, in retusas admodũ desinunt extremitates; Ex quibus utrinque crassa suboriens membrana capacitatem insignem, intus vacuam extuberantémqꝫ adeo efficit, vt ventriosus Asellus ipse reddatur. Qua quidem membrana dissecta, ad amussim adeo Scaphæ forma repræsentatur, vt nihil supra. Bilibrem sæpe, aliquando verò & paulò maiorem, minorem Asellum captum vidimus.

[i] lib.7.fol.157.36. [k] lib.11. cap.32. [l] lib.7 fo.156.6. Iouii error. [m] lib.de pisc. ca. 34. A B C [n] lib.de ling.lat.

QVOD HIC PISCIS NOSTER, ASELLVS SIT.

Ne hunc nostrum decimum tertium piscem, Asellum esse, tyranni more imperare videamur; quibus persuasi rationibus id arbitremur, aperiamus oportet. Cum itaqꝫ M. Varrone teste, [n] *Ab asinino colore, quem habet, Asellus piscis dicatur*; Hic verò noster præ piscibus cæteris asininum colorem referat, iure Asellus censeri debet. Et maximè cum os admodum rescissum habeat, [o] *Cuiusmodi os Asellus* ab Athenæo *habere dicitur*; Ventriosúsque sit, [p] *Quemadmodum Asellum esse asserit Epicharmus*. Ac lapides in cerebro contineat. *Vti* [q] *in Aselli cerebro reperiri scribuntur*. Vnicámqꝫ spinam habeat sicuti [r] *unius solùm spinæ Asellum esse testatur Dorion*; Postremóqꝫ à Græcis nostri temporis Gaidaron vocetur, quasi γάδιον, antiquum Græcum nomen referre volentibus. D

[o] li.7.fo.157.36. [p] Athe.li.7.fol.163.33. [q] Pli.li.32.ca.10 Athe.lib. 7.fo.157.37. AElia.lib.11. cap.32. [r] Athe.lib.7.fol.156.6. [s] Athe. lib. 7.fo.157.36. AElia.lib.11. cap.32.

NATVRA, ET MORES.

Solitarius piscis est Asellus, [s] *minimè enim gregatim degit*; Quò forsan fit, vt par-

tus eius deprehendi non posit, sicuti[t] Oppianus[u] ac Aelianus tradidere; Quod quidem ab Aristotele quoque scribi, falsò asserit[x] Iouius; Cum nullibi id apud eum legatur. Ab Oppiano, de maiori Asello loquente,[y] *Segnis etiam censetur*; Cum pisces venatur, ea ab Aristotele vti solertia dicitur,[z] *Vt obruat arena sese, cumque nullam sui corporis partem intectam reliquerit, uerberat radiolis, quos in ore habet, quosque piscatores uirgulas uocant, Quas pisciculi cum aspexerint, adnatant quasi ad algas, quibus uesci soliti sunt*. Verùm in minorum Asellorum ore, nullos huiusmodi radiolos, aut virgulas haberi, certò scimus. Num verò in maiorum ore reperiantur, si quando eorum copia dabitur, cotemplabimur, De quorum maiorum venatione agens Oppianus [a] *Eos minoribus insidiari piscibus ait*; Quo autem astu insidias illis tendant, minimè edocet, Idem author est, [b] *Maiorem hamo infixum, haud sponte trahentem sequi, sed plurimum reluctando, sæpe hamo solutum (piscatore dolente) effugere*. Et vt idem etiam tradit, [c] *Minori, pro esca in capiendis Orcinis utuntur piscatores*.

Iouii error. Aristoteles notatur. A

LOCVS.

Vt Plinius scribit,[d] *Marinus piscis est Asellus*; Et Oppiano teste[e] *Minor cœnosis ac herbosis litoribus pascitur*. Vtriusque verò testimonio[f] *Maior in alto mari degit, caua saxa colens*,[g] *AEstus impatientia mediis feruoribus sexagenis diebus latet, indicio autem esse uidetur, quòd longo interposito tempore capiatur*;[h] *Quòd solus enim piscium æstate lateat*, vt Athenæus testatur.[i] Aristoteli[K] ac Plinio aduersatur. Quippe qui non Asellum solùm, *Sed Glaucum etiam, ac Auratam æstate latere dicunt*.

Animaduersio in Athenæum. B

QVANTAE NOBILITATIS SIT.

Vt author est Plinius,[l] *Post Accipenserem, apud antiquos piscium nobilissimum habitum, præcipuam authoritatem fuisse Lupo, & Asellis Cornelius nepos, & Laberius poëta mimorum tradidere*. Teste Galeno.[m] *Aselli, si probo utantur alimento, & mari puro, carnis bonitate cum saxatilibus contendunt*. Et eodem authore[n] *mollem carnem habent, & si non æquè, ac saxatiles friabilem*.[o] *Vnde si saxatiles desint, huiusmodi Asellis uti possumus*.[p] *Qui prauo alimento utuntur, aut in aquis mixtis, & potissimùm si eæ uitiosæ fuerint, degunt; carnis quidem mollitiem non abijciunt, sed pinguitudinem ac lentorem acquirunt, & ob id neque suaues amplius, ut ante manent, & alimentum ex seipsis excrementitium reddunt*.[q] *Qui Bacchus autem appellatur*, (Plinio authore) *aliis præfertur*. Vt verò testatur Diphilus,[r] *boni succi est, sed non facilis concoctu, uirosumque aliquid in se habet*.

C

CONDIMENTVM.

Si gulæ mos gerendus sit, aut torreri, aut frigi; Si verò sanitati consulendum. Vt Galenus docet[s] *In albo iure elixari debent recentes Aselli*, Fit autem ius album, vt idem tradit hoc modo;[t] *Copiosam aquam primùm in ollam iniice, deinde olei quod satis sit, adfundito, cum pauco anethi & porri, deinde cum pisces semicocti fuerint, salis tantum inspergito, quoad totum ius salsum nondum appareat. Hæc præparatio uel ægris ipsis est accommoda*. Saliti autem, qui non in ligneis vasculis garo madentes, sed osis ferè instar, exiccati asseruantur; non nisi vel prius tota nocte in aqua macerati, vel paulò ante, ligneo malleo (quod maximè Tridentinæ mulierculæ faciunt) admodum contusi, probè excoqui possunt.

D

IN MEDICINIS VSVS.

Vt ab Aëtio proditum est;[u] *Recens Asellus in albo iure coctus, omnem interaneorum morbum sanat, maximè alui ab acribus humoribus infestatæ*. Teste verò Plinio[x] *Lapilli, qui in capite eius plena luna inueniuntur, contra febrium circuitus in linteolo alligantur*.

[t] lib.1.fo.116.39
[u] lib.11.cap.32.
[x] lib.de pisc.cap.20.
[y] li.1.fo.109.14
lib.3 fol.134.22.
[z] Hist.lib.9.ca.37.
[a] lib.1.fol.109.14.
[b] lib.3.fol.134.22.
[c] lib.3.fol.135.11.
[d] lib.32.cap.11.
[e] lib.1.fo.108.31
[f] Plin.lib.9.cap.17. Opp.lib.1.fol.109.14.
[g] Hist.lib.8.cap.15. Pli.lib.9.ca.16. Opp. lib.1.fo.109 14. Aelia.li.11.ca.32
[h] lib.7.fol.157.37.
[i] Hist.li.8.ca.15
[K] lib.9.cap.16.
[l] lib.9.ca.17.
[m] clas.2.fol.29.F.
[n] clas.2.fo.43.H. clas.7.fol.50.F.
[o] G. clas.2.fol.44.A. clas.7.fo.45.G.51.F.
[p] Gal.clas.2.fo.29.F clas.7.f.51.F.
[q] lib.9.cap.17.
[r] Athe.lib.8.fo.177.35.
[s] Gal.clas.2.fo.29.H.clas.7.fol.45.G.
[t] Gal.clas.2.fo.29.H. clas.7.fol.107.G.
[u] terrabibli.1. Sermo.2.
[x] Pl.li.32.ca.10


P.X.IIII.
N. G. Κεφαλος.
L. Mugilis.
V. Cephalo.

HISTORIA DVODECIMA
DE MVGILE.

NOMEN.



PISCIS noster quartus decimus, qui Romæ *Cefalo*, Venetiis *Cievalo*, Senis *Mazone*, & in Gallia *Mullet* appellatur, Latinè *Mugil*, & *Mugilis*; Græcè verò κεστρεὺς dicitur,[a] *Eo quod teli modo, publica Atheniensium pœna intret adulteros; Est enim missilis genus Cestron, quod nostri Veruculum uocant.* Vnde &
A Iuuenalis ait,

> [b] *Necat hic ferro, secat ille cruentis*
> *Verberibus, quosdam mœchos & Mugilis intrat.*

Vt verò Polemon apud[c] Athenæum testatur, vocantur κεστρεῖς à quibusdam etiam πλῶτες.

SPECIES PLVRES.

Cum authores tum in genere assignando, tum in speciebus constituendis, eius, de quo nunc agitur piscis, inter se admodum discordes videantur; Sicuti iure,[d] Iouio minus successemus, quod toto (vt aiũt) in re hac, aberrauerit cœlo. Sic omnia hæc, quoad fieri poterit, lucidiora reddere nitemur. Cũ κεστρεὺς igitur nõnullis (vt infra docebimus) species sit; Aristoteli tamen, Dorioni, ac Euthydemo, genus est; Et si in species easdem ab iis non distribuatur; Ab Arist. nanque τῶν κεστρέων, species quatuor recensentur,[e] χάλλωνις, σάργος, μύξων,
B & κέφαλος;[f] Dorion cum in libro de piscibus τῶν κεστρέων alios marinos, & alios fluuiatiles faciat; Marinorum species duas numerat, κέφαλον, & ἐν ποσίν,[g] Euthydemus verò in libro de salsamentis τῶν κεστρέων species duas constituit, φλωΐα, & διδακτυλία. Alii autem & si κεστρέα, nõ genus, sed speciẽ (vt diximus) esse velint, huius tamen quo de agimus piscis, genus vnũ esse, ac species plures haud inficiantur; Hicesius.n. genus hoc Λευκίσκον appellat, quatuórque ab eo vocatorũ Λευκίσκων species dinumerãtur,[h] κέφαλοι, κεστρεῖς, χελῶνες ac μύξινοι. ab Oppi. generis huius (cui nullum ab eo inditũ est nomen)[i] & κεστρεὺς, & κέφαλος species tãtùm censentur.[K] Galenus verò Λευκίσκον, nõ genus facit, sed Mugilũ speciebus annumerat. Quamobrem tanta existente in his constituendis speciebus auctorũ varietate, si quæ nam earũ, re ipsa, quæ ue nomine tantũ abinuicẽ differãt (vti par est) contemplari velimus; De vna
C quaq; seorsũ, ac priuatim pertractemus oportet, ab illis, quas Arist. recẽsuit, exordiẽtes.

DE PRIMA MVGILVM SPECIE, QVAE ΧΕΛΩ'Ν ID EST LABEO DICITVR.

Primùm itaq; apud Arist. primã Mugilum speciem referentẽ,[l] χάλλωνις mendosè legitur quando in Athenæo,[m] tum hanc Arist. sententiam,[n] tum aliam Hicesii in qua species hæc recensetur, citante, non χάλλωνις, sed χελῶνες habeatur; Et alibi apud eundem Arist, speciem hanc[o] χελῶνα vocari reperiamus. Vnde sicuti χάλλωνις in Arist. ita & alibi in Athenæo[p] κολῶνες, ac in Eustathio[q] χελλῶνες corruptè legi arbitramur; locísque omnibus χελῶνες, restituendũ esse; Ita vt prima species hæc, χελῶν tum ab Arist. tum ab Hicesio vocetur; Nec
D enim obstat quod non Mugilum, sed Leuciscorum species censeatur ab Hicesio; Cum τῶν κεστρέων Arist. Dorionis, atque Euthydemi; & τῶν Λευκίσκων Hicesii, idem re ipsa genus sit, solo nomine differẽs; Appellãtur præterea eodẽ Hicesio auctore,[r] χελῶνες etiam βάκχοι, Ni mendosus locus sit, βάγχοι que (vti suspicor) legi potius oporteat; propterea quod inter Aselli species[s] à Plinio,[t] à Dorione,[u] atque ab Euthydemo Bacchus dinumeratur, & non inter Mugiles, Banchus verò à Plinio[x] nõ solũ inter pisces, sed etiã[y] inter Mugiles recensetur. Et si non χελῶνα, vt hic testari videtur Hicesius; sed *Myxona à quibusdam Banchum uocari asserat.* Vertitur aũt χελών à Theodoro Labeo, eo quod ἀπὸ τοῦ χείλεος, (id est à labro) deducatur; Vnde cum Ouidius,[z] Plinio referente. *Placentem cauda labrum*, inter pisces numerauerit χελῶνα siue labeonem, ab eo labrum vocatum fuisse, iure credere possumus.

DE SECVNDA MVGILVM SPECIE, QVAE ΣΑ'ΡΓΟΣ AB ARISTOTELE, ET ΚΕΣΤΡΕΥ'Σ AB HICESIO VOCATVR.

Secunda species σάργος dicitur[a] ab Arist. Verũ cũ præter hanc Mugilũ speciẽ, alius etiã

Marginal notes:

Iouij lapsus.

Arist. Athen. et Eust. locus castigatur.

Athen. locus emendatur.

[a] Volat. lib. 25. Herm. in Cast. Plin. Cælius li. 27. cap. 4.
[b] Satyr. 10. 32.
[c] li. 7. fol. 153. 31 Eust. f. 1177. 62
[d] li. de pis. ca. 10
[e] Hist. li. 5. ca 11
[f] Athe. li. 7. fol. 153. 17. Eust. fol. 1177. 62.
[g] Ath. lib. 7. fo. 153. 27. Eust. fol. 1177. 62.
[h] Athe. lib. 7. fo. 153. 14. Eust. fol. 950. 8
[i] lib. 1. fol. 5. 57. Græce.
[K] clas. 2. f. 28. H
[l] Hist. li. 5. ca. 11
[m] li. 7. f. 153. 21.
[n] li. 7. fo. 153. 15 & 16.
[o] Hist. li. 6. c. 17 li. 8. ca. 2.
[p] lib. 8. fo. 177. 37. & 38.
[q] fol. 950. 8.
[r] Athe. lib. 7. fo. 153. 17. Eust. f. 950. 8.
[s] li. 9. cap. 17.
[t] Athe. lib. 3. fo. 59. 49.
[u] Ath. li. 7. fol. 157. 42.
[x] li. 32 ca. 11.
[y] lib. 32. cap. 7.
[z] lib. 32. cap. 11.
[a] Hist. li. 5. ca. 11. lib. 6. cap. 17.

piſcis ſit, qui tum ab eo, tũ ab aliis quãplurimis ſcriptoribus, σάργος vocatur (vt noſtra.59. hiſtoria Sargo dicata, videri poteſt) ſicuti illũ à Mugilibus diuerſum, Sargum, ita hunc, qui inter Mugiles recenſetur, Sargonẽ vertit Theodorus; Vt aliquã inter eos, nominis (vti arbitror) ratione, differentiã conſtitueret; Et licet τȣ͂ σάργου, ſiue Sargonis inter Mugilũ ſpe-
[b] lib.7.fo.153.21. cies Ariſt. ſolùm, & [b] Athenæus hanc Ariſtotelicam ſententiã citans, meminerint; Hanc tamen ipſam ſpeciẽ ab Hiceſio κεςρέα vocari opinamur; idque non ea ſolùm ratione, quod ſicut τῶν κεςρέων ſecunda ſpecies ab Ariſt. Sargo, ita τῶν λευκίσκων ſpecies ſecunda κεςρεὺς ab Hiceſio dinumeratur; Sed ob id etiam, vt quemadmodum Mugilum ſpecies, Leuciſcorum ſpeciebus æquales ſunt numero, re item ipſa eaſdem faciamus.

DE TERTIA MVGILVM SPECIE, QVAE ΜΥ'ΞΩΝ, SIVE MVCO APPELLATVR. A

[c] Hiſt.li.5.ca.11. li.6.ca.17. Tertia ſpecies [c] ab Ariſt. μύξων, [d] ab Athenæo Ariſtotelem citante μύξος, [e] ab Hiceſio (vt
[d] li.7.f.153.22 Athenæus refert) μύξινος; [f] Vt vero ſcribitur ab Euſtathio μυξῖνος vocatur; Cuius Plin. quoq; mentionẽ faciens, [g] Myxona appellat, *Banchumque* (vt ſupra diximus) *à nonnullis etiam dici aſſerit*, à
[e] li.7.fo.153.15 li.8.f.177.36 Theodoro verò græcã nomenclaturã latinè reddere volente, Muco vertitur; Et cũ rurſus de Mugilibus agens Ariſt. dicat, [h] ἔςι δὲ ὁ μὲν κέφαλος πρόσγειος, ὁ δὲ περαῖος, οὐ βόσκεται δὲ ὁ πε-
[f] fol.950.8. ραῖος, ἀλλ' ὁ μύξων τῇ ἀφ' αὑτȣ͂, διὸ καὶ νῆςις ἐςὶν ἀεὶ hoc eſt, *Eſt quidẽ capito qui litoribus gaudet, alter verò translito-*
[g] lib.32.cap.7. li.35.cap.12. *ranus eſt, qui non niſi mucore veſcitur ſuo, quamobrem ſemper ieiunus eſt.* μύξωνα ſiue Muconem, περαῖον, id eſt Translitoranũ vocaſſe videtur; cũ μύξων à muco, ex quo [i] (authore Euſtathio) naſcitur, cu-
[h] Hiſ.li.8.ca.2. iuſque maximè particeps eſt, nomẽ trahat; περαῖος verò præ cæteris Mugilum ſpeciebus
[i] ſo 950.9. muco abundet, quippe qui eo ſolo veſcatur; Verùm cũ [k] apud Athenæum hunc Ariſt. lo- B
[k] lib.7.fol.153.25. cum citantẽ, non περαίας, ſed φεραῖος legatur; Sicuti in Athenæo ex Ariſt. φ. in. π. corrigerẽ, ſic in Ariſtotele ex Athenæo, αι.in.ος. emendarem, ita vt in vtroque περαῖος haberetur; Eun- *Athen. locus corrigitur.*
[l] fo.950.7. dem præterea μύξωνα ſiue [l] μυξῖνον parui Cephali ſpeciem eſſe dicit Euſtathius.

DE QVARTA SPECIE, QVAE κέφαλος VOCATVR.

[m] li.7.f.153.28 Quarta ſpecies κέφαλος appellatur, [m] *propterea quod* (vt apud Athenæum author eſt Euthydemus) *magnum caput habeat*, Cuius omnes, qui Mugilum, aut Leuciſcorũ, ſpecies enarrarunt,
[n] Hiſ.li.5.ca.11. meminere; Vertitur autem à Theodoro Capito; & licet [n] Ariſt. κέφαλον & χελῶνα id eſt *Capitonem ac Labeonem* diuerſas Mugilum ſpecies fecerit, alibi tamen Capitonem, Labeonẽ etiã à
[o] Hiſ.li.8.ca.2. quibuſdã vocari teſtatur, inquiẽs, [o] ἔςι δὲ ὁ μὲν κέφαλος ὅν καλοῦσί τινες χελῶνα, hoc eſt, *Eſt autem Capito, quem aliqui Labeonem vocant.* Quæ quidem Ariſtotelis ſententia, in Athenæo eam citante, C
[p] li.7.fo.153.24 ſic mendosè (vti arbitror) legitur, [p] ἔςι δὲ ὁ μὲν κέφαλος, ὁ δὲ χελὼν, [q] *Differt autem* (vt Dorion *Athenæi locus mẽdoſus.*
[q] Ath.li.7.f.153.20. ait) *Cephalus à Cephalino, qui Cephalinus βλεψίας etiam dicitur.*

DE EA MVGILVM SPECIE, QVAE νῆςις DICITVR.

[r] Ath.li.7.f.153.18. Euſ.f.1177.62. Νῆςιν Mugilum ſpeciem eſſe [r] Dorion (vt diximus) arbitratur, cui non ſolùm [s] Athenæus quoque aſſentitur, ſed id etiã *authoritate Archippi in Hercule uxorem ducente. Antiphanis in Lampone, Alexis in Phryge, Amipſiæ in opere quod ἀποκοτταβίζοντες inſcribitur, Euphronis, Philemonis in commorientibus, Ariſtophanis in Ge-*
[s] li.7.f.153.40. *rytade, Anaxandridis in Vliſſe, Eubuli in Nauſicaa*, comprobare contendit. Et ſi hi authores omnes νῆςιν non Mugilũ ſpeciem, ſed Epitheton eſſe (quaſi ieiunũ Mugilem dixerint) indicent; vti ex *Athenæus notatur.*
[t] li.7.f.153.40. eorũ ſententiis [t] ab Athenæo adductis, facilè ac clarè intelligi poteſt; Eſtque & [u] Ariſt. Epi-
[u] Hiſt.li.8.ca.2. theton, & non ſpecies νῆςις. Verùm cũ illũ ſolũ Mugilum, quem περαῖον vocat, (propterea D
[x] Athe.li.7.fol.153.53. quod nullo alio, quàm muco ſuo) veſcatur nutrimẽto, νῆςιν ſiue ieiunũ cenſeat Ariſt. [x] Scriptores reliqui, *Mugiles oẽs ieiunos vocant, nõ quòd, non nutrimento, ſed quoniam nulla animata utantur eſca.* Et licet
[y] Euſ.f.1177.63 Dorioni Mugilum ſpecies ſit νῆςις, haud tamen diuerſam, à quatuor hucuſque recenſitis,
[z] Hiſ.lib.8.ca.2 ab eo ſpeciem conſtitui νῆςιν, arbitror; Sed μύξωνα potius ſiue Muconem, ab eo νῆςιν appella-
[a] Athe.lib.7.fo.153.28. Euſt. fol 1177.62. ri ſuſpicor; cum [y] νῆςις Mugilum ſpecies, *à ieiuno nomen habeat*, [z] μύξων verò (qui & περαῖος dicitur vt docuimus) *quippe qui ſuo ſolo veſcatur muco, ieiunus ſemper exiſtat.*

DE MVGILVM SPECIE, QVAE σφηνεὺς DICITVR.

[b] Ath.l.7.f.153.29. Σφηνεὺς (ſiue Spheneus, vel Cuneatus) inter Mugilum ſpecies à ſolo dinumeratur [a] Euthydemo [b] dicitúrq;, eodẽ authore, σφηνεὺς, *propterea quod figura ſit quadrangula et vacuus.* Quãobrẽ

ſicuti ipſum, ieiunii cauſa, vacuũ exiſtere, ſic eadem etiã ratione cum ex Mugilibus eſſe, quem μύξωνα ab Ariſt, ac νῆστιν à Dorione vocari monſtrauimus, iure opinari poſſumus.

DE MVGILVM SPECIE, QVAE διδακτυλεύς NOMINATVR.

Mugilum ſpeciebus διδακτυλεύς etiam annumeratur [c] ab Euthydemo; Et ſi tum [d] apud Athenæũ, tum [e] apud Euſtathiũ non διδακτυλεύς, ſed δακτιλεύς deprauatè legitur. [f] Dicitur autem, vt idem Euthydemus teſtatur, *διδακτυλεύς eo quod latitudinem duobus digitis minorem habeat.* Vnde minorem potius dictarum ſpecierum, quàm aliquam vnam ab illis diuerſam, διδακτυλεία eſſe ſuſpicari debemus.

Athenæi & Euſtathy locus corrigitur.

[c] *Ath. li. 7. f. 153 29. Euſt. fol. 1177. 63.* [d] *lib. 7. fol. 153. 28.* [e] *fo. 1177. 63.* [f] *Ath. li. 7. fo. 153 29.*

DE MVGILVM SPECIE, QVAE λευκίσκος APPELLATVR.

Ne in Leuciſco ſua etiam deſit difficultas, Hiceſio (vti dictum eſt) Mugilum genus Leu
A ciſcũ eſſe teſtante; aliiſque (vt Galenus refert) diuerſos à Mugilum genere piſces eſſe Leuciſcos arbitrantibus; Galenus ipſe neque Mugilum genus, neque à Mugilũ genere diuerſum, ſed Mugilum ſpeciem, fluuiatilem nempè, ac paulò candidiorẽ, capitéque minori, & ſapore acidiore facere videtur, inquiens. [g] *Quidam noſtrates piſces quoſdã in fluuios genitos λευκίσκους nominant, rati diuerſos eſſe à Mugilum genere; Cæterum omnino Animal animali eſt ſimile, niſi quòd λευκίσκος paulò eſt candidior, caputque habet minus, & ſaporem acidiorem.*

[g] *clas. 2. fo. 28. H.*

NVM OMNES ENARRATAE SPECIES NOBIS NOTAE SINT.

Prædictæ, ac ab antiquis cõſtitutæ Mugilũ ſpecies num nobis cognitæ ſint, quibúsue nouis nominibus hodiè vulgò appellentur, haud facilè eſt explicatu; Quando præter id, quòd Veteres ſcriptores earum notas perparcè adeo tradidere, ut Oedipo potius quàm
B Dauo opus ſit, ſi inter ſe dignoſci debeant; Noſtræ quoq; ætatis homines, ſicuti plurimas Mugilum differẽtias, ſpeciésue reperiri fatentur, ſic neq; certis cõſpicuíſq; notis, neq; proprio cuiusq; vulgari nomine eas diſtinguunt; Ille tamen Mugilum, quem & capitatũ magis, & ſapidiorem diiudicabimus, quauis noua (pro gentium varietate) nomenclatura vocetur, veterũ capito credi iure poterit; [h] *Cum Capito, eò quòd magnũ caput habeat, dicatur* ab Euthydemo; [i] Ac *Mugilum omnium ad guſtum, & ad bonum gignendum ſuccum optimus ſit* Hiceſio authore; [K] *Viſcereque prætenero*, vt ſcribit Auſonius; Qui verò ſecundos bonitatis honores meretur, κεστρεύς cenſeatur; Cũ [l] Hiceſius *κεστρέα poſt capitonem ſecundo collocauerit loco.* Cuius nullam aliã à ſcriptoribus notam tradi ſcimus; His deinceps inferior Myxon, uel Myxinus erit; propterea quod [m] *Capitone ac ceſtreo inferiorem Myxinum* idẽ fecerit Hiceſius; Et maximè ſi ieiunus quoq; appareat, ut
C qui ſolo ſuo veſcatur muco; paruùſq; exiſtat; Nã [n] *Parui Cephali ſpeciẽ Myxinũ eſſe teſtatur Euſtathius.* Quem demum omnium infimum fatebimur, Chelonem vocabimus, quando [o] *Omnium infimum Chelonẽ eſſe, Hiceſius aſſerat.* Et præſertim ſi labrorũ etiã magnitudine (Vnde nomen duxiſſe creditur) ab aliis diſcrepet; Galeni autem *Leuciſcum*, piſcem, qui *Squalus Alburnuſque* appellatur, eſſe arbitramur; vt hiſtoria noſtra decima ſexta, ac decima octaua declarabimus.

H. [h] *Ath. li. 7. f. 153 28.* [i] *Ath. lib. 7. fol. 153. 15. l. 8. f. 177. 37.* [K] *in Moſella.* [l] *Ath. li. 7. f. 153 28.* [m] *Ath. lib. 7. fo. 153. 28.* [n] *fo. 950. 7.* [o] *Ath. lib. 7. fo. 153. 28.*

DESCRIPTIO.

Sicuti Mugilum nonnulli caput magnum ac depreſſum, roſtrum verò breue ac retuſum habent, ſic alii capite minori ac rotundiori, roſtróq; magis extento & acutiori ſunt; Os omnibus eſt paruum, rotundiuſculum atq; edentulum. Vnde [p] *Cũ Mugili Ariſtotelis authoritate ſerratos dẽtes tribuat Athenæus*, mendoſum aut falſum codicẽ eius iudicare debemus; Cum id ex-
D perientiæ aduerſetur, & nullibi apud Ariſtotelem legatur; Pinnas vtrinque binas habent; Illis demptis, [q] *Quos lacus Sipharum gignit; quibus* (Ariſtotele teſte) *una tantùm utrinque ineſt.* Præter has autem, quæ utrinque conſiſtunt pinnæ; In uentre ab ano unam, in dorſo uerò duas, priorem et aculeis quibusdam armatam in eius medio, alteram ſine aculeis inferius uerſus caudam Mugiles omnes habent; Omnes etiam à branchiis lineas aliquot ſubobſcuras ad caudam deductas habere uidentur; Et ſi non æquè in omnibus conſpicuæ ſunt; [r] *Squamis teguntur;* Dorſo ſunt ſubnigro; Ventre uerò candido; [s] *Ventriculus carnoſus eſt;* [t] *Cui parte altera plures appendices exeunt; altera uerò una tantum;* Inteſtina craſſa ſunt, & pinguia; Hepar pallet; Lien uerò nigricat.

Athenæus notatur.

[p] *li. 7. fo. 153. 23* [q] *Hiſt. li. 2. ca. 13 Par. li. 4. c. 13* [r] *Hiſt. lib. 6. ca. 13 Gal. clas. 2. fo. 28. E* [s] *Ariſto. lib. 3. de part. ca. 14.* [t] *Hiſt. li. 2 ca. 17*

ORTVS.

Vt tradit Ariſtoteles,[u] *Cum genus quoddam Mugilum ſit, quod non coitu, ſed ex limo, arenaue naſcatur; Sunt qui omne eorum genus ſponte oriri opinentur, ſed non rectè. Nam & oua eorum fœminæ, & ſemen genitale mares habere cernuntur.* Eodem authore,[x] *Decembri graueſcentes, tricenis diebus gerunt,* Et vt idem etiam ſcribit,[y] *Laborant per id tempus, quo gerunt uterum, unde fit, ut tunc potiſſimum ruant in terram, atque excidant, feruntur porro graui ſtimulo agitati in terram; atque omnino id temporis motu perpetuo incitantur donec pariant;*[z] *Pariunt autem ſemel in anno*[a] *in hyeme ſcilicet.* Et ſi Ariſtobuli teſtimonio Strabo aſſerit,[b] *Aſcendere è mari Mugiles in Nilum in uere cum prægnantes ſunt, deſcendere uerò paulo ante pleiadis occaſum, unà omnes parituros.* Eodem autem Ariſtotele teſte[c] *Circa fluuiorum oſtia maximè pariunt,*[d] *Ouaque ac fœtus eorum à nulla bellua uiolantur, quapropter copioſè exiſtunt,*[e] *Sed cum adoleuerint à cæteris piſcibus corripiuntur, maximeque ab Archano.* Verùm cum in nonnullis Ariſtotelis codicibus legatur, ὑπὸ τοῦ ἀράχνου, id eſt *ab Araneo,* in aliis, ὑπὸ τοῦ ἀχάρνου hoc eſt *ab Acharno,* in aliis uerò, ὑπὸ τοῦ ἀρχάνου id eſt (ut legit ac uertit Theodorus) *ab Archano;* ob eas rationes, quas in decima noſtra hiſtoria, aduerſus Petrum Gylliũ adduximus, ὑπὸ τοῦ ἀχάρνου legendum eſſe arbitramur; Acharnúmque lupum eſſe cenſemus. A

Ariſtotelis locus caſtigatur.

LOCVS.

In mari, in lacubus, atque in fluminibus Mugilem gigni[f] Galenus &[g] Diphilus ſcripſere. Quem quidem fluuiatilem, ὀξύρυγχον vocari, Diphilus ipſe ſubdit.[h] Dorion verò *marinorũ ac fluuiatilium meminit;* Ariſtotele teſte[i] *Alii litorales ſunt, ut qui Capitones dicuntur; Alii uerò translitorales, ut qui non niſi ſuo ueſcuntur mucore* Gaudent[k] *Litorales herboſis litoribus,* aut vt alii uolunt[l] *cænoſis.* Vnde[m] *Cum Capitones uerſari in luto ſoleant, efferunt ſe, urinanturque ſæpe, ut corporis ſordes abluant.* In fluminibus autem ac lacubus, non fluuiatiles ſolùm ac lacuſtres, ſed marini quoque reperiuntur;[n] *E mari nanque flumina ac lacus ſubeunt.* Cum authore Galeno[o] *Ea Mugilis natura ſit, ut à mari longiſſimè diſcedẽs, aduerſo flumine natet.* Vnde & Strabo Ariſtobuli teſtimonio ſcribit[p] *Nullum piſcem ex mari in Nilum aſcẽdere præter Mugilem, Aloſam & Delphinum, propter Crocodilos, Delphinos, quia præſtantiores ſunt; Mugiles, quia à Porcis ſecus terram ducuntur ob quandã naturalẽ conuenientiã, Crocodili uerò à porcis abſtinent, quia cum rotundi ſint, & ſpinas ad caput habeant, periculum beluis adferunt.* Facilè autẽ ex Galeni ſentẽtia, Mugiles marini à fluuiatilibus ac lacuſtribus internoſcuntur, cum eo authore[q] *Hi numeroſis ac paruis ſpinis pleni ſint, non ſecus quàm & reliqui ferè omnes in fluminibus ac ſtagnis geniti piſces; illi uerò huiuſmodi numeroſas ac paruas ſpinas non habeant, ſicuti neque ullus marinorum eas habet;* Verũ cum Muræna, & Aloſa marini profectò piſces, huiuſmodi paruis ac numeroſis ſpinis conſperſi admodum ſint, haud parùm ſuſpecta Galeni mihi redditur ſententia; Poſtremò vt proditum eſt à Columella[r] *Piſcinarum etiam clauſtra Mugilis patitur.* Vt verò ab Ariſtotele traditur[s] *Cum plurimis piſcium generibus imbres conducãt, Mugili tamen & Capitoni nocent; fit enim ut pluuiis multi ex his de facilè excæcentur, ſi modũ aqua exceſſerit; Solet enim per hyemem potius Capito ita affici, nam oculi eius albeſcunt, & macilentus per id temporis capitur; atque ad poſtremum malo eodem interit, quod non magis imbrium copia, quàm algore accidere uidetur. Iã enim tum alibi, tũ in Nauplio agro terræ Argiuæ in uadis multi capti ſunt cæci, cum hyemis fuiſſet aſperrima, multi etiam albos habentes oculos, capti ſunt.* B C

Galeni opinio ſuſpecta.

QVIBVS VESCATVR MVGIL. D

Ariſtotelis teſtimonio[t] *Piſcium omnium maximè guloſus eſt Mugil, atque inſatiabilis, quo circa uentre diſtento graueſcit; & niſi ieiunus ſit hæret iners.* In piſcium tamen genere[u] *Altero alterum ſui generis edente; non ſolum Mugiles mutuò non ſe deuorant, ſed ſoli etiã carne omnino abſtinent; Eius rei argumentũ eſt, quòd neque in uentre tale quid unquam habentes capiuntur; neque eſca in eos ex carne utimur, ſed offa panis; Veſcitur enim Mugilis omnis alga atque arena.* Vnde Oppianus etiam cecinit.

[x] In pelagi populis norit qui paſcua, ſolum
Ingenio mitem Cephalum, iuſtumque uocabit.
Non genus externum lædit, propriaſque cateruas,
Non mandit carnes, non potum ſanguine ſedat.
Eſt genus intactum, non cœdis labe cruentum;
Eiectamque ſalo cum cœno paſcitur algam.

Et ſi non ſimpliciter carne, ſed carne uiuente abſtinere Mugilem, idem alibi ſcribat inquiens.

[u] Hiſt. lib. 5. ca. 11 li. 6. c. 15. Gen. lib. 3. cap. 11. Ath. li. 7. f. 153 22.
[x] Hiſt. li. 5. ca. 11 li 6. c. 17. Ath. li. 7. f. 153. 21.
[y] Hiſt. li 6. ca. 17
[z] Hiſt. li. 5. ca. 9.
[a] Hiſt. lib. 5. ca. 11
[b] lib. 17. fol. 781.
[c] Hiſt. li. 5. ca. 10 Ath. lib. 7. fo. 163. 42.
[d] Hiſt. li. 8. ca. 2. Ath. lib. 7. fol. 153. 26. Oppi. li. 2. fo. 131. 4 Euſt. f. 1178. 2
[e] Hiſt. lib. 8. ca. 2
[f] claſ. 2. fol. 28. E.
[g] Ath. lib. 8. fol. 177. 28.
[h] Ath. li. 7. f. 153 18.
[i] Hiſt. li. 8. ca. 2.
[k] Oppi. lib. 1. fol. 108. 37. Auſo. in Moſel.
[l] Hiſ. lib. 8. ca. 2. Pauſ. lib. 4.
[m] Hiſ. lib. 8. c. 2.
[n] Hiſ. li. 6. c. 14. Ath. li. 8. f. 178 48.
[o] Gal. claſ. 2. fo. 28. G
[p] lib. 15. fo. 671. & li. 17. f. 781
[q] claſ. 2. fol. 28. G.
[r] lib. 8. capi. 17.
[s] Hiſ. li. 8. ca 19
[t] Hiſt. li. 8. ca. 2.
[u] Hiſt. li. 8. ca. 2 Ath. lib. 7. fol. 153. 24. & 53. Euſt. f 1178. 2
[x] li. 2. f. 130. 57

[y] Non gustare cibum, non hamum tangere promptus,
Ni prius aduertat si uiuæ carnis odores
Percutiant nares, pascit non corpora uiua

[y] lib. 3. fol. 140. 45. Aelia. li. 11. cap. 35.

Et vt rursus tradit Aristoteles. [z] Capitones omnes limo pascuntur; Translitoranus uerò non nisi mucore uescitur suo; quamobrem semper ieiunus existit. Vnde [a] Prouerbium natum est, Mugil ieiunat, de illis qui ab iniuria abstinent.

[z] Hist. li. 8. ca. 2. [a] Athe. li. 7. fol. 153. 35. Eust. f. 1178. 1.

NATVRA ET MORES.

Non solum [b] Mugil, ex illorum piscium numero est qui clarissime audiunt sed etiam [c] illis annumeratur, qui, eo quod fusim retibus capiuntur, fusanei dicuntur. Velocissimus est. [d] Et tam præcipuæ uelocitatis, ut transuersa naui gia interim superiactet. Censetur [e] Iners; Atque ridiculus, [f] Ridetur nanque natura eius, in metu capite abscondito, A totum se occultari credentis. Cum hamo occurrit, [g] Scit esse in esca hamum, insidiasque non ignorat, auiditas tamen tanta est; ut cauda uerberando excutiat cibos. Vnde Ouidus ait; [h] At Mugil cauda pendentem euerberat escam, Excussamque legit. Retibus uerò clausus euadere contendit, vt Oppianus testatur inquiens.

[i] Non Cephalus fraudis expers in retia lapsus
Desilit, & summas altè desiderat undas.
Nititur erectus saltu peruertere lina,
Et studio properare fugam, prudentia tanta
Non piscem fallit, postremos subere uictos
Euadit saltu funes, atque ultima fata
Sæpe fugit, caram uitam sub fraude tuetur,
Impetu si primo summum non saltet in æquor,
In laqueum lapsus non uiribus amplius ullis
Confidit, Cephalus multo languore repressus
Expertus uires, tanto discrimine cessat.

[k] Est etiam salax adeo, ut sua capiatur salacitate, vt infra dicemus. [l] Mugil & Lupus mutuo odio flagrant, Ni B gidius enim author est, prærodere caudam Mugili Lupum, eosdemque statis mensibus concordes esse.

[b] Hist. li. 4. cap. 8. Pli. li. 10. c. 70. [c] Hist. lib. 5. ca. 9. [d] Hist. li. 9. c. 37. Pli. lib. 9. ca. 15. & 42. [e] Hist. li. 8. ca. 2. Colu. l. 8. c. 17. [f] Hist. li. 8. ca. 2. Pli. li. 9. ca. 17. [g] Pli. li. 32. ca. 2. [h] fo. 34. 16. [i] li. 3. fo. 133. 40. [k] Hist. li. 5. ca. 5. Pli. li. 9. ca. 17. Aelia. l. 11. c. 36. [l] Hist. li. 9. ca. 2.

QVIBVS MODIS CAPIANTVR.

Vt author est Aristoteles [m] Fuscina interdiu sæpenumero dormientes capiuntur; Hamisque etiam eos venamur, vt per belle Oppianus cecinit, inquiens.

[n] Hamos illiniunt, Cephalus pellectus odore
Accurrit subitò, nec longè sistit ab hamo,
Est illi similis; qui trita ad compita uenit,
Ramosasque uias cernit, gressuque represso
C Nunc animum ad dextram uertit, quandoque sinistra
Tentat iter, partes dubius se uoluit in ambas.
Fluctuat ambiguus, uasti uelut maris unda,
Vix alternanti potior sententia uisa est.
Sic Cephalus partes animum uersabat in omnes,
Spectabatque dolos, anceps Neptune petebat
Pabula, iam fato fuerat uicinus iniquo.
Et metuit, cessitque retro, rursusque timore
Concussus fraudem repetens uestigia pressit.
Est occlusa domi talis lasciua puella.
Cum cupiat dulces epulas absente parente
Vel tractare aliquid, matris charæ timet iram,
Et quamuis cupiat, non audet tangere quicquam
Occultè repens, rursus pauefacta recedit.
Nunc timor est animo, nunc est audacia cordi,
Formidans semper conuertit lumina portæ
Sic piscis liquidis uarius deflectitur undis,
Et tristem fraudem perlustrat cominus audax.
Non gustare cibum, non hamum tangere promptus,
Ni prius aduertat, si uiuæ carnis odores
Percutiant nares, pascit non corpora uiua.
Post summis mordet labris, & pabula libat.
Piscator subito piscem mucrone reuellit.
Sic auriga ferox bene continet ora lupatis
Fortis equi, aduellit confossum gutture piscem,
Atque reluctantem contra labique parantem.

Pli. lib. 9. c. 62. Ath. lib. 7. fo. 153. 34. [m] Hist. li. 4. c. 10. [n] li. 3. f. 140. 23

D Est præterea [o] Iisdem tanta salacitas, ut in Phœnice, & Narbonensi prouincia coitus tempore, è uiuarijs marem linea longinqua per os ad Branchias religata emissum in mare, eademque linea retractum fœminæ sequuntur ad litus, rursusque fœminam mares partus tempore, quo fit ut facilè ac plurimi capiantur, [p] AEliano tamen, [q] & Oppiano authoribus, Aduertendum est ut fœmina captiua formosa sit, & bene pinguis, ut plures ad eam accedant, pulchritudinis illecebra tanquam esca illecti, si macilenta enim sit, & sine corpore, multi ea spreta discedunt. Vt proditum est à Plinio [r] Est etiam ubi cum homine Delphini societate piscantur Mugiles. vti in nostra historia quam Delphino dicabimus, declarabitur. [s] In mari Ionio ad Leucadium & Actium Epirotica loca, Capitones uelut consertis turmis frequentes natant, ipsorum captura, quæ ad hanc rationem fit, mirifica est; Piscatores bini obseruato tempore cum luna silet nauem cænati conscendunt, & à terra soluentes modo mare à tempestate conquiescat, silen=

[o] Hist. li. 5. ca. 5. Pl. li. 9. ca. 17. Opp. lib. 4. fo. 145. 23. Aeli. lib. 11. ca. 36. [p] lib. 11. cap. 36. [q] li. 4. f. 145. 24 [r] lib. 9. cap. 8. [s] Aelia. li. 11. c. 37

tio & moderate remigant, simul & eorum alteruter sensim et leniter remo nauem impellit, alter recubans, suam nauis partem usque adeo deprimit, quoad eius labrum proxime ad aquam accesserit: Capitones horumque speciem similitudinemque gerentes Mugiles siue quòd ex nocte lætitiam & uoluptatē percipiunt, siue etiam quia tranquillitate maris delectantur, latebras relinquentes, sic ad summā aquam efferuntur, ut ex aqua summo rostro emineant, & natare usque eo pergant, donec ad litus propius accesserint; Quod quidem ipsum Piscatores postquam perspexerunt, sedata remigatione & pedetentim accessu ad pisces facto, nauigant; ubi uero ex piscatoriæ motione fluctus cieri, ac agitari cœpti sunt, à terra statim pisces refugiunt, et frequentes in partem nauis inclinantem & præcipitantem sine retibus innatant, & sub potestatē piscantium cadunt. Postremò [t] *Cum Mugiles (uti diximus) è mari in Nilum ascendant uere cum prægnantes sunt, descendant uerò paulo ante pleiadis occasum unà omnes parituri, tunc etiam in septa incidentes capiuntur.*

Strab li.17, fo. 781.

QVI EORVM PRAEFERRI DEBEAT.

[t] Ath. lib. 7. fol. 153. 15. lib. 8. fo. 177. 37.
[x] in Mosella.
[y] Hist. li. 8. ca. 2
[z] li. 35. ca. 12.
[a] li. 32. ca. 11.
[b] lib. 7. fol. 153. 18.
[c] clas. 2. f. 28. E

Speciei primùm ratione, inter se Mugiles præstantia differunt, [u] *Suauitate nanque ac succi probitate cæteris præstat Capito, secundo loco est, qui Mugil dicitur, inferior Myxinus, omniū infimus Chelon*. Vnde & ab Ausonio Gallo, [x] *Viscere prætenero censetur Capito*. Arista. tmen, [y] *Grauem ac sordidum piscem Capitonem facit*. Plinius verò inquiens, [z] *Tripatinum inquit Fenestella appellabatur summa cœnarum lautitia, una erat Murænarum, altera Luporum, tertia Myxonis piscis*, Myxona; & alibi Ouidii auctoritate dicens, [a] *Placentē cauda labrū*, Labrum (quē Cheloně esse arbitramur) præferre videtur; Loci deinceps ratione, præstantiores reddūtur; Apud. n. Atheneū, [b] *Fluuiatiles à Dorione non probatur, sed marini*, quod Galenus quoque cōprobat, scribens, [c] *Proinde particulares Mugiles magnū inter se habent discrimen, adeo ut pelagici Mugilis genus, diuersum esse uideatur ab eo, quod in fluminibus, stagnis, lacubus, aut riuulis urbiū latrinas purgantibus, proueniūt; Eorum sanè caro, qui in aquis limosis ac sordidis degunt, excrementitia est admodum ac mucosa; Optima aūt eorum est, qui in puro mari uiuunt, præcipuè cum uentorū procellis agitatur; Nam in quieto, nullisque agitato fluctibus, tanto pisciū caro fit deterior, quanto minus exercitatur*; Et marinorum rursus [d] à Dorione, [e] atque ab Archestrato. *Primum in Abdera, deinceps in Sinopi nati laudantur*, Vt verò Galenus ait, [f] *Omnium sunt præstantissimi, qui in purissimo mari degunt, maximè ubi litora, quæ aquam in orbem ambiunt, terra non abundant; nec læuia, sed aut arenosa sunt, aut aspera; Quòd si præterea ad Boream spectent, longè erunt meliores: Cum enim exercitationes propriæ non parum ad succi probitatem omni animanti conferant, puritas adhuc eius uenti, qui aquæ miscetur, substantiæ ipsorum bonitatem auget*. Postremò meliores ab Aristotele censentur, [g] *Cum uterum non ferunt*. Melior autem facilè gustu diiudicatur; nam vt proditum est à Galeno, [h] *Continuò gustus mandenti tibi præstantiorem indicabit: Iucundior nanque ipsius est caro, & acrior, pinguedinisque expers; Pingues contra & soluti saporis, tum cibo, tum ad conquoquendum sunt deteriores.* A B

[d] Athe. lib. 3. fo. 59 46.
[e] Ath. lib. 7. fol. 153. 31.
[f] clas. 2. f. 28. F.
[g] Hist. li. 8. c. 30
[h] clas. 2. f. 28. G

VT NVTRIANT.

[i] Athe. lib. 7. fo. 153. 17.
[k] clas. 7. fo. 51. F
[l] clas. 2. fol. 28. E. F. G.

Hicesio teste, [i] *Mugiles boni admodum succi sunt, non multi nutrimenti, et excretu faciles*. Vnde Galenus eos salubribus adnumerat piscibus, dicens, [k] *Vtilis est cibus è piscibus, saxatiles omnes, nec ipsis minus Aselli, proximè Asellis sunt Solea & Torpedo, itemque Lupus & Mullus, post Mugil è pelago*. Iure autē è pelago addidit; quādo eodē authore, [l] *Lacustres ac fluuiatiles ferè omnes in cibo sint prorsus iniucundi, et ad conquoquendum difficiles, exiguumque boni quidem alimenti, excrementi autem plurimum reddant: Qua re mirum non est, si prauum succum in eorum corporibus, qui quotidie illis uescuntur, congerant.* C

CONDIENDI RATIO.


[m] in Mosella.
[n] clas. 2. f. 28. F.
[o] clas 2. f. 28. H.
[p] lib. 3. f. 59. 46.
[q] Gal. clas. 2. fo. 28. G.

Recens captus comedi debet; cū vt scribit Ausonius, [m] *Nec duraturus post bina trihoria mensis fit*. Quod Galenus etiā testatur dicens, [n] *Si paulo diutius mortui permanserint, statim putrescunt & pessimè olent*. Quouis modo conditi sapiunt; Maiores tamē elixari aut assari solent; Minores verò in Sartagine frigi. Gal. authore, [o] *Hic piscis unus eorū est, qui sale conditi asseruātur: Nā stagnalis sic conditus, multo quā ante præstantior euadit, quicquid enim mucosum aut uirosum gustu refert, id totū deponit; Verū recens salitus, iam diu salito est melior*. Vt verò apud Athenæum Dorion in lib. de pisc. testatur, [p] *Sale conditi non parū stomacho conferunt*. Postremò vt tradit Galenus [q] *Pingues et soluti saporis, cū tum cibo, tū ad concoquendū* (vt diximus) *sint deteriores, et præterea stomacho noxij, et uitiosi succi, cū origano parantur*. Mugilū oua, quæ geminis folliculis, circuncisa suminis parte, recētibus Mugilibus eximuntur, saliri & exsiccata seruari hodie solent, vocanturque græcè ὠὰ τάριχα, hoc est oua salita. Ad cuius græcæ appellationis imitationē ab Italis Botarghe, & à Gallis Botargues dicūtur. D

QVIBVS MODEANTVR.

[r] lib. de re rust. cap. 166.
[s] lib. 32. cap. 7.
[t] li. 32. cap. 9.

Marco Catone authore, [r] *Ius ad deijciendam aluum, idoneum ex rebus quamplurimis alijs, ac Capitone pisce, conficitur*. Plinius verò, [s] *Banchi, (quem quidam Myxona uocant) fel auribus utilissimum esse*, testatur. Et alibi [t] *Inueniuntur* (ait) *& in Banchi piscis capite ceu lapilli: Hi poti ex aqua calculosis præclare medentur.*


P.15.
N. G. Σαῦρος.
N. L. saurus.
N. V. sauro.

HISTORIA DECIMA TERTIA DE TRACHVRO.

NOMEN.



CVM hic noſter decimus quintus piſcis, Romæ *suaro*, & Maſsiliæ *Suuerco* appelletur, antiquorum σαῦρος, à nonnullis creditus eſt; Quam quidem ego quoque diu ſequutus ſum opinionem; Vnde Græcè σαῦρος, Latinè verò Saurus, ſub piſcis forma, in ære inciſus eſt. Haud paruam, maximè adeo nominum ſimilitudini, fidem habendam eſſe, ratus; Verùm rem ipſam diligentius poſtea perpendens; hunc veterum σαῦρον eſſe non poſſe, comperi. Nam cũ A
a lib.7.fol.161.14. apud Athenæum Speuſippus[a] σαῦρον (*Quem Σαυρίδα uocat*) *Ceſtram* (*quæ ab alijs Sphyræna dicitur*) & *Acum ſimiles faciat*. Nec Cæſtræ, nec Acui, hic ſimilis eſt. Præterea cum σαῦρος piſcis, ἀπὸ τοῦ σαύρου, id eſt à lacerti terreſtris ſimilitudine vocari videatur; nihil profectò minus quã Lacertum hic repræſentat. Poſtremò cum piſcis, qui Romæ *Tarantola* nominatur, colore ac vniuerſa corporis forma, ſimilis adeo terreſtri lacerto ſit, vt dubio procul, σαῦρος cenſeri debeat, vt hiſtoria nonageſima ſecunda declarabimus; hic certè neque eſſe, neque dici σαῦρος poterit. Nec ob id tamen, is veteri ſuo deſtituetur nomine, cum (mea quidem ſententia) antiquorum τραχοῦρος veriſimili coniectura credi poſsit. Non ſolùm enim, cum τραχοῦρος nil aliud, quàm aſperam caudam ſonet, hic, ſi Raiam exceperis, aſperam præ cæteris piſcibus caudam habet; ſed ea etiam pauca, quæ Trachuro à veteribus tribuuntur, ei reſpondent. B
b lib.7.fol.162.39. Aridus nanque eſt, ac duræ carnis, Vti[b] Athenæus *Aridum*, Galenus verò[c] *Duræ carnis*, *Trachurum eſſe* dixerunt. In litoribúsque degit, ſicuti[d] *Litoralibus piſcibus Trachurum annumerat* Oppianus.
c clas.2.fol.30.B. Quibus ſic perſuaſi, nihilq; hanc noſtram interturbante coniecturam, ei facilè aſſentiendum eſſe duximus. Iouii prorſus neglecta opinione, qui[e] *piſcem Romæ Tragina uocatum* (nominis ſimilitudine deceptus) *Trachurum eſſe credidit*, cum non Trachurus, ſed marinus draco, *Tragina* ſit, vt hiſtoria noſtra decima docuimus. Iouij lapſus.
d lib.1.fol.108.25.
e lib.de piſc.cap.19.

DESCRIPTIO.

Trachuri forma, niſi paulò longior eſſet, ouata dici poſſet; Cum enim eius medium corpus latiuſculum ſit, deinceps vtroque verſus, ſenſim arctatur, donec roſtrum, ore clauſo; atq; extrema pars carnea caudæ, acuetur; Inferior autem maxilla, quæ ſuperiore paulò longior eſt, cum os clauditur, non recta, ſed obliquè ſurſum excurrit; Vnde os etiam non in longitudinem, ſed in obliquum ſciſſum eſt; dentibus adeo paucis, ac minutis munitum, vt edentulum videatur; Re tamen vera, anterior maxillarum pars denticulata eſt. C Oculos magnos; Et vtrinq; branchias quaternas; Pinnas verò binas, habet; Quarum ſuperiores & maiores prope ipſas branchias, inferiores verò & minores, in ea ventris parte conſiſtunt, quæ inter caput & excrementorum orificium media eſt; A quo etiam orificio, quod quidem in medio ventre exiſtit, per ventrem reliquum, alia non admodũ lata pinnula ferè ad caudam vſque demittitur; Et aliæ duæ rurſus in dorſo quoq; naſcuntur, prior latior, ac breuior, in eminentiori dorſo; altera paulò inferius, arctior, ſed longior; Nam per dorſum reliquum ferè vſque etiam ad caudam porrigitur; Quæ quidem cauda bifurca eſt. Præterea in vtroq; latere, linea quædam, duris ac vtrinq; acutis cõtexta ſquamulis, ex ſuperiore branchiarum parte exorta, ductum dorſi, cui propior eſt quàm ventri, ad medium vſq; piſcem ſequuta, ibiq; ſeſe incuruans, ad mediúmq; latus vtrinq; deducta, & durior aſperiórque facta, aliis quibuſdam in medio acutiſsimis ac duriſsimis horreſcens oſſiculis, rectà deinde ad caudam protenditur. D Cuius interuentu aſpera adeo cauda redditur, vt piſci, Trachuri nomen iure inditum ſit. Squamis autem carens, læui ac tenui corio tegitur. Dorſo ſubcœruleus, ventre verò ac lateribus argenteus eſt, purpurámque aliquantulum etiam ementitur. Ad pedalem magnitudinem vix & perrarò excreſcit.

LOCVS.

In mari solùm reperiuntur Trachuri, [f] *Piscibusque, qui circa litora degunt, eos annumerat* Oppianus; Nos verò gregales etiam ipsos esse censemus; Propterea quòd plurimi vnà semper capiantur, atque vencant; Vnde non solùm canistra solis Trachuris cumulata sæpe in piscario foro Romæ conspiciuntur; Sed etiam cum nonnulla piscium genera Triglæ scilicet, Bocæ, Scombri, Trachuri, Dracones, ac Erythrini, ab ichthyopolis, per vrbẽ venales in canistris pisces deferẽtibus, vno nomine *frittura* vulgò appellentur, eò quòd ob paruitatem in sartagine feruenti oleo frigi soleant; Sicuti huiusmodi appellatæ fritturæ canistra nunquam admistis carent Trachuris, sic etiam semper eis frequentioribus quàm reliquis omnibus, quos fricturæ nomine uocari diximus, abundant. Præterea cũ A piscium plurimi statutis solùm temporibus capiantur, Trachuri omni anni tempore, in mari Romæ proximo capi solent; Ita vt vbi in foro piscatorio venales pisces reperiantur, Trachuri nunquam desint. Nassis autem eos antiqui capiebant, vt Oppianus testatur, inquiens. [f] lib.1, fol.108.25

[g] Chalcidibus fraudes autumni tempore prædo [g] lib.3.fo.138.56
Instruit & Thrissas prendit, gentesque proteruas
Trachuron, nassam sparti de uimine texens,
Et uili mistam uitiæ sub uimine massam
Claudit, & aspersam uino, miscetque puellæ
B *Assyriæ lachrymas, quæ turpi accensa furore*
Thiantis patris longæuo immista parente
Infandum irata patrauit cypride crimen.
Exuit humanam fatali numine formam,
Arboris in faciem uersa est cognomine myrrhæ,
Deflens concubitum lachrymis aspersa nefandum.
Hos succos miscet, nassam sub fluctibus aptans
Talis odor subitò spirat per marmora lata,
Alliciens species uarias, & nassa repletur,
Et fortunatæ succedunt munera prædæ.

C

Nunc verò multo minori negotio, ac quibus vis piscibus frequẽtiores in romano mari retibus capiuntur. Et ut author est Aelianus [h] *Capti Trachuri, si abscissam caudam, ipso tamen libero in mari demisso, equæ uentrem ferenti appendas, non multò post certè abortum faciet.* [h] Aelian.li.11.ca.50.


CVIVS TEMPERATVRAE SIT, ET QVO MODO CONDIRI DEBEAT.

Galenus Philotimi authoritati consentiens [i] *Inter pisces, qui duræ sunt carnis, & ob id ægrè conficiuntur, crassosque succos gignunt, Trachurum numerat.* Vti autem Athenæus refert, [K] *Diocles eum aridum piscem facit, Numenius uerò ἀλλοπίω τράχουρον dicit.* Estq; hic animaduertendũ, quòd in utroque Athenæi loco τράχουρος legitur, cum apud Oppianum & Galenum τραχοῦρος legatur semper. Aridam itaque ac duram carnem cum uerè Trachurus habeat, nisi externa aliqua pinguedine aut iusculo tener ac iurulentus fiat, insuauis esse solet; Quales tum assos tum frictos experimur. Quos quidem si statim ac priusquàm deferueant, in acerrimum acetum croco aromatibúsque antea conditum inieceris, ac post duas horas in uase alio absque aceto composueris, non solùm palato gratiosiores reddentur, sed aliquot etiam diebus incorrupti seruari poterunt. [i] clas.2.fo.30.B. [K] lib.7.fo.162.39

Τράχουρος Variè scribitur.

D

·P·16·



N· G· θύμος.
L· Thymus.
V· Temelo.

HISTORIA DECIMA QVARTA
DE THYMALO

NOMEN.



[a] Hex. 5. cap. 2. [b] lib. de nominib. pisc. cap. 112. [c] lib. 12. cap. 49.

EXTVS Decimus in nostro ordine piscis, quem Itali vulgò *Temalo* & *Temaro* vocant,[a] A Diuo Ambrosio, vt impresi eius habēt codices, *Thymallus*; vt verò nos legendum esse credimus, *Thymalus*,[b] & à Petro Gyllio *Thymus* appellatur. Græcè verò [c] ab Aeliano θυμὸς dicitur, *propterea quòd Thymi florem recèns collectum, redoleat*. Quòd autem hic noster piscis *Thymalus* sit, non solùm vulgaris eius nomenclatura latinum nomen æmulata, sed illa etiam omnia, quæ à scriptoribus *Thymalo* tribuuntur, manifestè declarant; cum (vti procedente historia monstrabimus) nostro pisci egregiè respondeant. A

DESCRIPTIO.

[d] lib. 12. cap. 49. [e] Hex. 5. capi. 2. [f] Ibidem. [g] Ibidem. [h] lib. 24. de animalib. [i] Hex. 5. ca. 2. [k] Eclog. 5. 6. [l] lib. 21. capi. 10. [m] Georg. 4. 34. [n] lib. 12. ca. 49. [o] lib. 12. ca. 49.

Vt Aelianus scribit,[d] *Lupi & Mugilis communem & mediam speciem similitudinemque gerit Thymalus.* Ob longa enim corporis forma, pinnarúmque numerus, & situs, ei, cum vtrisque conuenit; Et si propius ad Mugilem accedat. Estque specie sua decorus, vt Diuus Ambrosius testatur, inquiens,[e] *Quid specie tua gratius.* Oculis nanque grata (subuiridis nempe ac subcœrulei) colorum varietate, pulcherrimè depictus conspicitur; Et vt idem est author,[f] *Odore fragrat suaui. Ob idque de eo, qui gratam redolet suauitatem, facetè dicitur, aut piscem olet, aut florem.* Quo quidem loco, floris nomine simpliciter prolati, *Thymi* florem ab eo intelligi, ex ipsomet coniici potest, nam cum inquiat,[g] *Thymale, cui à flore nomen inoleuit* à nullo alio olere, floréue, commodius quàm à Thymo, Thymali nomen pisci indi potuisse videtur. Quod cum non aduerteret Albertus, imprudenter certè protulit.[h] *Tunallus piscis est, qui ex flore nomen habet, tunum enim flos uocatur.* Cúmque præterea paulò post D. Ambrosius subdat,[i] *Quod mella fragrant, hoc tu corpore tuo spiras,* id clarisimè indicat; Cum authoribus, Vergilio dicente[k] *Dunque Thymo pascentur apes,* ac Plinio scribente,[l] *Floret autem Thymus circa Solstitia, quum & apes decerpunt, & augurium mellis est, prouentum enim sperant apiarij largè florente eo,* Iure Thymi flore apes summopere delectari, & mella Thymum redolere, dicātur; Quod Vergilius etiam expresè comprobat, inquiens,[m] *Redolentque Thymo fragrantia mella.* Vnde & Aelianus prius scripserat,[n] *Capti Thymali odor non indignam admirationem habet, non enim ut cæteri pisces, pisculentum quendam mittit odorem, imo uerè existimes te gentilem herbam recentem ex terra lectam, manibus tenere. Tanta odoris suauitate fragrat, ut qui eum ipsum non uidet, gratissimam apibus herbam, Vnde nomen duxit, intus esse putet.* Nunc autem Thymalus piscis Thymum redolere non videtur, Verè tamen, suauius multò, quàm pisces reliqui olet. Ventriculum habet mediocrem, Intestina crasiuscula pinguedine multa conuoluta, Hepar subalbidum, Lienem subrubrum, Felle caret. Cum maximè augetur, Aeliano teste,[o] *ad cubitalem magnitudinem excrescit*; & si qui crebrius capiuntur, minores sint, librámque non excedant.

Alberti error. B C D

LOCVS.

[p] lib. 24. de ani. [q] S. Amb. Hex. 5 ca. 2. Aelia. lib. 12. cap. 49 [r] S. Ambr. ibidem

Sicuti Thymali (vt diximus) nomen, ita etiam & locum ignorauit Albertus,[p] *Marinum enim piscem, ipsum esse testatur.* Cum tamen in fluminibus tantùm nascatur, degat, atque capiatur; neque in eis quidem omnibus, aut quamplurimis, sed solùm[q] in Ticino[r] in Athesi, in Addua, ac aliquando in Pado, nobilibus Galliæ Transalpinæ fluuiis; Vnde minus mirari oportet, quòd præter Diuum Ambrosium Transalpinæ Galliæ alumnum, atque Aelianum genere Italum, prænestinum nempè (& si græco vsus sit sermone) reliquorum veterum nemo de hoc ipso pisce pertractauerit.

Alter Alberti error.

CAPIENDI RATIO.

Aeliano authore,[s] *Non hamatis escarum aliarum illecebris, sed solo culice, bestia noctes & dies homini infesta, quòd hac sola delectetur, comprehenditur.* Verùm cum id, nec scriptores alii, nec nostræ ætatis piscatores asserant, nequeátque culex ob eius paruitatem hamis affigi; quanta in hac re Aeliano fides habenda sit, haud scimus. Nec etiam Raphaeli Volaterrano scribenti.[t] *Thymalus ad hamum non accedit, cum non alium sanè cibum sectetur, quàm Thymum herbam, qua uiuit,* plenè credendum est; Cum falsum sit, quòd Thymo, & non alio vescatur cibo, Cum pisciculos etiam edat; Quòd ue hamo capi non consueuerit; cum (vti experientia ipsa edocet) & hamis & retibus capiatur; cæteris quidem anni temporibus rarius, Septembri verò mense frequentius; propterea quòd eo tempore, venereo agitatus stimulo, huc atque illuc imprudenter excurrat.

Aelianus notatur.

R. Volaterranus reprobatur.

[s] *lib. 12. cap. 49*

[t] *lib. 25.*

A

QVANTAE SIT NOBILITATIS.

In Ticino, in Athesi, in Adduáue captus (nam qui in Pado capitur, multò inferior est) tenerrimus ac sapidissimus omnium ferè fluuiatilium piscium censetur; Vti Diuus etiam Ambrosius testatur inquiens,[u] *Quid suauitate tua iucundius?* Vnde non immeritò pluris quā quiuis alius piscis venditur, vbi haberi potest. Et maximè Maio mense, in quo quidem, vti rarior capitur, sic longè suauior existimatur; Maiorem nōnulli, minorē verò alii celebrant.

[u] Hex. 5. *cap. 2.*

QVO MODO CONDIRI DEBEAT, ET VT NVTRIAT.

B


Cum Thymali felle careant (vti iam dictum est) quando coqui debent, haud eis, dissecto ventre, eximenda sunt interanea; Sed satis erit, si exterius solùm purgentur. Est qui scribat,[x] *Quouis modo percommodè coquuntur, frictūram tamen magis requirunt.* Maiores autem elixi, & maximè butyro conditi, Minores verò assi, sapidiores creduntur, Nutriunt mediocriter; Boni sunt succi; Et facilè conquoquuntur.

[x] *Platina lib. 10 de Arte coquēdi*

QVIBVS MEDEATVR.

C

Si pinguedo eius Maio mense in vitreum vasculum coniecta soli exponatur, id quod ex ea distillat, ac in vasculum residet, vulneribus salutare existimatur; auribúsque instillatum grauitatem auditus discutit.


P. 17
N. Picho et Pigo.

HISTORIA DECIMA QVINTA
DE PIGO.

NOMEN.



ISCIS nostri decimi septimi, quem Verbani ac Larii lacuum acco læ *Pigo* appellant; veterum Græcorum, Latinorúmue nullus (quod quidem sciam) meminit; vno dempto Plinio; Qui de eo, nullo tamen imposito nomine, sed tanquam de innominato pisce (vt infra monstrabimus) pertractat. Quamobrem haud mirum si græco & latino nomine carens, à nobis vulgarem nomenclaturā sequutis, *Pigus* perpetuò vocabitur. A

DESCRIPTIO.

Pigus piscis capite est rotundo, Rostro obtuso nec admodum extento; Ore mediocri & edentulo; Branchias habet vtrinque quaternas; Et iusta eas, pinnas binas, vtrinque vnā; Aliásque duas in imo ventre, caudæ magis quàm capiti vicinas; In dorso ferè medio vna haud magna, nullis aculeis armata reperitur; Imo ventri prope caudam alia vna etiam minor hæret; Cauda ipsa in falcatam pinnam desinit. Totius figura ni paululo longior esset ouata censeri posset. Squamis magnis tegitur, ex quarum medio albi & pyramidati aculei, in fine veris, & ineunte æstate, enascuntur. Quibus cum primis quadraginta æstiuis diebus horreat, æstate procedente imminuuntur primùm, demunque prorsus delitescunt; Quapropter primis illis æstiuis diebus demptis, reliquo anni tempore prædictis pyramidatis aculeis omnino caret; Vnde cum Plinius scribat,[a] *Duo lacus Italiæ in radicibus Alpium Larius & Verbanus appellantur, in quibus pisces omnibus annis uergiliarum ortu existunt, squamis conspicui crebris atque præacutis clauorum caligarium effigie, Nec amplius quàm circa eum mensem uisuntur*; dubio procul Pigum piscem, etsi innominatum eum relinquat, describit; Cum is (vt infra monstrabimus) Larii & Verbani lacus alumnus sit, & (vti diximus) in prima æstate (quoquidem tempore vergiliæ exoriuntur) eius Squamæ parte media, clauorum caligarium instar, præacutæ fiant; Habent enim caligares claui, qui à caligis militaribus, quibus suffigebantur dicti sunt, pyramidata capita; Eiusmodi autem aculeos, sicuti Maio & Iunio tantùm mensibus, in dorsóque solùm & lateribus, & non in ventre, Pigo enasci asseuerant omnes; sic non fœminas, sed mares tantùm illis inhorrescere, testantur nonnulli. Venter ex albo languidè rubet; Tergus ex cœruleo nigricat; Quo ad interanea attinet, nihil habet præ cæteris piscibus peculiare atque animaduersione dignum; Cum maximè excreuerit, quinas aut senas libras non excedit. B C

[a] li.9.cap.18.

LOCVS.

Pigus solius Larii, atque Verbani lacus accola est; Nemo enim in alio lacu, flumine ue eum reperiri huc vsque (quod sciam) animaduertit. Et licet frequentiores in prima æstate, cum clauis illis caligaribus insigniti apparēt, in iis lacubus capi soleant, reliquis etiam omnibus ferè anni temporibus, in eisdem, etsi non æquè crebrò, capiuntur. Nec ob hoc, Pigos, eos pisces non esse, quorum Plinius supra citato loco meminit, suspicandum; propterea quod scripserit Plinius, eos in illis lacubus, omnibus annis Vergiliarum ortu existere, nec amplius quàm circa eum mensem videri, Quando his postremis verbis, non simpliciter & absolutè, sed solùm squamis illis crebris atque præacutis, clauorū caligarium effigie conspicuos, non amplius quàm circa eum mensem videri eos pisces, testari credendus sit Plinius. Quod si alicui, magis quàm par sit, verborum obseruatori, hæc nostra expositio haud quaquam Plinianis verbis aptari posse videatur. Dicemus Plinium (ea ra- D

tione deceptum, quod aliis temporibus rarius, atque absque illis clauatis squamis hi capiantur pisces) non amplius quàm circa eum mensem, eos videri, falsò testatũ reliquisse.

NATVRA, PRAESTANTIA, ET CONDIMENTVM.

Parit Pigus Maio mense, circa lacus litora. Carnem habet teneram atque sapidissimam, Vnde cum optimis quibuscunque dulcis aquæ piscibus conferri potest, & maximè in æstatis principio captus; Quo quidem tempore, nulli piscium est secundus, & quouis modo conditus, probè semper sapit.

A


DE SCOLOPIDE PISCE.

Squamæ clauorum caligarium effigie, quibus (vt diximus) Pigus piscis primis æstiuis diebus insignitur, admonuere nos; vt hic alterius piscis, quippe qui propriis interficitur spinis, mentionem faceremus. Eius autem Plutarchus his verbis meminit. [b] *In Arare flumine Celticæ regionis (hodie uulgo la Sone uocatur) gignitur magnus quidam piscis, qui ab indigenis Σκολόπιδος nominatur. Hic luna crescente albus est, decrescente uerò niger omnino efficitur; auctus uerò nimium, proprijs spinis interficitur. In eius autem capite inuenitur lapis grano similis, aduersus quartanæ febris morbos ualde utilis, ad sinistras partes corporis alligatus, quo tempore luna ipsa decrescit, quemadmodum narrat Callisthenes Sybarita in decimo tertio libro de rebus Galaticis, quem & Timagenes Syrus sequutus est*; Hæc Plutarchus; Nos tamen piscem hunc neque vidimus, neque ab aliquo visum esse huc vsque audiuimus.

[b] in libro de fluminibus.

B

·P 18·



·N· ·L· Squalus.
·V· Squaglio.

HISTORIA DECIMA SEXTA
DE SQVALO

NOMEN.



EI ordinis decimum octauum piscem, qui Romæ *Squaglio*, ab Insubribus *Cauedano*, à Gallis Lutetiæ parisiorum *un Testard*, Lugduni *un Musnier*, alibi *un Vilain*, & un *Chouan*, ab Anglis *Chieuen* & *Polards*, & à Germanis *Schupfisch* vocatur. *Squalum* M. Varro appellat, dicens,[a] *Quis habebat piscinam nisi dulcem? & in ea duntaxat Squalos ac Mugiles pisces*, Squali præterea Columella quoq; meminit. Nam quum apud eum legatur, [b] *Harum studia rerum maiores nostri celebrauerunt, adeo quidem ut etiam in dulcibus aquis marinos clauderent pisces, atque eadem cura Mugilē Scarumque nutrierunt, qua nunc Muræna et Lupus educantur*. Scarum mendosè legi, Squalúmque restituendum esse, ex multis intelligi potest; Primùm enim Columella veterum frugalitatem cum perdito sui temporis luxu comparans; vti Mugilē ac Scarū eadem cura maiores nutriuisse, qua postea Muræna et Lupus educarentur, ait; Sic hic illos viliores fuisse innuit; Quod quidē sicuti de Mugile verè, sic nullo prorsus pacto de Scaro dici potest; Cum communi Scriptorum omnium consensu, nobilissimus piscis censeatur. Vnde Squalum, quippe quem vilem esse, procedente historia patebit, restituere oportet. Deinde si hanc Columellæ sententiam cum supra citato M. Varronis loco, in quo veterum laudat parsimoinam, vt qui dulces solùm piscinas, in eísque duntaxat Squalos ac Mugiles pisces haberent, diligenter conferamus; quemadmodum ex M. Varrone sententiam illam suam Columellam transcripsisse manifestissimè cognoscemus, ita in hoc, vt in illo, Squalum, & non scarum legendum esse, procul dubio iudicabimus. Postremò cum idem Columella paulò infra scribat,[c] *Scaurus*, (Scarus tamen corrigi debet) *qui totius Asiæ Græciæque litoribus Siciliatenus frequentissimus exit, nunquam in Ligusticum, nec per Gallias enauit ad Hibericum mare, itaque ne si capti quidem perferantur, in nostra maria diuturni queant possideri*, Luce clarius patet, in priori eius loco Scarum legi non posse; Cum ne in nostro quidem mari, nedum in piscinis Scarus viuere posit. Petrus autem Gyllius, quippe qui[d] *Plinium solum ex Latinis Squalum commemorasse asserit*, non solùm citatum M. Varronis locum non vidit, Collumellæque mendum non animaduertit; Sed quòd multò grauius est, Plinium Squali meminisse falsò testatur. Nam cum apud Plinium cartilagineos pisces recensentem, legatur.[e] *Quo in numero sunt Squali quoque*. Et alibi apud eundem de piscium partu loquentem,[f] *Sargi, Torpedo, Squali circa æquinoctium pariunt*. Vti vterque profectò locus mendosus est; Sic vtriusque mendum ex Aristotele, à quo ea omnia mutuatus est Plinius, corrigi debet. Priorem autem locum eius[g] ex Aristotele sic emendabimus; *Quo in numero, sunt Galei quoque*. Alterum verò[h] ex eodem Aristotele (vti & in historia quinquagesima nona explicatur) sic restituemus, *Sargi, Torpedo, Squatina circa æquinoctium pariunt*. Nec propterea quòd Plinius, qui de re medica, libros quinque composuit, Squali meminisse videatur, inquiens.[i] *Pisces de flumine, qui petram habent, ut Trutti, Squalij, comede*, defendi Gyllius poterit; Cum hic à Plinio secundo naturalis historiæ scriptore, à Plinióque Cæcilio, alius eísque posterior fuerit; Vocetúrque Plinius Valerianus, vt historia Vigesima secunda declarabitur; Gyllium verò solum Plinium Squalum cōmemorasse simpliciter dicentem, de Plinio secundo naturalis historiæ scriptore intellexisse certum sit. Itaque præter M. Varronē & Columellam, Pli. etiā Valerianus medicus huius nostri piscis mentionem fecit; Quem quidem Squalium vocauit, ni mendosè Squalium apud eum legi, (vti certè suspicor) & Squalum corrigendum esse, arbitremur; Quemadmodum in vigesima secunda historia sat euidenti coniectura ostendemus. Quòd verò hic noster piscis, antiquorum Squalus sit, non ex eo solùm quòd vulgaris eius nomenclatura (vt enim diximus Romæ *squaglio* vocatur) antiquum Squali nomen imitetur, sed ob id etiam comprobatur; Quòd cum prædicti authores dulcis aquæ alumnū, aulgarémque & vilem piscem Squalum faciant (vt eorum verba contemplanti clarè patet.) Hic noster in dulci aqua solùm

Marginalia: A — *Columellæ locus corrigitur.* — B — *Columellæ alter locus castigatur.* — *P. Gyllij allucinatio.* — C — *Pliniani codicis duo loca emēdantur.* — D

[a] lib. 3 de re rust. cap. 3.
[b] lib 8. capi. 16.
[c] lib. 8. cap. 16.
[d] lib. de nominib. pisc. capi. 54.
[e] lib. 9. cap. 24.
[f] lib. 9. cap. 51.
[g] Hist. li. 5. cap 5.
[h] Hist. lib. 5. ca. 11.
[i] lib. 5. de re med. cap. 43.

reperitur; Et nuſquam ferè multi pretii eſt. De hoc præterea piſce, Galenum quoque ex græcis tractaſſe arbitror. Nam cum ſcribat.[k] *Quidam noſtrates, piſces quoſdam in fluuijs genitos λευκίσκους nominant, rati diuerſos eſſe à Mugilum genere; cæterùm omnino animal animali eſt ſimile, niſi quòd Leuciſcus paulò eſt candidior, caput habet minus, & ſaporem acidiorem.* Sub Leuciſci nomine Squalum noſtrum intelligere videtur; Fluuiatilis enim piſcis eſt Squalus, Mugili magis quàm cuiuis piſcium ſimilis, candidior tamen, capitéque minori, & ſapore acidiori, quæ omnia ex Galeno Leuciſco debentur. Demum, cum Auſonius Gallus vilioribus ſuæ Moſellæ piſcibus,[l] *Alburnos annumeret* noſtrum Squalum, & non vigeſimum noſtri ordinis piſcem, qui *Albo* vulgò dicitur, vt Petrus Gyllius credidit, Alburnum ab ipſo vocari, haud ab re ſuſpicamur; Quemadmodum latius in decima octaua hiſtoria, Albo piſci dicata, edocemus.

[k] *clas. 2. fo. 28. H.*

[l] *In Moſella.*

P. Gyllij opinio reprobatur.

DESCRIPTIO.

A

Squalus, quem (vt diximus) Alburnum Auſonius, Leuciſcum verò Galenus appellat, prope adeo ad Mugilis accedit ſimilitudinem, vt eos omnino ſimiles iure exiſtimauerit Galenus; Quo tamen authore, notis quibuſdam internoſci poſſunt. Eſt nanque Leuciſcus paulò candidior, capútque minus habet, & ſaporem acidiorem, vt idem ſcribit. Deinde & ſi pinnarum, quæ tum vtrinque in lateribus, tum in imo ventre ſunt, ſitus & numerus, ei cum Mugili conueniat; dorſi tamen pinnis inter ſe differunt: Duas enim in dorſo pinnas habet Mugil, in eius medio vnam, inferius prope caudam, alteram; Squalus verò vnam tantum, eámque poſt dorſum medium verſus caudam. Poſtremò cum in Mugili à branchiis lineæ quædam ſubobſcuræ ad caudam deducantur, hæ in Squalo prorſus non apparent. Eſt præterea Barbo & Albo piſcibus ſatis ſimilis Squalus; Quibus autem notis de- B ſtinguatur ab hoc, hiſtoria decima octaua; Quibus verò ab illo, decima ſeptima edocet. Caput habet paruum, Dentibus caret, Labra ſunt ſatis craſſa; Et branchiæ vtrinque quaternæ. Argenteus totus eſt, & ſi dorſum æquè atque venter, & latera non perluceat. Pondere vnius libræ crebrò, trium verò aut quatuor aliquando; Aliquando etiam, ſed multò rarius, & octo, nouémue librarum capitur.

LOCVS.

Cum in pluribus fluminibus Squalus naſcatur & degat; non immerito[m] *in fluuiis eum gigni teſtatur Galenus.* Suæque Moſellæ piſcibus (vt ſupra diximus) annumerat Auſonius; Et Plinius Valerianus, inter fluuiatiles recenſet. Reperitur præterea & in lacubus; Et ſi neque in omnibus, neque in pleríſque; Sed in nonnullis tantùm; Ita vt licet fluuiatilis, & lacu- C ſtris re vera ſit, multò tamen frequentius, & in multò pluribus fluminibus quàm lacubus reperiatur. Poſtremò patienter etiam patitur clauſtra; Ita quòd dulci incluſus piſcina, prolem propaget, excreſcátque & pingueſcat. Quod non ſolùm experientia oſtendit, ſed ipſe quoque M. Varro teſtatur inquiens, (vt ſupra etiam citauimus)[n] *In tertia parte quis habebat piſcinam, niſi dulcem? & in ea duntaxat, Squalos ac Mugiles piſces.*


[m] *clas. 2. fo. 28. H.*

[n] *lib. 3. de re ruſti. cap. 3.*

NATVRA, VT SAPIAT, ET VT CONDIATVR.

In locis, litoribus proximis; in fine veris, & æſtatis initio, Squalus parit. Non ſoliuagus, ſed gregalis eſt. Qui in lacubus, & magnis ac cœnoſis capitur fluminibus, vt duræ carnis eſt, ſic etiam maximè inſipidus. Vnde Romæ (vt qui vel ex lacubus proximis delatus, vel in Tyberi, vrbi ipſi illabente, captus ſit) ignobilis ſemper, & parui pretii cenſetur. D Licet quem ex Tyberi expiſcantur, in uaſculis ligneis viuus (quod quidem haud mediocrem ei parere deberet exiſtimationem) venalis habeatur. Captum verò in limpidis ac ſaxoſis fluuiis (cuiuſmodi minorum plerique ſunt) non ſolùm non contemnendæ ſuauitatis, & acidioris ſaporis, quem Leuciſco tribuit Galenus, ſed concoctu etiam facilem, nec mali ſucci eſſe experimur; Maximè verno tempore, cum prægnans eſt. Comeſtur autem aſſus ac frictus; quòd ſi aſſetur ex feniculi vmbella, aut ſaluiæ ramuſculo, acri aceto & oleo, perſæpe rorari, ſi verò frigatur, arancii mali ſucco conſpergi, debet.[o] *Inter ſalubres cibos, fluuiatilem Squalum connumerat Plinius Valerianus medicus.*

[o] *lib. 5. de re medica cap. 43.*



·P·19·
·N· L·Barbus·
V·Barbo·

HISTORIA DECIMA SEPTIMA
DE BARBO

NOMEN.



HVIVS nostri decimi noni piscis, quem Romæ ac in aliis plerisq; Italiæ locis *Barbo*, in Gallia *Barbeau* & *Barberin*, & ab Anglis *Barbel* appellatur; Ausonius Gallus ex veteribus latinis solus meminit, cum Barbum vocans, inquiens,

[a] in Mosella.

[a] Tuque per obliqui fauces uexate Sarani
Qua bis terna fremunt scopulosis ostia pilis,
Cum defluxisti famæ maioris in amnem, A
Liberior laxus exerces Barbe natatus,
Tu melior peiore æuo, tibi contigit uni
Spirantum ex numero non illaudata senectus.

[b] li.10. de arte coquendi.

[b] Eundem Platina *Barbulum* vocat. In Thesauro autem latinæ linguæ cum non *Barbus*, sed *Barbo* habeatur, non hic noster piscis, sed Mullus ibi *Barbo* nominatur, vt clarè verba eius demonstrant; Ita vt sicuti nos unà cum Ausonio, hunc antiquo nomine *Barbum* vocamus, sic Thesauri author Mullum nouitio nomine *Barbonem* appellat, Venetos vulgò loquentes sequutus; qui Mullum vulgò *Barbone* vocant. Græcorũ verò sicuti neminem mentionem huius fecisse reperimus, sic nullum ei græcum inditum esse nomen scimus. Neque enim Raphaeli Volaterrano assentiendum est, ita scribenti, [c] *Mullus græcè τρίγλη, inferiori labro barba insignitus est gemina, ut Plinius refert, & Cicero Barbatulos Mullos uocat; Qua propter eum existimauerim, quem hodie Barbum appellant.* Nam Mullus, & si à Venetis *Barbone* vocatur, ab hoc, quẽ locis plerisq; *Barbũ* vocari scimus, piscis est longè diuersus; vt ex historia octogesima nona cognosci potest; Nec etiam est, vt quispiam ab Ausonio non hunc decimum nonum (& si locis quàm plurimis *Barbo* vocetur) sed nonagesimum quintum, latinè Mullum etiam vocatum, Barbum appellari, suspicetur; propterea quod Mullum ipsum [d] *Barbatulum* Cicero, [e] Ac *Barbatum* M. Varro appellauerit. Quoniam cum communi authorum omnium consensu marinus piscis sit Mullus, dulcis aquæ piscem Barbum suum facit Ausonius; Vnde non Mullum, sed nostrum hunc, quippe qui in dulci solùm aqua degit, Ausonii Barbum esse fateamur oportet. Verùm cum vterque gemina insignitus barba sit (& si diuersa quidem ratione, vt eorundem tum formæ, tum descriptiones indicant) vti ex ea Mullus epitheton nactus, Barbatulus, ac Barbatus cognominatur; ita hic noster proprium ab ea nomen ducens, Barbus appellatur.

[c] lib. 25. — B — R. Volaterrani error.

[d] in Paradoxis. [e] lib. 3. de re rust. cap. 17. — C

DESCRIPTIO.

Barbus piscis est, si latitudinem spectes, corpore longiusculo, rotundo, in latera modicè compresso, & Squalo magis quàm cui vis piscium similis; à quo tamẽ perspicuis quibusdam notis distinguitur; Nam cum in extremo rostro Squalo sit os, infra rostrum in inferiore parte illud Barbus habet; Vnde & superior eius maxilla paulum prominet; Dentibus non solum vt squalus, sed lingua etiam caret, cuius vice carnosam habet inferiorem & internam oris partem; Labra longè crassiora sunt ei, quàm squalo; quorum superius superiore sui parte, alia cartilaginea & crassa substantia ita tegitur, vt duplex superior illa superioris labri pars esse appareat; Præterea barba quoque, qua insignitus est, ac Barbus appellatur, à squalo, vt qui ea careat, apertissimè distinguitur; Est autem hæc, quam Barbam appellamus, substantia quædã cutacea, mollis, lubrica, teres, subrubra, ac in vtroq; oris latere gemina; superior enim vtrinque in medio fere latere superioris labri, inferior verò inferius vbi labra ipsa adinuicem committuntur, etiam vtrinque, exoritur; Quòd verò hæc eius barba, ab illa, qua Mullus etiam insignitur, numero situque differat, ex historia octogesima nona, Mullo dicata facilè intelligi potest. Postremò caput habet Barbus D

paulo compreſsius quàm ſqualus; Et licet ventre lacteo, & lateribus argenteis æquè atque ſqualus ſit, dorſum tamen eius ex albo flaueſcens, nigris quibuſdam ac paruulis con ſpergitur maculis; quod quidem ſqualo non accidit; Branchias vtrinque quaternas habet, pinnas verò vtrinque etiam binas; præter quas aliæ duæ in eo conſpiciuntur, in medio dorſo vna, altera in imo ventre poſt excremẽtorum orificium; Quod prope caudam conſiſtit. Fel iecori connectitur; inteſtina plurima pinguedine conuoluuntur; vterus oblongus eſt, & bifidus, ouis innumeris refertiſsimus, cum prægnans piſcis eſt. Licet crebrò vnius, aliquando verò duarum ac trium librarum capiatur; nonnũquam ad libras etiam octo excreuiſſe à nobis viſus eſt.

LOCVS.

A Non ſolùm vti Squalus, ſic & Barbus fluuiatilis eſt & lacuſtris, ſed etiam vt ille, ita & hic frequentius & in multò pluribus fluuiis quàm lacubus naſcitur & viuit. Idque non ea ratione dixerim, quòd multò plures fluuii, quàm lacus reperiãtur; Sed ob id potius, quòd ſicuti lacuum quos habemus, his piſcibus pauci abundant, plurimi verò eis carent; ſic fluuii ferè omnes eos gignunt & alunt; Vnde iure inter ſuos Moſellæ piſces Barbum recenſet Auſonius. Eſtque hic animaduerſione dignum, quod in quouis lacuum, fluminúm ue Barbus, in eodem ferè ſemper & Squalus reperitur; Et econtra vbi Squalus, ibi & Barbus; Qui in piſcinis etiam incluſus, æquè atque Squalus, parit, augetur, & pingueſcit.

NATVRA, ET VT SAPIANT, AC CONDIANTVR.

B Gregatim degunt Barbi; Aeſtate ineunte prope litora pariunt; Et quemadmodum de Squalo diximus. lacuſtres, & in magno ac cœnoſo flumine capti (quales Tyberini ſunt, qui Romæ in ligneo vaſe colludentes toto anni tempore, in vtroque foro piſcario viui veneunt) duri ſunt & inſipidi; Vnde & Platina ſcribit;[f] *Barbuli fluuiales ſunt, inter bonos piſces (quouis modo cocti) non connumerantur*; Verùm ſi in ſaxoſis ac puris fluminibus capiantur; vti probè ſapiunt, ſic teneriores & concoctu faciliores ſunt, ac probiorem ſuccum gignunt; Grandiores natu præfert Auſonius, inquiens, ut diximus; [f] *li. 10. de arte coquendi.*


[g] *Tu melior peiore æuo, tibi contigit uni*
Spirantum ex numero non illaudata ſenectus. [g] *In Moſella.*

Ineunte etiam vere ſapidiores, quàm reliquis anni temporibus creduntur; Ab eorum tamen ouis abſtinere optimum eſt; Quando quàm plurimi non ſine ſuo magno malo illa aliquando comederint; Tormina enim maxima excitant, vomitum concitant, & aluum vehementiſsimè adeò cient, vt aliquando non niſi multo negotio ſiſti poſſit; Quamobrem non inmeritò ſcribit Platina;[h] *Eorum oua menſe præſertim Maio pernicioſa habentur*; Sunt qui credant, non per ſe ipſa Barbi oua, ea mala parere (propterea quod non ſemper id efficiant, ſæpe enim illis nonnulli innoxiè veſcuntur) ſed tunc ſolùm noxia reddi, cum ſalicis flores in aquã delapſos Barbus guſtauerit; Quod licet verum eſſe poſsit, cum tamen an Barbi, quibus veſci volumus, ſalicis ne flores comederint, ab eis ue abſtinuerint, manifeſtè dignoſci nequeat, eorum ouis prorſus abſtinere, multò tutius eſſe cenſemus; Condiuntur autem eodem modo, quo Squali. [h] *lib. 10. de arte coquendi.*

C

D

·P· XX



·N· { ·L· Alburnus. / ·V· Albo.

HISTORIA DECIMA OCTAVA DE ALBO PISCE.

NOMEN.



[a] li. de nomi. pisc. cap. 69. VM hic vigesimus noster piscis, locis plerisque *Albo* vulgò vocetur,[a] à Petro Gyllio Ausonii Galli *Alburnus* esse creditur. Nec temerè prima quidem facie, id asserere videtur Gyllius, vulgari adeo fauente ei nomenclatura; Nil nanque aliud significat Alburnus, quàm album. Verùm si diligentius rem ipsam contemplemur, eam secus sese habere cognoscemus. Primùm enim P. Gyllij error. [b] in Mosella. [b] Cum fluuiatilibus suæ Mosellæ piscibus *Alburnum* asscribat Ausonius; Hic noster Lacustris est. Quòd si aliquis alicubi in fluminibus etiam eundem reperiri obiiciat; Sicuti id fieri non posse, non contendimus; Sic cum in Mosella (vt à quamplurimis illorum locorum accolis accepimus) non reperiatur; Alburnus esse non poterit. Deinde si vlla nominum similitudini fides adhibenda est; Cui quidem si cætera aduersentur, nullam, si verò respondeant, plurimam habendam esse censemus; Λευκίσκον piscem, cuius Galenus meminit, Ausonii Alburnum esse, clarè patet; Cum idem græcè Λευκίσκος, [c] clas. 2. fol. 28. H. quod latinè Alburnus sonet; Accedátque ad hoc, quòd sicuti [c] Galenus *Leuciscum*, Sic & Ausonius *Alburnum*, fluuiatilem piscem facit. Quamobrem sicuti in decima sexta historia, piscem nostrum decimum octauum (quippe cui multò magis quàm cuiuis aliorum piscium, ea, quæ Leucisco tribuuntur à Galeno, quadrent) Leuciscum esse docuimus; Sic eun- A
[d] li. 3. de re Rust. cap. 3. dem decimum octauum piscem, [d] *squalum* etiam (vt ibidem diximus) à M. Varrone vocatum, & non hunc vigesimum, quem *Albo* vulgò appellant, Alburnum (cum Alburnus & Leuciscus idem sit) esse fateamur oportet. Nec hic obiici debet, quòd si ibi de Leucisco intellexisset Ausonius, cum latinus scriptor sit, eum vnà cum M. varrone Squalum, & non nouitio nomine Alburnum vocasset; Nam cum Latinorum solùm M. Varro Squali meminerit, eiúsque semel tantùm mentionem fecerit (ni Columellam etiam, vt in historia decima sexta monstrauimus, eius mentionem fecisse velimus) haud mirum si ita latuerit Ausonium, vt cum hunc piscem (quippe quem à Græcis nonnullis, Λευκίσκον appellari sciebat) reliquis suæ Mosellæ piscibus asscribere vellet, græcam appellationem latinè reddere conatus, nouo nomine eum Alburnum vocauerit. Quod cum posteri diligenter non C
aduertissent, hunc vigesimum piscem (vt cui ea, quæ Leucisco siue Alburno ex Galeno debentur, & si non egregiè adeo vt decimo octauo, non admodum tamen ineptè respondeant) Alburnum esse crediderunt; ob idque vulgò *Albo* appellarunt. Quibus cum ob prædictas rationes assentiendum non sit, hunc piscem vigesimum, vulgò loquentium more, Album & non Alburnum vocandum censemus (& si sub piscis Icone, incisoris incuria Alburnus nomen excusum legatur) eiúsque antiquorum Græcorum, Latinorúm ue neminem, mentionem fecisse scimus.

DESCRIPTIO.

D

Albus quanuis Squalo Alburnó ue appellato pisci persimilis sit, ab eo tamen euidentibus quibusdam notis facilè internosci potest. Primùm enim etsi vterque latitudinis ratione oblongus appareat, eadem nihilominus vtriusque existente latitudine, Albus paulò longior Alburno conspicitur. Deinde rostro acutiore, oculis maioribus, ac dorso magis repando Albus est; Nam cum Alburni sensim atque modicè, Albi repente ac plurimùm à capite extuberat dorsum, Pinnarum autem tum in lateribus, tum in dorso, ac in imo ventre existentium, situ ac numero ei, cùm Alburno conueniente, earundem colore abinuicem discrepant; Subnigras enim Albus, Subrufas verò Alburnus eas habet. Postremò amplioribus squamis Albus tegitur, Ventréque atque lateribus æquè atque Alburnus


candidus & argenteus est, capite verò ac dorso magis quàm ille subuiridis. Magnitudine non differunt, vti enim Alburnus, sic & Albus pedalis frequens, bipedalis verò aliquando tantùm reperitur.

LOCVS.

Lacustris piscis est Albus, non tamen in lacubus omnibus, aut in eorum quamplurimis, vt Tinca, Lucius, Squalus, ac Barbus; sed in eorum nonnullis solùm reperitur. In Trasymeno enim lacu, vbi etiam *Albo* vulgò vocatur, frequens satis in fine veris capitur. Num fluuiatilis etiam sit haud nobis certè patet, cum nullibi eum in fluminibus reperiri hucusque obseruauerimus. Estque hic aduertendum, ne quispiam eum in flumini-
A bus etiam reperiri contendens, Squalum pro Albo nobis ostendat. Quòd autem marinus non sit clarissimum est, cum neque in mari nasci, neque ex lacubus fluminibúsue ad mare adnatare visus fuerit vnquam.

VT NVTRIAT, AC SAPIAT.

Duram carnem habet Albus; Et propterea ægrè coquitur. Insipidus adeò est, vt piscium ferè omnium iure vilissimus censeatur; Nec enim vlla condiendi ratione sapidus effici potest; Torrefactus tamen paulò minus ingratus est palato, solúmque in alio-
B rum piscium penuria eo vesci solemus.


N.
L. Tinca.
V. Tenca.
P. 21.
M. 1.

HISTORIA DECIMA NONA DE TINCA

NOMEN.



IC vigesimus primus piscis, qui ab Italis *Tenca*, à Gallis *Tanche*, à Germanis verò *Schleye* vocatur, quantò cæteris piscibus ætate nostra notior est, tantò apud priscos authores obscurior eius habetur cognitio. Græcorum enim nemo ipsius meminit. Arbitrari nanque vnà cum Platina[a] *Tincam nostram Græcorum μαινίδα esse* ridiculum est, cum authoribus[b] *Speusippo in secundo libro de similibus Bocæ, ac Smaridi similis*[c] Antiphane verò,[d] ac Martiale, *breuis ac paruus pisciculus Mæna sit*. Quorum neutrum Tincæ quadrat; Et præterea cum Mæna scriptorum omnium consensu marina sit Lacustris solùm ac fluuiatilis est Tinca, neque vsquam in mari reperitur. Veterum verò Latinorum Ausonius Gallus solus eius mentionem fecit, inquiens[e] *Quis non & virides vulgi solatia Tincas, Norit?* Verùm sicut satis mirari non possum, cur factum sit, vt scriptores eo uetustiores Tincam nunquam piscibus annumerauerint (solùm enim[f] *Facetum quendam oratorem Placentinum, cognomine Tincam, apud Ciceronem celebrari* reperitur) neque enim Ausoniũ prisca vocabula, nouitiis nominibus subditis, supprimere voluisse credendum est; cum cæteri pisces omnes ab eo veteri nomine appellentur; sic coniectare nequeo, quãobrem mille ac centum deinceps annis, nemo Tincæ mentionem fecerit. Nam post Ausonium, qui redemptionis nostræ annis circiter trecentis & septuaginta, sub Valentiniano ac Valente Augustis vixit, centum tantum ab hinc annis nonnulli rursus Tincæ meminere; Nisi propterea quòd vilis piscis sit, id euenisse opinemur. Veteres enim authores, pretiosos, potius quàm viles pisces, literarum monumentis celebrare consueuerunt. Vnde & Columella scribit[g] *Turdi complura genera, Merulasque & auidas Mustelas, tum etiam sine macula (nam sunt & varii) Lupos includemus, item & Flutas, quæ maximè probantur, Murænas, & si quæ sunt aliæ saxatilis notæ, quarum pretia vigent; Nam viles ne captare quidem, nedum alere conducit.*

Platinæ error. A

B

[a] lib.10. de arte coquendi.
[b] Athe.lib.7.fo.156.22.
[c] Athe.lib.7.fo.156.25.
[d] lib.11.31.
[e] In Mosella.
[f] lib.de claris oratoribus.
[g] lib.8.cap 17.

DESCRIPTIO.

Tinca rostro breui ac retuso est, ore ferè rotundo, ad ventrem inclinante, ac prorsus edentulo; In vtroque latere, vbi labrum superius inferiori committitur, appendicem habet, Cyprini instar, cutaceam rotundam breuem mollem ac lubricam adeo, vt nunquam explicetur, conspicuáue fiat, ni digitis comprehensa extendatur. Oculi magni sunt & aurei. Branchiæ vtrinque quaternæ; Pinnæ vtrinque etiam binæ, ad branchias vnà nigricans, in ventre altera subrubra; Et præter has alia etiam est in medio dorso nullis horrescens aculeis; alia verò à podice in ventre. Squamis minutis ac validè connexis tegitur. Non idem Tincis omnibus color est, aliquæ enim subalbidæ, plurimæ ex albo flauescentes, nonnullæ virides, palustrium verò subnigræ etiam aliquæ sunt. Viscido adeo muco exterius præditæ sunt, vt recens captæ, vix manibus detineri queant. Lapillos binos exiguos in capite gerunt. Mirè pinguescunt. Quinque aut sex librarum crebrò, & vbique ferè reperiuntur; alicubi verò, ad viginti etiam libras aliquando excrescunt.

C

D

LOCVS.

Tincæ nusquam in mari reperiuntur; Nam quæ Romæ vulgò *Tenca marina* vocatur, ab his longè differt; vt in historia octogesima septima docebimus. In lacubus ferè omnibus nascuntur. Capiuntur & in Tyberi, in nonnullísque aliis fluminibus, in quibus cũ per rarò tamen capi soleant, ex aliquo potius lacu ad flumina adnatasse, quàm in eis genitas esse crediderim. In lacubus ac stagnis vt frequentes, ita & omni anni tempore capiuntur.

NATVRA.

Gregales pisces sunt Tincæ; Putrescentis limi sordibus, potius quàm carne vescuntur. Nunquam bene sapiunt, sæpissime verò lutum etiam redolent; Et propterea ab Ausonio (vt diximus) vulgi solatia appellantur; Ac nunc quoque viles & plebeæ censentur; præterquam à mediterraneis hominibus; Qui cum pelagios pisces nunquam gustauerint, in summo honore, & præsertim sacri ieiunii tempore eas habent. Vnde cum in cœna Leonis decimi Pontificis, discumbentibus pelagios pisces vario iudicio certatim atque impensè laudantibus, nobilis quidam Florentinus Tincis solùm assuetus diceret, ex tollatis vt lubet Conuiuæ marinos pisces, ego certè Trasymenam Tincam conditam leu-
A cophago, his vestris Triglis, spigulis, & Rhombis prætulero, huiusmodi suo insulso dicto lachrymas omnibus præ risu excussit. Illæ autem, quas lacus Trasymenus, vel Fucinus, vel paruus ille quarto decimo ab Vrbe lapide apud Bacanam siluam, vel alius etiam par uus in latii Sabinorúmque finibus Sanctæ praxedis appellatus procreat, & si cum marinis piscibus æquari non debent, contemnendæ tamen non sunt; quippe quas in marinorum piscium penuria, ne Lautorum quidem mensæ aspernantur.

QVO MODO CONDIATVR.


De condimento eius sic scribit Iouius.[b] *Nobilis ille inter aulæ proceres longè omnium ætatis nostræ po-* [b] *lib. de pisc. ca. 36.*
B *pinalis lautitiæ studiosissimus, qui ducenta millia aureorum nummum in uentrem se condidisse aliquando gloriatus est. Tincas Bacanianas autumno captas alio laridoque contritis, additisque odoratis oleribus, & multo aromate, integanis ad uaporem tepidioris furni fœlicissimè percoquebat.* Sunt qui laridi ac allii vice, oleum cepámque concisam, ac vuam, quam passulam dicunt, iniiciant, ac eodem modo coquant. Alii in eam, primũ vt par est, purgatam ac interaneis exemptis, passulas, mentam, petroselinum, allium, atque sal concisa, & in simul mixta, per sectionem, qua prius interanea exemerant, infarciunt, consutáque sectione, aut veru infixam, aut craticulæ impositam torrefaciunt, oleo ac aceto cum saluiæ ramusculo, aut feniculi vmbella assiduè dum torretur, conspergentes. Plebei vero eam oleo in sartagine frictam, ac Arancii mali succo conspersam comedere solent.

C

VT NVTRIAT, ET QVIBVS MEDEATVR.

Tincæ, quippe quæ (vt diximus) in cœnosis locis maximè degunt, ac putrido limo pascuntur, non ægrè solum concoquuntur, sed mali etiam sunt succi; eísque vim quandam inesse ad progignendas febres medicorum plurimi existimant. Vnde sicuti eis crebrò vesci non debemus, sic diebus canicularibus, quo precipuè tempore maximè noxiæ creduntur, ipsis prorsus abstinendum est.[i] *Eas autem* (vt refert Iouius) *per dorsi longitudinem scissas, pedumque ac manuum plantis applicatas, ardentis febris feruoribus plurimum aduersari, quidam putauerunt ex secta iudeorum; Qui cum quàm sordidè admodum, atque ridentibus aliis talia experirentur, aliquando tamen ipsis æstuantibus exoptata blandimenta fœliciter attulisse experti sunt.* [i] *lib. de pisc. cap. 36.*

D


P. 2.
N. G. κυπρῖνος.
L. Cyprinus.
V. Raina.

HISTORIA VIGESIMA
DE CYPRINO.

NOMEN.



[a] li.7.f.154.28 — [b] li.1.fo.116.38. — [c] lib.24. de ani. — [d] lib.10. de arte coquendi.

HIC noster vigesimus secundus piscis, quem Veneti *Raina*, Mantuani *Bulbaro*, Ticinenses, Placentini, Cremonenses, cæteríque Padi accolæ *Carpana*, Galli *Carpe*, & Germani *Karpffem* appellant, Græcè *κυπρῖνος*; &[a] ab Athenæo *κυπριανός* vocatur. Etsi cum Athenæus Aristotelem citet, apud quem *κυπρῖνος*, & non *κυπριανός* legitur, mendosum Athenæi locum esse, *κυπρῖνος* que restituendum, arbitrer. A Latinis verò *Cyprinus*, [b] à Lippio aliquando *Cyparinus*, [c] ab Alberto *Carperen*, & [d] à Platina *Carpanus* dicitur. Quòd autem *Cyprinus* antiquorum, hîc noster vigesimus secundus piscis sit, ex illis, quæ Veteres Cyprino tribuere, dignoscitur; Huic nanque nostro magis quàm cuiuis piscium quadrant; vt procedente historia monstrabimus. Vnde manifestum fit, in Cyprino dignoscendo dupliciter authorem thesauri latinæ linguæ aberrare; Primùm enim deceptus Plinii verbis, dicentis,[e] *Cytharus, Chromborum genera, Cyprinus, Chalcis, Cobio*, & reliqua, ex Congrorum genere falsò Cyprinum esse asserit. Deinde cum ferè omnes nostræ ætatis homines, hunc piscem nostrum (quem locis plerisque vulgò *Carpana* diximus vocari) Cyprinum esse credant; Ipse alium piscem in ordine nostro vigesimum quintum, vulgò (vt historia vigesima declaratur) *Carpione* appellatum, vulgaris nomenclaturæ similitudine deceptus, ab hoc diuersum non esse arbitratus, Cyprinum, cum piscem esse, quē vulgò *Carpione* appellamus, nonnullos velle, perperā testatur; Cum qui vulgò *Carpione* dicitur, neque Cyprinus esse posit, neque ab aliquo Cyprinus creditus sit.

Athenæi locus corrigitur. — A — [e] lib. 32. cap. 11. — *Authoris thesauri lati. ling. error.* — B

DESCRIPTIO.

Piscis iste, quem (vt diximus) antiquorum Cyprinum esse arbitramur, nulli piscium magis quàm Tincæ similis est; Superius enim labrum rotundum est ac croceum, ex quo vtrinque (Tincæ instar) gemina barba pendet; Linguæ verò vice, carnosum palatum habet, ita vt nisi diligenter inspexeris, lingua id esse videatur. Vnde[f] ab Alberto, ac à plerisque aliis nostri temporis hominibus, vt qui hoc negligentius contemplati fuerint, eius lingua falsò sapidissima censetur; Cum illud carnosum palatum sit, & non lingua, qua prorsus caret; Vt illis, qui accuratius inspexerint, conspicuum fit. Ac Aristoteles testatur, inquiens,[g] *Aquatilium generi, quos pisces uocamus, data quidem est lingua, sed imperfecta incertaque, ossea enim nec absoluta, sed palatum nonnullis carnosum pro lingua est, uelut inter fluuiatiles Cyprino, ita ut nisi diligenter inspexeris, lingua id esse uideatur*. Et alibi, [h] *Palatum piscium etiam complures carnosum habent, & quidem inter fluuiatiles, nonnulli admodum carnosum & molle, ut Cyprini nomine, adeo ut si parum diligenter aduertas, lingua id esse uideatur*. Eandem Aristotelis sententiam citat & Athenæus; Sed cum apud eum nunc legatur, τὴν δὲ γλῶτταν οὐχ ἔσω τῷ στόματι, ἀλλ' ἔσω τὸ στόμα κέκτηται. Deprauatum esse hunc locum eius, manifestissimum est, nihil enim significare videntur hæc eius verba; Cyprini prætereà venter & si recta fere linea excurrat, dorsum tamen adeò curuum est, vt piscis totus, si cum longitudine sua conferatur, latus censeri debeat; Quòd verè, sed ineptis verbis notauit Albertus, dicens,[i] *Carperen sunt pisces plus spissi, quàm longi, secundum proportionem*. Squamis

C — [f] li.24. de anim. — *Alberti ac aliorum quorundā error.* — [g] Hist. li.4. ca.8 — [h] lib.2. de Part. cap.17. — D — *Athenæi locus mēdosus.* — [i] lib. 24. de ani.

tegitur ſubrufis, duriuſculis, & maximis; Vnde forſan apud Athenæum[k] λεπιδωτὸν cum vocauit Dorion; Et præter binas, quas vtrinque habet pinnas, vna in medio dorſo exorta, & robuſto innixa aculeo, ferè ad caudam eius extenditur; altera verò hac longè minor, forti etiam armata aculeo, in imo ventre prope caudam conſiſtit. [l] *Branchias utrinque etiam quaternas; duplici ordine nouiſſima excepta, Cyprinum habere*, teſtatur Ariſtoteles; Ventriculum mediocrem habet, Hepar ſubrubrum, cui ſubnigra fellis veſica hæret, & inteſtina admodum pinguia. Quinque autem ac ſex librarum pondere crebrò reperitur; Aliquando etiam & viginti; Iouio verò authore, [m] *In Lario lacu ducentarum quoque.*

[k] li.7.fo.154.30
[l] Hiſt.li,2.ca.13
[m] li. de piſ.c.38

A

LOCVS.

Cum in lacubus ac fluuiis piſcis iſte noſter vigeſimus ſecundus oriatur & viuat, vt vtráque Gallia ac Germania teſtatur (Nam nec in Hetruria nec in Vmbria vſquã, quod quidem ſciam, reperitur) hac etiã ratione Cyprinus credi poteſt; Cum Ariſtoteles, [n] *Fluuiatilibus piſcibus ſemper Cyprinum annumeret*, [o] ac apud Athenæum Dorion, *Inter lacuſtres et fluuiales* eundem recenſeat; Licet Plinius, & Oppianus, neſcio qua ratione ducti, Marinum eum eſſe piſcem falsò affirment. Ille enim inquiens, [p] *Hoc & in mari accidere Cyprino putant*. Et alibi in ſuo piſcium catalogo, [q] *Inter peculiares maris piſces eum connumerans*; Hic verò non ſolùm marinis piſcibus Cyprinum aſſcribens, his verſibus;

Plin. & Oppianus notantur.

B

[r] *Nonnulli flauam piſces in littore arenam*
Mandunt, & terra quicquid nutritur in alta
Hippi, Cocciges celeres, Flauique Erythini
Citari, Triglæque ſimul, tenues Melanuri,
Trachuronque greges, Bugloſſæque & Platanuri,
Tæniæ imbelles, & picto Mormylus ore,
Scombri, Cyprini, ſtabulantur littora iuxta.

[n] Hiſt.lib.4. ca. 8.lib.6.ca.14
lib.8.cap.20.
Part.li.2.c.17
[o] li.7.f.154.29
[p] lib.9.ca. 16.
[q] lib.32. cap. 11.
[r] li.1.fo.108.21

Sed etiam alibi expreſsius ſubdens.[s] In pelago fœtus quinos edit Cyparinus. Vt teſtatum autem reliquit Iouius;[t] *Larius lacus ob longitudinem à Vergilio maximus nuncupatus, piſces longè omnium maximos gignit; Troctas centum aliquando librarum pondere, & Bulbaros ducentarum; Sed Bulbari illi ingentes uideri potius liquidis ac perſpicuis in undis quàm capi retibus poſſunt, quum ea impotenti impetu plerunque dilacerent. Subeunt Solſtitij diebus umbroſos ſpecus in rupibus licinianis, quæ ſunt in aduerſa Larij ripa contra inſulam, Euripumque illum gemmeum à Cæcilio Plinio celebratum. Eos induſtrius quidam ſacerdos ſagittis arcubaliſta emiſſis, cum in profundo quieſcentes fuſcinis atque tridentibus attingi non poſſent, uulnerare conabatur, neque tamen ſagittæ longo alligatæ funiculo, niſi auerſis officiebant, quum illa ſquamarum ſerie thoracati earum ictus facilè repellerent.* Vt verò ſcribit Albertus, [u] *Hic piſcis in aliquibus aquis generat, et in aliquibus graſſatur & creſcit; Sed optimè ualet in fundo argilloſo, tritico primo ſeminato, & poſtea argilla de ſuper ſparſa, et poſtea aqua ſuperfuſa*: In piſcinis etiam dulcis aquæ incluſus, mirè pingueſcit atque excreſcit.

C

[s] li.1.fo. 116.38.
[t] li. de piſ.ca. 38
[u] lib.24.de ani.

PARIENDI TEMPVS, ET RATIO.

D

Vt ab Ariſtotele proditum eſt, [x] *Cyprini quinquies aut ſexies anno pariunt*; Quod tum Plinius, [y] *Cyprinus ſexies parit* inquiens, tum Oppianus ſcribens (vt diximus)[z] *Fœtus quinos edit Cyparinus*, confirmant; Et vt idem tradit Ariſtoteles, [a] *Partum Siderum ratione potiſſimùm edit Cyprinus*; Eodemque teſte, [b] *Cyprini uadis intrudunt ſeſe cum parturiunt, & ſæpenumero ſingulas fœminas mares tredecim aut quatuordecim ſequuntur, mox fœmina oua procedendo emittit, mares ſectantes ſemen*

[x] Hiſt.li.6.c.14
[y] li.9. cap.51.
[z] li.1. fo.116.38
[a] Hiſt.li.6. c.14
[b] Hiſt.li.6. c.14

suum ouis respergunt: Verùm plurima pereunt, quòd enim fœmina non stabilis, sed mutans continuè parit, dissipari oua necesse est; videlicet ea, quæ non in materiã inciderint aliquã, sed excepta ab unda ferantur. Neque est.n. qui sua oua custodiat, excepto Siluro et Cyprino, sed Cyprinus tũc ea custodit, cum congesta reperit. Postremò eiusdem Aristotelis testimonio,[c] *Tardissimum Siluri incrementum ex ouo est; Quamobrem mas sæpe uel quadraginta et quinquaginta diebus assidet custodiens oua, ne à piscibus occurrentibus absumantur, Secundæ tarditatis generatio Cyprinorum, parique modo edita oua à mare seruantur: Fit autem ouum Siluri quantum eruum, Cyprini uerò magnitudine Milij.* Quæ quidem si huic pisci nostro, sicuti lingua carere, ac eius vice carnosum habere palatum, respondere, compertum esset, ipsum, Cyprinum esse, nemo inficiari posset; Verùm vt id nobis experientia obseruasse, huc vsque non licuit, ita neminem qui id experiri tentauerit, hactenus reperimus.

[c] Hist.li.6.c.14

A

NATVRA ET MORES.

Athenæus Aristotelis authoritate, (& si apud Aristotelem non legatur)[d] *Carniuorum ac gregalem Cyprinum esse testatur;* Vt vero inquit Aristoteles,[e] *Silurus canis exortu potissimùm (quod sublimis innatet) sideratur, & tonitruo sopitur magno; Quod & Cyprino accidit, sed lenius.* Quod cum ex eo transcripserit Plinius inquiens,[f] *Fluuiatilium Silurus caniculæ exortu sideratur: Et alias,* semper (in manuscripto) *Fulgore sopitur; Hoc & in mari accidere Cyprino putant;* Mirari conuenit, cur id in mari accidere Cyprino scribat, cum Aristoteles in fluminibus vel lacubus Silurum & Cyprinum siderari atque sopiri testatum reliquerit. Alberto autem authore,[g] *Cyprinus piscis* qui *Carperem* (vt diximus) ab eo appellatur, *in euitandis retibus ualde est astutus; Aliquando enim transilit, aliquando suffodit in fundo, & aliquando herbam ore tenens, retinet se, ne trahatur à reti; Aliquando de superficie ueniens, fortiter caput in fundo infigit, ita quòd rete non nisi caudam tangens, illabitur.*

[d] l.7.f.154.28
[e] Hist.li.8.c.20
[f] lib.9.ca.16.
[g] lib.24.de ani.

In Plinium animaduersio.

B

VT SAPIAT, AC NVTRIAT.

Sicuti antiquorum nemo Cyprinum saporis bonitate celebrauit, sic hic noster, nusquam multi pretii censetur: Solùm enim carnosum eius palatum (quod plerique linguam appellant & putant) communi consensu saporis excellentia commendatur; Non ob hoc tamen piscis reliquus spernendus est prorsus, nam vt asserit Iouius,[h] *Sunt in Mantuano lacu, qui restagnante Mincio amne, latè diffunditur, Bulbari pisces sapore longè optimi, nam Lariani sola magnitudine sunt insignes.* Platina verò authore,[i] *Magnus, & herbas, ubi flumina ob increscentiam ex alueis exeunt depastus, non insuauis cum leucophago, aut alliato habetur, paruus frigitur.* Albertus,[k] *Pinguem, dulcem, & mollis carnis piscem, sed non sanum eum esse* asserit; Iouius verò,[l] *humidiores ipsum carnes habere, sed tamen innoxias; propterea quod non tenaci, sed aqueo potius humore abundent;* Nos autem eum qui in flumine nec sordido nec cœnoso captus fuerit, & si salubrioribus & optimis piscibus annumerandum esse non arbitramur, noxiis tamen & improbis asscribendum minimè existimamus; Et licet quouis modo coqui posit, crebrius tamen ferè vbique in aqua & aceto elixus, comedi solet; Et vti ex ouis Sturionis, vt in historia trigesima dicemus, nigrum cauiarium conficitur, sic ex ouis Cyprini salitis, & in massam congestis, rubrum cauiarium conficitur in Capha, quæ ad Tanaim ciuitas est; quo Iudæi (quippe quibus, nigro cauiario, vt quod ex pisce squamis carente fiat, vti ex lege non liceat) maximo conficientium lucro, vtuntur; Postremò subdit Iouius,[m] *Linguam eius uim augendæ ueneris habere, sicuti in Tincarum & Anatum linguis experimur.* Quod quidem de carnoso eius palato intelligi debet; Quod non secus quàm multi alii, linguam appellat, et esse, arbitratur Iouius.

[h] li.de pis.ca.38
[i] lib. 10. de arte coquendi.
[k] li.24.de ani.
[l] li.de pis.ca. 38
[m] ibidem.

C

D

QVO MODO IN ISTRO CAPI SOLEAT.

Miram tum Cyprinorum, tum aliorum quorundam piſcium capturam, quam in Iſtro faciunt, narrat Aelianus; inquiens.[n] Eſt etiam in Iſtro ſinus adeo profundus & latus, vt mare eſſe videatur, in quem onerariæ naues mare transmittētes ad vſum accolentium inſinuantur, atque appelluntur. Itaque tempeſtatibus cum is quatitur, quemadmodum mare inhorreſcit. Sunt etiam in eo inſulæ & receſſus quidam, in quos refugere licet, & crepidines riparum bene eminentes, quibus cum æſtus reciprocatur, fluctus refringuntur, atque eodem velut in anguſtias compulſi, in mare retunduntur. Hoc ipſum ineunte hyeme fieri ſolet, tum enim hunc augeſcentem Bo- *n lib.13.ca. 73.*
A reas impellit & concitat. Hic adeo duram glaciem defert, vt hæc vecturas omneis ſuſtineat. Contra acerrimus Boreas flans huic reſiſtit, & ſic in altitudinem deprimit, vt bene penitus conglaciet, & eius confluens viis occultis infra delabatur, glacies campi patentis æquor eſſe videatur. Ac nimirum homines vel equis inſidentes, vel iugata iumenta agentes, iter faciunt. Nauem onerariam in confluente verſantem tantopere aqua frigoribus concreſcens circumligat, vt nec paſſa vela, nec gubernatores opus ſint, quòd ea glaciei vinculo conſtricta tenentur; nec ſanè nauis eſſe videtur, non enim amplius fluctibus verberatur, ſed in magna planicie tumuli, aut cuiuſdam ſpeculæ ſimilitudinem ſpeciémque gerit. Vbi nautæ exſiliunt, in flumine excurrentes, plauſtríſque onera tranſuehunt, tum glaciem in orbem perfodientes,
B puteum excauant, vt vel putei vel maximi dolii os eſſe videatur. Permulti piſces lucis deſiderio ex glacie tanquam ex tecto effugere cupientes, in apertum os innatant, eodémque frequentes congregantur, vt inter ſe trudant. Vbi vt in ſtricto ſcrobe cum permulti alii piſces facilè capiuntur, tum plurimi Cyprini, & Coracini, & Percæ, & Xiphiæ, qui nec dum confirmata ætate, nec mucronato roſtro exiſtunt, & Antacei, & ii quidem teneri; nam qui ætate proceſſerunt, ad maximi Thunni magnitudinem accedunt.


94
P. 23
N. L. Lucius.
V. Luccio

HISTORIA VIGESIMA PRIMA DE LVCIO

NOMEN.



ISCIS noster vigesimus tertius, qui ab Italis *Lucio*, à Gallis *Brochet*, & à Germanis *Hecht* vocatur, & si æquè atque Tinca, (cum qua ferè semper degit ac reperitur) nostra notissimus sit tempestate. Attamen vti nec Tincæ (quemadmodum decima nona edocet historia) sic nec huius vlla apud Græcos scriptores mētio reperitur. Veterum verò latinorum solus Ausonius Gallus eius meminit, Luciúmque appellans, inquit, A

[a] In Mosella.

[a] Lucius obscuras ulua, cœnoque lacunas
Obsidet, hic nullus mensarum lectus ad usus
Feruet fumosis olido nidore popinis.

[b] li.30. Epist.27 lib.31. Epist.6. li.32. Epist.14 lib.33. Epist.6.

F. Philelphi error.

Nec enim Francisco Philelpho [b] *Lucium nostrum, antiquorum Lupum esse, quibusdam super hoc conscriptis epistolis, differenti, indoctosque qui secus sentiunt contumeliosè appellanti* assentiendum est; Quoniam non solùm rem acu non tetigit, sed absurdè etiam lapsus est. Scribens enim, *Cum λύκος Lupus piscis Græcè dicatur. v. in. u. uerso in Lucum primum, ac deinde deprauantibus Latinis in Lucium abijt*, non animaduertit Lupum quadrupes animal λύκον à Græcis appellari, & non Lupum piscem, qui à Græcis omnibus λάβραξ & non λύκος vocatur. [c] *Nec si Hicesius λύκον piscibus etiam annumeret*, defendi Philelphus poterit; Quando *Ανθίαν à quibusdam λύκον etiam appellari*, & non λάβρακα siue Lupum piscē, λύκον esse asserat Hicesius. Præterea quo modo Lucius esse poterit Lupus, Cum Lucium in dulcibus solùm aquis gigni ac viuere, mariáque nunquam intrare, totius Europæ consensu manifestissimè constet (qui enim Romæ *Lucio de mare* vulgò dicitur, piscis est, ne quispiam nominis similitudine decipiatur, ab hoc nostro Lucio longè diuersus, vt in historia octaua declaratur) Lupum verò marinum piscem faciant antiquiores; Testetúrque Galenus, [d] *Lupum in dulcibus aquis nunquam nasci, sed è mari in flumina aut stagna aliquando ascendere*. Postremò cum Lupus tantopere ab authoribus (vt vigesima octaua historia declaratur) saporis excellentia commendetur, Lucius, vt qui Romæ, ac tota Italia vilis insipidùsque sit (vt procedente historia patebit) esse non poterit, Quamobrem Græcorum neminem, antiquorum verò Latinorum vnum Ausonium (vt diximus) Lucii piscis meminisse asserendum est. B C

[c] Athe. li.7. fo. 142.6.

[d] clas.2. fo.28. H.

DESCRIPTIO.

Modicè adeo Lucii latera dilatantur, vt totius corporis figura oblonga videatur. Dorsum latum habet, & cum ferè reliquis omnibus squamosis piscibus dorsum ipsum magis, aut saltem æquè atque venter extuberans sit; huic vni magis quā dorsum extuberat venter. Capite est macro & osseo, rostro extento, ore amplo & maximè denticulato, inferiore maxilla longiore, & in extremo rubra, oculis magnis, magnáque & ossei branchiarum operculi scissura. Præter binas vtrinque tum ad branchias tum in vētre exortas pinnas, alias etiam duas, vnam in dorso, alterā è regione in ventre satis prope caudam habet. Venter albicat, dorsum verò ex subflauo nigrescit; à quo lineæ plurimæ latæ, non rectæ, sed multipliciter inflexæ, obliquæ potius quàm transuersæ, in aliquibus magis, in aliquibus verò minus & flauæ, & conspicuæ deducuntur, piscémque totum pulcherrimè pingunt. Alberto Magno authore, [e] *Ita guttori continuatum habet uentriculum ut aliquando eum eijciat auiditate gluttendi piscem*. Ad viginti aliquando libras auctum vidimus; alicubi verò multò etiam maiorem reperiri, à fide dignis accepimus. D

[e] lib.24. de animalib.

LOCVS.

In mari nusquam, in lacubus verò ac stagnis ferè vbique ac frequentissimè Lucii reperiuntur. Nascuntur præterea & degunt in fluminibus quoque nonnullis, vt nō solùm experientia testatur, sed Ausonius etiam comprobat, vt qui cum inter fluuiatiles suæ Mosellæ

pisces recenseat. Verùm in Italia sicuti in lacubus ferè omnibus frequentissimi, sic in fluminibus haud multis, in eisque rari etiam habentur. Qui verò in Tyberi capiuntur, non solùm perrari sunt, cum vix quotannis deni capiantur; sed à Lacustribus facilè etiam internoscuntur. Arctiori enim sunt corpore, toti argentei, ac flauis illis lineis carentes, palatóque gratiores. In cænosis locis omnes libenter degunt, quod Ausonius etiam loco supracitato testatur, inquiens,

Lucius obscuras ulua cænoque lacunas
Obsidet.

NATVRA.

Gregatim degunt, Et omni anni tempore capiuntur. Maio mense pariunt, Et carniuori A sunt, immanésque adeo ac voraces, vt Alberto Magno authore[f] *ne sui quidē generis piscibus parcant. Et aliquando paulò seipsis breuiorem glutiunt piscem, & tunc capite interius uerso, & aliquanta parte extra os dependente paulatim digerunt, et attrahunt partes piscis secundum longitudinem, donec totum digesserint,* subdítque etiam ibidem Albertus, *Ego uidi & consideraui, quòd cum piscem capiunt primò in ore per transuersum dentibus perforatum diu portant, & tunc mortuum glutiunt.*

[f] lib. 24. de animalibus.

QVANTI SIT AESTIMANDVS.

Ignobilem, mensísque ingratum Luciū existimauit Ausonius, inquiens, vt supra etiam citauimus,

Hic nullos mensarum lectus ad usus
Feruet fumosis olido nidore popinis.

Cui quidem sicuti Itali omnes, quotidiana experientia edocti, (durum enim & insipidum B eum, experiuntur) subscribunt; sic contradicunt Galli, quippe qui in Gallia Belgica, atque in Brittannia, inter nobiles fluuiatiles pisces eundem recensent. Venditántque omni tempore viuos, ligneísque viuariis innatantes Britanni; Ventrémque illis vltro cultris aperiunt, ad ostendendam eorum pinguedinem, quæ plagis exprimitur, vt emptores aspectu suminis alliciantur; Neque refutati propterea commoriuntur; Coëunt enim protinus patentia vulnera Tincarum contactu; quòd earum tenaci illuuie veluti glutinoso medicamine solidentur. Nec enim mirum esse debet, quòd in Gallia iucundissimè sapiat, & si insipidus noster sit, quando istud hoc in aliis quoque piscibus accidat, vt M. Varro his verbis indicat,[g] *Non enim si Murænæ optimæ flutæ sunt in Sicilia, & Helops ad Rhodon, continuò hi pisces in omni mari similes nascuntur.*

[g] li. 3. de re rust. cap. 6.

C VT NVTRIAT, QVO MODO CONDIATVR, ET QVIBVS MEDEATVR.

Quidam[h] *Inter alios pisces, minus insalubrem eum existimauit*; Cui gregales medici assentiuntur omnes, piscium omnium saluberrimum esse contendentes. Verùm quàm aberrent, si ad Galeni censuram expendatur, facilè intelligi poterit. Is enim tum locorum ratione, tum carnis substantia, optimos pisces diiudicat, & quo ad locum spectat, cum pisces & in marina, & in dulci aqua degant, cúmque marinorum[i] *Aliqui non in leuibus, aut arenosis, aut terreis litoribus, sed in petrosis promontorijs, & ubi saxa sunt delitescant & pariant, ob idque saxatiles uocentur.*[k] *Nonnulli in profundum mare secedant, pelagicique appellentur,*[l] *Quidam in marinis stagnis,*[m] *Alij circa fluuiorum ostia, ubi marina dulci sese immiscet aquæ, uiuant.* Illorum verò qui dulcem aquam colunt, aut in fluminibus, aut in lacubus, aut D in paludibus victitent,[n] *Omnibus saxatiles præfert; In secundo bonitatis loco pelagios constituit, Post hos qui in maritimis stagnis, aut circa fluuiorum mari illabentium ostia degunt, collocat; Quibus omnibus marinis fluuiatiles, & postremò ipsis fluuiatilibus lacustres ac palustres deteriores facit.* Ex quibus nemo non intelligit, loci ratione, ne salubrem quidem, ne dum saluberrimum, Lucium censeri posse. Quo verò ad carnem attinet, eodem authore,[o] *Sicuti cibi reliqui, sic & pisces, si salubres censendi sunt, teneri ac friabiles sint oportet.* Vnde neque etiā istis nominibus salubris piscis erit Lucius; vt qui friabilis non sit, durúsque profectò existat. Et propterea neque etiam concoctu facilis est; Si probè tamen concoquatur plurimum nutriet. Maiorem elixum, minorem verò torrefactum, frictúm ue comedimus,[p] *Luciorum mandibulæ tostæ* (Iouio authore) *in puluerem redactæ, si aurei pondere cum uino sumantur, in uesica & renibus calculos frangere consueuerunt.*

Quorundam opinio falsa.

[h] Platina lib. 10. de arte coquēdi

[i] clas. 2. f. 29. C

[k] clas. 2. fo. 28. H.


[l] clas. 2. f. 28. E.

[m] clas. 2. fol. 28. G.

[n] clas. 2. fol. 28 E. F. G. 29. D. F. 36. C. clas. 7 fol. 51. F.

[o] clas. 2. fol. 30. A.

[p] lib. de piscibus cap. 37.


N. G.
L. Salar. et Varius
V. Trotta.

HISTORIA VIGESIMA SECVNDA
DE TRVTTA

NOMEN.



PISCIS vigeſimi quarti, quem Itali Trotta, Galli verò Troutte appellant; Græcorum nemo (quod quidem ſciam) mentionem fecit; Latinorum verò & ſi nonnulli meminerint, non omnes tamē eodem
[a] lib.8. ca.17. eum vocarunt nomine; Columella.n.inquiens,[a] *Tum ſine macula (nam ſunt & uarij) Lupos includemus,* ſicuti duo Luporum genera, ſine macula vnum, varium verò alterum facit; Sic Lupos varios, Truttas noſtras vocare videtur. Nam vti nullū Luporum (quos ſpigole Romæ A
vulgò vocant) maculis ita inſignitum videmus, vt varius dici poſsit, ſic piſcium, qui macularum ratione, quibus depicti ſunt, varii vocari merentur, nullus eſt, qui propius quàm Trutta ad Lupi accedat ſimilitudinem. Verùm ne ſolis videamur coniecturis inniti, Iſidorum Hyſpalenſem, in recenſendis rerum nominibus, quibus tempeſtate ſua vtebantur (vixit autem plus octingentis ab hinc annis) teſtem haud contemnendum, conſulamus; Cum
[b] lib.12. cap.6. enim ſcribat,[b] *Piſcium nonnulli à colore appellātur, ut Vmbræ, quia colore umbræ ſunt, et Auratæ, quia in capite auri colorem habent, & Varij à uarietate, quos uulgò Truttas uocant,* apertiſsimè noſtræ ſubſcribit opinioni.
[c] lib.7.fol.147 Hic tamen (ne quiſpiam nominum decipiatur ſimilitudine) animaduerti debet;[c] *Piſcem etiam*
30.& 36. *illum τῶν γαλεῶν, quem alij Ἀστερίαν.i. Stellarem uocant ποίκιλον, hoc eſt uarium uocari* ab Athenæo, vt noſtra
[d] lib.8.fo.311. 44. edocet hiſtoria,[d] Pauſaniámque[e] & Euſtathium, *Piſcem quendam uocalem, Turdique uocem imitantem* B
[e] fol.1720. 40. *in Aorno fluuio reperiri, et ποικιλίαν.i.uariū uocari,* ſcriptū reliquiſſe; vt latius octogeſima prima pertractabimus hiſtoria. Præterea Plinius ille, qui librum de morbis atque remediis conſcri-
[f] li. de piſ. ca.35 pſit.[f] *Qui quidem (vt Iouius teſtatur) Plinio naturalis hiſtoriæ ſcriptore, et Plinio Cæcilio poſterior extitit, ac Plinius Valerianus medicus uocatus fuit, Cuiuſque marmoreum ſepulchrum Comi, ubi Pliniorum familia floruit, in templo Diui Probini aquæ ſacræ labello ſuppoſitum, & pulcherrimis inciſum characteribus conſpicitur,* Truttum vocauit dicens;
[g] li.5.de re med. [g] *Piſces de flumine qui petram habent, ut Trutti, Squalij, comede.* Quem quidem locum, vti quò ad piſcem,
ca.43. quem hic examinamus, notatu dignum, ſic etiam mendoſum cenſeo; legendúmque potius arbitror, *ut Truttæ, Squali.* Nam cum in D.Ambroſio, & Iſidoro Hyſpalenſi Trutta. In M. autem Varrone (vt Hiſtoria 16. edocet) Squalus; Truttus verò & Squalius apud nullum ſcriptorum reperiatur; Truttæ & Squali corrigendum videtur. Deinde D. etiam Ambro- P. Valeriani locus corrigitur. C
ſius, & Iſidorus Hyſpalenſis eadem nomenclatura (quam tamen vulgi fuiſſe aſſerunt) vſi,
[h] Hexa.5.cap.3. Truttam appellarunt, Scripſit enim ille,[h] *Piſcium alij oua generant, ut ij quos Truttas uocant,* hic verò
[i] lib.12.cap.6. vt ſupra etiam citauimus.[i] *Varij à uarietate dicuntur, quos uulgò Truttas uocant.* Verùm hic quoque (ne ſimilia nomina interturbent quenquā) admonere oportet; Quòd ſicuti in Plinio Valeria-
[K] lib. 12. ca.53. no medico, in D.Ambroſio, & in Iſidoro Trutta,[K] in Aeliano verò Trocta legitur; Sic illorum Trutta, piſcis de quo hic agimus eſt; huius verò Trocta, alius, quem alii Amiam appellāt,
[l] lib.25. vt manifeſtiſsimè in vigeſima quinta declaratur hiſtoria. Quod cum non aduertiſſent[l] Ra- R.Volaterrani & Iouij error.
[m] li.de piſ.ca.35 phael Volaterranus,[m] ac Iouius. *Hunc piſcem noſtrum non ſolùm perperam Troctam uocarunt,* ſed quod grauius eſt, *Ei etiam falsò tribuerunt, quæ Aeliani Troctæ debentur.* Petrus autē Gyllius & ſi Aeliani Tro-
[n] lib.de nom.piſ. ctam, alium ab hoc noſtro piſcem eſſe non ignoret, cum tamen[n] *utrunque Truttam appellet, &* D
cap.32. *D.Ambroſium Truttam, non hunc noſtrum piſcem, ſed unà cum Aeliano Amiam uocaſſe aſſerat,* haud nobiſcū conuenit; Quippe qui vti Amiam, Aeliani more Troctam appellamus, ita piſcem hunc vigeſimum quartum non ſolùm Truttam vocamus, ſed ſic etiam à D. Ambroſio vocari cenſemus. Nam cum nuſquā in Italia, Amia vulgò Trutta vocata vmquam fuerit, dicat autem D.Ambroſius, *ut ij, quos Truttas uocant;* certum eſt non Amiam, ſed piſcem hunc 24. (quem Iſidori quoque teſtimonio, vulgò Truttam appellatum fuiſſe ſcimus) ab illo vocari. Poſtremò P. Gillij lapſus.
In Moſella. cum Auſonius Gallus dicat,[o] *Purpureiſque Salar ſtellatus tergora guttis,* egregiè adeo Truttam noſtram pingit, vt dubitari non debeat, quod ea ab eo Salar vocetur; Et vel maximè cum in Moſella, dempta Trutta, quæ ibi ſatis frequens eſt, nullus reperiatur piſcis, cuius tergora

ſtellata ſint purpureis guttis. Qua autem ratione Trutta ab eo Salar appelletur, haud conijcere poſſum; Hoc vnum ſcio, apud nullum alium ſcriptorem, Salar legi. Noſter igitur vigeſimus quartus piſcis (vt breuiter ac ſummatim omnia perſtringamus) græco nomine deſtituitur, à Columella verò Lupus Varius, ab Iſidoro Varius ſimpliciter, ab Auſonio Salar, à Plinio Valeriano, à D. Ambroſio, & Iſidoro, Trutta, à Platináq; Truta vocatur, Arbitratúrque Platina, [p] *Trutam quaſi truſilem à trudendo dici, eò quod ſemper in aduerſum & impetuoſum flumen nitatur, aduenientes undas ſuperare contendens.* [p] *lib. 10. de arte coquendi.*

DESCRIPTIO.

Trutta corporis forma Lupo perſimilis eſt; roſtro tamen minus extento, magis retuſo ac paululum in curuo; Ore etiam paulò minori; Sed quamplurimis & acutiſsimis dentibus, tum in maxillis multiplici ordine, tum in lingua diſpoſitis, denticulato; Præter binas, quas vtrinque tum ad branchias, tum in ventre habet pinnas, aliæ duæ in dorſo exoriuntur, prior & maior in medio dorſo, poſterior minor & cutacea prope caudam; Aliaque etiam parua à podice, imo ventri ſubeſt; Piſcis totus ex albo flaueſcit, maculis modò purpureis, modò nigricantibus dorſum ac latera ſpecioſè pingentibus. Squamis tegitur paruis; Partes internæ nihil peculiare, notatúue dignum habent, niſi quod appendices numeroſæ prope ventriculum extant. Fluuiatilis cubitalem magnitudinem ferè non excedit, lacuſtris verò maior reperitur; In Lario enim lacu ad quinquaginta, quinimo Iouio authore [q] *ad centum etiam*, libras excreſcere conſueuit. [q] *li. de piſ. ca. 35.*

(A)

LOCVS ET NATVRA.


(B) Fluuiatilis piſcis eſt Trutta; in fluuiis minoribus, frigidioribus, ſaxoſis, & inter montes delabentibus, potius quàm in maioribus, minus frigidis, minus ſaxoſis, & per plana defluentibus loca, naſcens & degens; Reperitur & in aliquibus lacubus, in quibus lõgè etiam maiores fiunt quàm in fluminibus; Vt de iis, quas Larius lacus procreat paulò ante dicebamus. Aduerſus amnes vel è præruptiſsimis etiam cautibus decidentes, incredibili impetu Truttas ſubire, compertum eſt; Vnde vt Iouius aſſerit, [r] *Ab Nare fluuio in Velinum lacum (qui hodie pedelucus eſt) ſtupenda uelocitate uolucrum modo aſcendere creduntur; qui lacus ab altiſſimo montis uertice certis primo coartatus anguſtiis, & mox tota aquarum mole præcipitatus, nec ſubiectis quidem cautibus madefactis, ueluti è cœlo in ipſum profluentem Narem effunditur; Maioresque in Larij ripis laſciuo excurſu extremas arenæ margines aliquando ad iuſti paſſus longitudinem proſulcaſſe dicuntur.* [r] *li. de piſ. ca. 35.*

(C) QVANTI SIT FACIENDA, QVO MODO CONDIATVR, ET VT NVTRIAT.

Nobiliſsimus piſcis æquali cunctarum gentium iudicio Trutta cenſetur; Iouius verò, [s] *Lario in Lacu progenitas, omni alio, uel marino etiam piſce ſapidiores eſſe, & præſertim ſi Maio menſe, & in Breſciæ torrentis oſtio capiantur*, conſtantiſsimè aſſeuerat. Quemadmodum autem purpureis depictæ notis, ſic & in frigidioribus, ſaxoſis, & purioribus amnibus procreatæ, ab omnibus laudari ſolent. Recens tamen captæ comedi debent; Nam mortuæ pauciſsimis horis ſummam illam ſaporis gratiam amittunt; Quoniam ob pinguem illam teneritudinem, quàm ociſsimè putreſcunt; [t] *Coquuntur* (vt Iouius edocet) *conciſæ in tabellas, in lebetibus lapideis torno fabricatis, ſimplici in aqua, multo ſale indito, aliaque ſubinde accerſita condimenta penitus aſpernantur; Muſco enim quodam pruinæ ſimili paulò poſt ſponte emiſſo, rubentes pulpæ protinus efloreſcunt, ita ut quum refrixerint multò gratiores eſſe uideantur.* [u] *Morus nobilis paraſitus* (vt idem refert Iouius) *qui plurima eruditaque in obſonijs pulmenta commentus eſt, Truttam cubitalem in præpinguis capi iure coquendam eſſe cenſebat*. Eo autem condimento, quod vulgò *Acarpionare* dicunt. (Cuius modum in hiſtoria vigeſima tertia explicabimus) paratæ, non ſolum iucundiſsimè ſapiunt; ſed in multos etiam dies ſeruari poſſunt; [x] *Pinguiores, ut ſunt Larianæ, multo ſucco* (eodem Iouio authore) *replere corpora, genitalemque humorem copioſè ſuggerere dicuntur. Aegris tamen euidentiſſimè nocent. utpote quæ tardè laborioſeque in ſtomacho atterantur & ſecernantur. At fluuiatiles, quæ aduerſo torrentium impetu fatigantur, atque occurrentibus inæqualium uadorum petris illiſæ caſtigatiora ſumina, et aridiuſculas carnes oſtendunt, Medici blandiores ægris apponere & commendare non dubitant.* [y] Plinius Valerianus medicus, *Salubribus, cibarijs Truttas fluuiatiles annumerat.*

(D)

[s] *ibidem.* [t] *ibidem.* [u] *ibidem.* [x] *ibidem.* [y] *lib. 5. de re medica. cap. 43.*


P.25
N. G. L. V. carpione.

HISTORIA VIGESIMA TERTIA DE CARPIONE

NOMEN.



VM huius vigeſimi quinti piſcis(quem Itali omnes *Carpione* appellant) nulla à Græcis Latinís ue facta mentio ſit, & propterea græco & latino nomine careat, nos eum, vulgarem nomenclaturam æmulati, *Carpionem* vocabimus; Aiunt autem olim non *Carpione*, ſed *Pione* dictum fuiſſe; Verùm cũ deinceps quiſpiam ſupputanti cuidam hoſpiti carius quàm putarat, facetè reſpondiſſet, ſe *Car pione*, potius quàm *Pione* comediſſe, *Pione* derelicto nomine, *Carpione* appellari cepit; Hieronymus verò Fracaſtorius aliam Carpionis etymologiam narrat, in quibuſdam ſuis verſibus, Carpio inſcriptis, qui cum impreſsi, cum aliis eius lucubrationibus non ſint, à nobis infra tranſcribentur; At ne aliquis vnà cum authore theſauri latinæ linguæ, nominum decipiatur ſimilitudine, aduertendum eſt, ab hoc noſtro Carpione appellato piſce, longè diuerſum eſſe, alium, quem *Carpana* vocant, vt in hiſtoria vigeſima illi piſci dicata declarauimus. A *Authoris Theſ. lat. lin. error.*

DESCRIPTIO;

Carpio, etſi propè adeò ad Truttæ accedat ſimilitudinem, vt proximæ ſpecies cenſeri debeant, ab ea tamen euidentibus internoſcitur notis; Prominentiori enim roſtro, maioribus oculis, candidiori & turgidiori ventre, ac ſubnigriori dorſo eſt; Quod quidem dorſum nõ, modò nigricantibus, modò verò purpureis (Truttæ inſtar) maculis pingitur, ſed nigris atque rufis, aureís ue ſimul conſpergitur; Os plurimis acutiſsimis dentibus, non in maxillis ſolùm, ſed in palato etiam atque lingua diſpoſitis, non ſecus quàm Trutta, armatum habet; In vltimo dorſo prope caudam, craſſa pinnula carnoſa ſiue cutacea conſpicitur (qualem tum in Truttis, tum in Salmonibus etiã videmus) cum in piſcibus aliis tenuis & membranacea, hæc eſſe ſoleat poſterior dorſi pinna. Squamis tenuibus æquè atq; Trutta tegitur, Cum qua etiam pinnarum numerus & ſitus, cauda, branchiæ, ac internæ partes omnes ei conueniunt; Magnitudine tamen differunt. Nam cum Trutta, (vt in præcedente diximus hiſtoria) ad quinquaginta aliquando libras excreſcat, Carpio ternas libras vix ſuperat vnquàm. B C

LOCVS.

Lacuſtris piſcis eſt Carpio, & ſolius Benaci lacus alumnus, vt ferè omnes hucvſque aſſeruerunt; Sed re vera reperitur etiam & naſcitur in paruo ac limpido lacu, haud procul ab Aluito Campaniæ oppido, exoriente (vulgò *il laco della poſta* appellato) ex quo Fibrenus fluuius exoritur. Et ſi minores multò hi ſint (quippe qui vix libram impleant) quàm qui in Benaco procreantur; In aliquo alio lacu flumineue eos reperiri haud ſcimus.


NATVRA, PRAESTANTIA, ET CONDIMENTVM.

Profunda prædictorum lacuum loca habitat Carpio; Et æſtate ineunte parit. Piſciculis, & quibuſdam lacus purgamentis veſcitur; Et ſi aureis ſolùm fruſtulis, in imo lacu repertis, paſci creditur à pleriſque; Quibus H. Fracaſtorius alludit, in verſibus ſuis, quos (vt diximus) paulo infrà citabimus; Verùm cum aurum in minutiſsimas etiam particulas diſſectum durius ſit, quàm vt à naturali animalium calore confici, ac in eorum partes tranſmutari poſsit, id haud rationi conſonum videtur. Communi Italorum conſenſu piſcium omnium nobiliſsimus cenſetur Carpio; Nec ab re, cum tanta ei ſit ſaporis gratia, vt nulli piſcium ſecundus exiſtimari debeat; Carnem habet teneram & friabilem; quamobrem inter ſalubres piſces iurè connumerandus eſt; Siue aſſus, ſiue frixus, ſiue elixus fuerit, ſuauiſſimè ſemper ſapit; Solent tamem eos ſæpiſsimè condire (nõ ſolum vt ſapidiores reddantur, ſed vt etiam longius per pleráſque Italiæ vrbes circunferri poſsint) eo condimenti genere, quod vulgò nonnulli *Acarpionare*, alii verò *Amarinare* appellant; Qui quidẽ condiendi D

modus hic est. Carpiones recens capti, exterius à squamis, interius verò ab interaneis repurgati, ac modico sale conspersi, vbi sic sex, vel septem horas permanserint, optimo & copioso oleo in sartagine friguntur; Frixis verò, ac in fictilem patinam dispositis, prius quàm refrixerint, acerrimū acetum, in quo antea aromata & crocus bullierint, super inspergitur, Et demum post quatuor aut quinque horas, in vase alio, absque super iniecto aceto, lauri, aut myrthi, aut citri foliis, si libeat, interpositis, cancellatim componuntur.

HIERONYMI FRACASTORII CARPIO.

A
ILLE tuus Giberte sacras qui in montibus aras
Messineis tibi constituit; qui teque tuumque
Per nemus omne canit, perque omnia littora nomen,
Hæc enata suis mittit tibi poma sub hortis
Aurea, quæ quondam Medorum è finibus Athlas
Transtulit, & magno seruabat tuta Dracone;
Mox uictor sacra expolians pomaria perseus,
Dum leuibus nostrum talaribus aera tranat,
Donauit Charitæ Benaci ad flumina Nymphæ.
Insuper hos Giberte tibi dat munera pisces,
Qui quondam Hetrusci nautæ, nostraque fuere
B
Effigie; nunc Benaci super æquora nantes
Cærula conuerrunt sinuatis æquora caudis.
Quod si forte iuuat tanti miracula facti
Atque hominum quondam uersas audire figuras;
Ipsa eadem saloi quæ quondam ad littora Battus
Battus amor Dryadum cecinit, mihi retulit Egon.
Forte senex Cretæ patrijs Saturnus ab oris
Ab Ioue depulsus; regnum, sedesque quietas
Quærebat latio in magno, fataliaque arua.
Iamque diem medio sol inclinatus ab axe,
C
Cum fessus, longaque uia siccatus, & æstu
Ad uada Benaci uiridi prospectat in herba
Vescentes nautas, & puri grandia Bacchi
Pocula miscentes; placido quos ore salutans,
Ecquis, ait, uestrum pueri succurrit egenti?
Defessoque seni quis pocula parua ministrat?
Extinguitque sitim poscenti? illudere nautæ
Et ridere senem. Nam qui præsentibus undis
Possit habere sitim? in flumine largius illo
Ebiberis: gelidaque æstum solabere Lympha.
D
Illusus Deus immissis in flumina palmis
Haurit aquas: pronusque bibit, tum uersus ad illos
Quo tamen ò precio pueri ducetis ad illas
Remigio cautes? quæ fluctibus undique circum
Clauduntur: medijsque iacet parua insula in undis
Ostenditque locum. pretium gens impia iniquum
Postulat: ac pactus senior tamen omnia firmat;
Adiuratque deos testes, scanditque phaselum.
Illi autem dum naue cita liquida æquora sulcant,
Ignari quis nam sedeat Deus, eia age nobis
Fare senex, quonam latebras pro crimine quæris?
Anne fugam subrepto auro, dominoque relicto
In loca tuta paras? sed te tua fata sequuntur,
Demens, quem nullæ poterunt seruare latebræ,
Nomine Carpus erat, qui tam temeraria uerba
Dixerat; ingeminant comites, aurumque reposcunt
Proferri: subreptum aurum ni proferat omne
Vi rapient: pulsumque rate in media æquora turbent.
Quos placidus dictis senior demulcet amicis,
Hetrusci nautæ quæ nunc mens impia suadet
Nec seruare fidem? uos nec meminisse deorum,
Dicenti iam uis, iam dextra infertur: ille
Qui tandem agnosci posset deus, impia dixit,
Gens inimica Deum dabitur quod poscitis aurum:
Hoc imo sub fonte aurum pascetis auari.
Dixerat: ast illis ueniam poscentibus & nox
Deficit, & iam se cernunt mutescere; & ora
In rictum late patulum producta dehiscunt:
In pinnas abiere manus; uestisque rigescit
In squamas, caudamque pedes sinuantur in imam
Qui fuerat subita obductus formidine mansit,
Pallidus ore color, quanquam liuoris iniqui
Indicium suffusa nigris sunt corpora guttis,
Carpus aquas, primus numen qui læsit, in amplas
Se primus dedit; & fundo se condidit imo.
Inde alij celeri sese in media æquora saltu,
Præcipitant, uacuamque ratem, & sine remige linquunt.
Iamque Deus super unus erat, subit ipse magistri
Munus, & abductus pelagi petit ultima ripis,
Expositus ripa placidus conuersus ad undas,
Ecquid Io Nymphæ Benacides ista supersit
Nauis? an ne sacrumque amnem male fausta carina;
Et uestras sulcabit aquas? en certe ita, & huius
Criminis hoc semper scopulo monumenta manebunt.
Dixit; & in partem rupis conuersa pependit
Cum remis ratis ipsa suis: ubi cernere conchas
Nunc etiam licet: extremo quas littore nautæ
Collectas miseri media imposuere carina.
Ex illo uada Benaci per cærula nantes,
Atque auri uenis fundo pascuntur in imo:
Nunc etiam à primo retinentes nomina Carpo.


P. 26.
N. { L. Salmo.
V. salmone.

HISTORIA VIGESIMA QVARTA DE SALMONE

NOMEN.



AB Italis *Salmone*, à Gallis *Saulmon*, & à Germanis *Salm* vocatur vigesimus sextus piscis noster, græco verò nomine caret; Propterea quòd nullus vnquam Græcorum eius meminit; A Plinio atque Ausonio Gallo, Qui soli veterum latinorũ eius (quòd sciam) mentionem fecerunt, *Salmo*, siue [a] *ut quibusdam magis placet*, *Sulmo* appellatur. [a] *Thes. lin. lat.*

DESCRIPTIO.

A Salmo ore est amplo, & valde denticulato; Nam præter id quòd maxillæ magnis ac validis armatæ sunt dentibus, palatum etiam quadruplici dentium ordine munitur, linguáque hamatis dentibus horret, Oculos magnos habet; Et Branchias vtrinque quaternas; Iuxta quas binæ sunt pinnæ, vtrinque vna, Aliæque duæ in medio ventre; In dorso duæ etiam extant; vna prior, & maior; altera posterior, caudæ proxima, minor & cutacea; Ex cuius regione, in imo ventre à podice alia vna enascitur; Cauda in vnam latam & rotundiusculam pinnam desinit; Vnde cecinit Ausonius,

[b] *Latæ cuius uaga uerbera caudæ* [b] *In Mosella.*
Gurgite de medio summas referuntur in undas
Occultus placido cum proditur æquore pulsus.

B Squamosus piscis est; Quod Ausonius etiã testatur inquiens, [c] *Tu loricato squamosus pectore.* Squamis tamen tegitur exiguis, si cum piscis magnitudine conferantur; Quæ ita maculis notatæ sunt, vt piscis fere totus subrufis & luteis notis insignis videatur; Et si Ausonius solùm scribat, [d] *Præsignis maculis capitis.* Dorsum ex cœruleo nigricat; Venter verò subalbidus est; Linea vtrinque à Branchiis per latera ad caudam rectà ducitur; Ventriculum habet oblongum & angustũ, cui innumeræ hærent appendices; Hepar, cui subnigricantis fellis annectitur vesica, fibris nullis diuisum, pallet; Lien verò ex rubro nigricat; Quamobrem cum Ausonius scripserit, [e] *Nec te puniceo rutilantem uiscere Salmo transierim.* De carne (quippe quæ tum cocta, tum salita rubra efficitur) potius quàm de viscerum aliquo, intelligendum arbitror; Mirè pinguescunt, & maximè abdomine; Et propterea iure scriptum reliquit Ausonius, [c] *ibidem.* [d] *ibidem.* [e] *ibidem.*

C [f] *Cui prodiga nutat* [f] *ibidem.*
Aluus, opimatoque fluens abdomine uenter.

In iis autem, quæ fœminæ esse creduntur, quæque à nonnullis Gallorum ob magnum rostrum *Becard*, ab aliis verò (propterea quòd oua ferre videantur) *Bortiore* dicuntur; extrema inferioris maxillæ pars, quæ hami instar adunca est, foramine, in superiore maxilla, ob id insculpto, recipitur atque conditur; Cum in Salmonibus aliis inferior maxilla vix paululum sursum incurua appareat; Cubiti & dimidii, & duorum etiam cubitorum longitudine; palmi verò crassitudine & amplius, capiuntur; Aliquando autem multò maiores, ita vt ad Thunni excreuisse magnitudinem videantur.

LOCVS ET PARTVS.

D Marinus & fluuiatilis piscis est Salmo; Propterea quòd ex mari flumina, verno præsertim tẽpore, subeat; Non tamen in omni mare, sed in solo Oceano ipsum reperiri, experientia ipsa manifestissimè comprobat; In Mediterraneo enim mari nullibi visus aut captus est vnquam; Pari etiam ratione, neque in omnibus fluminibus degit, sed in iis solùm, quæ in Oceanum defluunt; Vnde in Germania Rheni, in Aquitania Garumnæ & Dordonæ, in Gallia Sequanæ & Ligeris, in Anglia Tamesis alumnus est; In quibus perrarò, in mari verò crebrius eos parere, ex eo clarè conijcitur, quòd recèns orti rarissimè in fluuiis videantur; Vnde [g] *Salmones dulci aqua semel degustata, uix in mare regredi*, vt quidam testatur, verisimile haud videtur. *Calepini error.* [g] *Calepinus.*

NATVRA ET MORES.

[h] Alber. lib. 24. de anim. Gregalis est Salmo, gregatim enim natat, & degit, [h] *Piger piscis est, sed fortis; vbi enim sæpis, aut retis obstaculum inuenit, caudam ad os recuruat, & se in circulum inflectens, transilit;* Carne vescitur; In marique se abdere creditur; Propterea quòd quibusdam anni tēporibus, rarissimè aut nunquam capi soleat, [i] *Cor eius* (Alberto authore) *ex corpore extractum diutissimè omnium animalium cordium mouetur;*

[i] li. 24. de anim.

QVANTAE SIT NOBILITATIS, ET QVI EORVM NOBILIOR.

Sicuti communi iuniorum iudicio, inter suauissimos pisces connumeratur Salmo; Sic omnibus anteponitur à Plinio, dicente, [K] *In Aquitania Salmo fluuiatilis marinis omnibus præfertur.* Nec in A merito, quando nulli vel etiam nobilissimorum piscium in sapore atque teneritudine cedat; Sed parcè degustandus est; Largius nanque comestus, satietatem affert molestam; Vnde haud mediocriter eius imminuitur existimatio; Neque etiam omnes æquè magnifaciendi sunt; Marinis enim perpetuò anteceunt fluuiatiles, in dulci aqua, marina ac salsa qualitate exuti, teneriores atque suauiores facti; Quorum rursus, qui longius à mari recesserint, diutiúsque in fluuiis degerint, eos, qui neque adeo longè flumina subierint, neque tandiu in eis versati fuerint, antecellunt; Præterea fluminum quoque ratione præstantia differunt; Vti enim supracitato loco Plinius etiam testatur, Aquitaniæ fluminum accolæ præstantes sunt; Alberti verò magni testimonio, [l] *In Rheno & maximè ad Coloniam præstantiores;* Sapidissimi quoque censentur, & qui in Rheno capti, Basileæ comeduntur. B

[K] lib. 9. cap. 18.


[l] li. 24. de anim.

VT NVTRIAT.

Carnem habet teneram, dulcem, & valde pinguem; Præsertim (vt supra diximus) in abdomine; Et propterea non friabilem, sed lentam; Vnde ægrè coquitur, citissimè (vt dictum est) satiat, nauseámque aliquando mouet, atque crassum & lentum succum gignit; Quamobrem ægri ab eo prorsus abstineant, qui verò secunda fruuntur valetudine, non nisi parcè & rarò (si vlla eis cordi est de tuenda valetudine cura) eo vescantur.

VT CONDIATVR. C

Recens, & salitus editur; Recentem nonnulli in sola aqua; alii verò in duabus vini partibus & vna aceti, iniecto sale elixant; Sunt etiam qui recentis frusta caryophylis prius infixis assent, atque cinamomo saccaro & aceto condiant; quoquidem condimento suauior multò reddi solet; Salitus verò (quorum maximam copiam Gallia Belgica quotannis in Italiam mittit, in plebis vsum, nam saliti pristinam nobilitatem amittunt; & si qui recens salitus fuerit, non sit prorsus spernendus) in aqua elixus oleo atque aceto conspersus comeditur. D


P.27.
N. G.
L.
V. Salmarino.

HISTORIA VIGESIMA QVINTA
DE SALMARINO

NOMEN.



IC noster vigesimus septimus piscis, quẽ Tridentini (apud quos reperitur) *Salmarino* & *Salamandrino* appellant; Cum dulcis aquæ alumnus sit, ac paucis quibusdam duntaxat locis (vt infra declarabimus) nascatur, neque Græci, neque Latini scriptores vllam eius mentionem fecerunt. Et propterea cum græco ac latino nomine careat, nos eum, vulgarem sequuti nomenclaturam, *Salmarinum* vocabimus. A

DESCRIPTIO.

Salmarinus capite est rotundo; Rostro breui & retuso, Ore mediocri, & robustis dentibus munito; Oculis mediis & orbiculatis; Branchias vtrinq; quaternas habet; Et pinnas etiam vtrinque geminas; duas ad branchias, & duas circa medium ventrem; Præter quas duæ aliæ in dorso eriguuntur; prior & maior in eo medio, posterior verò & minor prope caudam; è cuius regione alia etiam vna parua imo ventri hæret. Cauda lata est & lunata; Squamis mediocribus, & non facilè deciduis tegitur; Pinnæ & cauda rubræ sunt; Venter & latera ex albo rubescunt; Dorsum B verò ex rubro flauescit, ac luteis quibusdam maculis (Carpionis instar) notatur. Totius piscis figura rotunda est, & oblongiuscula; Ventriculum habet amplum & carnosum; Hepar pallidum, à quo fellis vesica pendet; Lienem subatrum, & Intestina lata, ac plurima pinguedine conuoluta; Cum maximè excreuerit, duas libras non excedit; Qui verò crebrius capiuntur, vix libram superant.

LOCVS.

Fluuiatilis piscis est Salmarinus, in frigidissimis ac saxosis fluminibus nascens. Non tamen in iis omnibus, aut quamplurimis reperitur, sed in paucis solùm quibusdam. C Nascitur enim in flumine, cuiusdam loci vulgò *Valdenon* dicti, circiter viginti millia passuum à Tridento distantis. Atque in alio fluuio apud *Brissinam*, qui quadraginta millia passuum à Tridento distat, vbi etiam crebriores procreantur.

NATVRA.

Verno tempore coit Salmarinus; parit autem æstate, circa saxosa fluuiorum loca; Pisciculis vescitur, in quorum penuria quibusdam fluuiatilibus purgamentis & sordibus nutritur. Gregatim non admodùm degit; Et perrarò copiosa eorum fit captura. D

PRAESTANTIA.

Sicuti Benaci accolæ Carpionem, sic Tridentini Salmarinum, non fluuiatilium solùm, sed marinorum etiam omnium, piscem nobilissimum esse cõtendunt. Vnde non nisi lautiores diuitum mensas dignatur; Quemadmodum CHRISTOPHORVS Madrucius Reuerendiss. Cardinalis, Illustriss. princeps, ac studiosorum omnium mecœnas, ea sua incomparabili humanitate, qua cum omnibus vtitur, mihi retulit; Cum

ILLVSTRISSIMVS CAR. TRIDENTINVS.


MARCELLVS II. PONT. MAX. Romam ad illud interregnum venisset, in quo MARCELLVS secundus maximo bonorum omnium gaudio, Maximus creatus fuit Pontifex; Qui tamen die vigesima prima sui Pontificatus (pro dolor) repentina morte sublatus, vniuersam Rempublicam Christianam, ea maxima opinione & spe, quam omni sua anteacta & exemplari vita excitauerat, incredibili ferè omnium dolore, orbauit.

VT NVTRIAT.

Vti sapidissimam ita teneram carnem habet Salmarinus, atque pinguem, non tamen viscidam (cuiusmodi plerique pinguium piscium habere solent) sed satis friabilem; Quamobrem boni succi, & concoctu facilis est; Et maximè cum, vti diximus, puram solùm aquam incolat. Condiri variè potest, & quouis modo condiatur, suauissimus semper est.

A

.P.28.



N. { G. θρίσσα. L. clupea. V. Laccia.

HISTORIA VIGESIMA SEXTA
DE ALOSA.

NOMEN.



VNC vigesimum octauum piscem, qui Romæ *Laccia*, Venetiis *Chiepa*, in Hispania *Sauolos*, vel *Saboga*, Massiliæ *Halachia*, à Gallis *Alose*, & à Græcis nostri tẽporis *Phrissa* vocatur; *Alosam* appellauit Ausonius Gallus inquiens, [a] *Stridentesque focis opsonia plebis Alosas.* Nam præter id, quòd hic vigesimus octauus piscis, nunc quoq; *Alose* à Gallis vocatur (quod quidem grauissimũ rei huius argumentum est) in fluminibus etiam reperitur, quippe qui è mari illa subeat; Vnde meritò inter fluuiales suæ Mosellæ pisces recensetur ab Ausonio; Nec obstat quòd eam plebeium piscem faciat, cum hic noster Romæ nobilis habeatur; Nam neque palatis omnibus, neque locis singulis, eadem æquè ac semper sapiunt. Verùm cum in nullo alio veterum Scriptorũ Alosa legatur; vulgare nomen antiquitus etiam fuisse, Ausoniùmque vulgi potius nomenclaturam sequutum, quàm vulgus, Ausonium ceu latinè loquentem, imitatum *Alose* vocasse dubio procul arbitror; Nec mirũ cum Latinorum nemo de hoc pisce (quod quidem sciam) pertractauerit, ob idq; latino prorsus nomine careat; Neque.n. Platinæ assentiendum est, [b] *qui nostrã Lacciam antiquorum Lupum esse opinatur.* Nam etsi non vulgaris sit, non ita tamen nobilis est, vt Lupus tantopere ab omnibus authoribus commendatus credi debeat, & vel maximè cum frequentibus adeo ac molestis spinulis eius carnes impediantur, vt in conuiuiis illarũ tædio atq; periculo, summæ suauitatis gratiã amittant; Præterea cũ authoribus, [c] Aristotele, [d] Plinio, [e] atq; Athenæo, *Lupus caudam Mugili prærodat*; Laccia, quippe quæ non solùm dentibus, sed omni prorsus maxillarũ asperitate careat, Lupus esse non poterit; Postremò ea omnia, quæ Lupo ex authoribus debentur, piscem illum, qui Romæ *Spigola* vocatur, Lupum esse apertissimè declarant, vt historia 28. monstrabimus; Neq; etiam [f] Massario, [g] & Iouio, *Lacciam Clupeam esse contendentibus*, est subscribendum; Nam cũ Ennius, ac Plinius soli Clupeæ mentionẽ faciant; inquiátq; ille; [h] *Omnibus ut Clupea præstat Mustela marina*; hic verò, [i] *Attilum magnũ padi piscem minimus appellatus Clupea, uenã quandam eius in faucibus mira cupiditate appetens morsu exanimat*; Nemo quidẽ vnquam his verbis Lacciã Clupeam esse comprobare poterit; Nec si dicant quod *Chiepa*, vulgaris huius piscis nomenclatura (qua Veneti & Etrusci vtuntur) à Clupea deduci videatur; leui adeo coniectura res pendi debet; Et maximè cũ non desint etiã, quæ eorũ opinioni fidem abrogent; nam si Clupea appellatus piscis (Plinio authore) minimus est, neutiquam Laccia erit, quæ sæpe quidem cubitalem superat magnitudinem; Quòd si dicatur cubitalem etiã Clupeam cũ Attilo collatam, [k] *Qui*, eodem Plinio teste, *ad Mille aliquando libras augetur*; minimum piscem censeri posse; Vt hoc condonemus, illud obstabit saltem, quòd cũ sub ventre Sturionis modo rotundum & fistulosum os habeat Attilus, in maximo etiam, modicè adeo hiat atque patet, vt non mediocrem quidem, ne dum magnam, ad deuorandam in eius faucibus expetitã venam, Lacciã intromittere vllo modo possit. Et demum cũ Clupea Attilum magnũ adeo piscem morsu exanimet, *Lacciã*, vt quæ nullos prorsus dentes, nullámq; oris aut maxillarũ (vt diximus) asperitatẽ habeat, Clupeam esse nõ posse, nemo non intelligit; Verè itaq; veterũ latinorũ solus Ausonius *Lacciæ* meminit, eámque vulgi more *Alosam* vocauit; Quòd verò ad græcã eius attinet nomenclaturã, Gregorii Tiphernatis cõterranei mei viriq; ætate sua doctissimi, & Theodoris Gazæ testimonio, à Græcis θρίσσα vocatur, cũ ille [l] *in Strabone*, hic verò [m] *in Arist. θρίσσαν interpretatus fuerit Alosam.* Et meritò, cũ ea omnia, quæ Thrissæ ex Veteribus debentur, Alosæ nostræ ad vnguẽ conueniant; Vt procedente historia declarabimus; Hodiéque (quod haud contemnendam coniecturam facit) à Græcis vulgò φρίσσα vocetur, θ. in. φ. corruptè commutato.

A — B — C — D

[a] In Mosella.
[b] lib. 10. de arte coquendi.
[c] Hist. li. 9. ca. 2
[d] lib. 9. cap. 62.
[e] li. 7. f. 153. 34
[f] in Annot. in 9. Plin. ex ca. 15.
[g] li. de pis. ca. 17
[h] Apul. in Apologetico.
[i] lib. 9. cap. 15.
[k] ibidem.
[l] lib. 15. et lib. 17
[m] Hist. l. 9. ca. 37

Platinæ lapsus.
Massarij & Iouij error.

DESCRIPTIO.

Athenæus [n] *Thrissam Thrichidibus* (quæ nunc Romæ *Sarde*) *et Chalcidibus*, (quæ hodie vulgò à Romanis *Sardoni* appellantur) *similem* facit. Quamobrem cũ magnitudine dempta, reliqua ferè omnia Alosæ nostræ cũ illis conueniãt, iure Gregoriũ Tiphernatem & Theodorũ Gazam sequuti, Thrissam Alosam interpretamur; Thrissa itaq; siue Alosa caput habet in latere valde compressum, Rostrum acutum, Os cum maximè hiat admodum patulum, edentulum, atq; omnis asperitatis

[n] lib. 7. fol. 163. 47. lib. 8. fol. 177. 27.

expers, Brāchiæ ſunt vtrinq; quaternæ; Et iuxta eas pinnæ binæ, vtrinq; vna, binæq; aliæ in medio ventre, è quarũ ferè regione in medio dorſo alia vna eſt, aliáq; ab ano per imum ventrem vſq; ferè ad caudã excurrit; Quæquidem cauda in lunatam pinnam deſinit; Vniuerſi corporis figura, ſi cũ latitudine conferatur, oblongiuſcula apparet, & in latera ita compreſſa, vt imus venter, recta linea præacutis aculeis conſtructa, & propterea non aſpera ſolùm, ſed ſerræ etiã modo ſecãte (ſi aduerſa deducatur manus) terminetur Squamis tegitur magnis, tenuibus & facilè deciduis; Ventre & lateribus argentum æmulatur; Dorſo verò & capitis vertice, ex albo flaueſcit. Spinulis innumeris exilibus ſed longiuſculis caro eius interſecatur. Maximè aucta Romæ bipedalem menſuram non ſuperat.

LOCVS.

Aloſa marinus piſcis eſt; Ex eorũ tamen numero, qui flumina ſubeunt; Vt Strabo teſtatur inquiens, [o] *Tradit etiam Ariſtobolus nullum ex marinis piſcibus in Nilum recurrere, præter Aloſam et Mugilem, et Delphinũ, propter Crocodillos.* Athenæus etiam, [p] *Inter Niliacos piſces Thriſſam connumerat.* Non tamen in Nilum ſolũ aſcendit; Nam quemadmodũ in toto ferè Mediterraneo mari, præterquam in Euripo pirrheo. [q] *Qui* Ariſt. teſtimonio *Aloſa uacat*, reperitur; Sic pari etiã ratione omnes ferè Italiæ, Galliæ, Hiſpaniæ, aliarúmq; Europæ partiũ, magnos ſubire fluuios ſolet; Et ideo haud abre, [r] *Dorion in lib. de piſc. fluuiatilis Thriſſæ meminit.* Verùm non omnibus anni tẽporibus, ſed ſolùm ineunte vere, cum ouis grauidæ ſunt, ad flumina adnatant; In quibus toto verno tẽpore commoratæ, æſtate incipiente in maria rurſus reuertuntur; Vti Strabo etiã teſtatũ reliquit, ſupracitato loco ſubdens, [s] *Aſcendunt itaque Mugiles, ut ille inquit; In uere cum prægnãtes ſunt, deſcendunt aũt paulo ante pleiadis occaſum unà omnes parturi, tunc etiã in ſepta incidentes capiuntur; Idem de Aloſa licet conieƈtare.* In quoquidem mari neq; etiam certam & ſtabilem ſedem incolunt, ſed toto potius pelago vagantur, vt his verſibus aſſeuerat Oppianus,

[o] lib.15.fol.671 lib.17.fo.781.
[p] li.7.fo.155.50
[q] Hiſt.li.9.c.37
[r] Athen.li.7.fo. 164.2.
[s] lib.17.fo.781.

A

B

[t] Chalcides & Thriſſæ paſſim, Abramideſque feruntur,
Atque cateruatim percurrunt æquoris undas
Et curuis habitant Scopulis, & litora uiſunt,
Alternantque uias ponti, curruntque per æquor
Hoſpitium mutant ſemper, pontoque uagantur.

[t] lib.1.fol.11.49

Vnde cũ [u] ab Athenæo, *Ariſt. librũ de anim. et de piſcibus citante, θρίσσα μόνιμα. i. Thriſſa ſtabilis dicatur*, ne mendũ ſit ſuſpicari poſſumus; Et vel maximè, cũ diuturna Piſcatorum obſeruatio Oppiano, potiuſquã Athenæo ſubſcribat.

[u] li.7.fo.163.53

NATVRA ET MORES.

In fine æſtatis pariũt Aloſæ, nõ in fluminibus, ſed ĩ mari, queadmodũ ſupracitato loco à Strabone dicitur, atq; re ipſa cõprobatur; in fluuiis. n. neq; recens ortæ, neq; effœtæ vllæ, ſed maiores oẽs, & ouis grauidæ, vt fœminæ, aut ſemine (quod lac vulgò appellatur) diſtẽtæ, vt mares, capiũtur; Gregales ſunt, vt Opp. etiã præcitato loco teſtatus eſt inquiẽs, *Atque cateruatim percurrunt æquoris undas*; Aelianus aũt de Aegyptiis Thriſsis pertraƈtans ſcribit. [x] *Qui Mareotim lacũ accolunt, Thriſſas illinc cantu et pulſibus teſtarũ concrepantiũ conſonãtibus piſcãtur; Etenim eæ tanquã Saltatrices, ſaltãtes in piſcatoria ad ſe cõprehendendas explicata inſtrumẽta incidunt, atque cũ ſaltatione et luſione Aegyptij ſplendidam prædam conſequũtur.* Verũ cũ [y] Athenæus *Ariſt. teſtimonio* (et ſi in Ariſt. nõ legatur) *Trichidem etiã ſaltatione & cantu deleƈtari, audientemque ex mare exilire, aſſeueret*, an piſcis vterq; ea præditus ſit natura, vel potius num alter illorũ locorũ mendoſus ſit; In hiſtoria de Trichide, quã noſtro 2. libro habebis, excutiemus. Oppiano authore [z] *Naſſa capiũtur*; Capiuntur etiam retibus, ſed ſemper flumina aſcendentes, nuſquam verò deſcendentes.

C

[x] lib.12. ca.48.
[y] li.7.fo.164.6
[z] li.3. f.138.57

QVANTAE SIT PRAESTANTIAE, ET QVAE EARVM PRAESTANTIOR.

Aloſæ marinæ ſtrigoſæ aridæ & inſuaues ſunt; Vnde & Hiceſius de marinis loquẽs, [a] *ſqualidas ſiue ſiccas, ſine pinguedine, & ſine multo ſucco eas eſſe dicit*. Fluuiatiles verò, quippe quæ vel paucorũ dierum mora, in dulci aqua mirificè pingueſcunt, atq; teneriores fiunt, ſapidæ ita ſunt, vt ni plurimis illis ſpinulis, inter veſcendum admodum moleſtis, eius (vt diximus) impedirẽtur carnes, cũ nobiliſsimis piſciũ conferri poſſent; Tyberinæ aliis omnibus fluuiatilibus cõmuni omnium iudicio præferuntur; His ſecundæ ſunt, quæ in Arno Etruriæ, in Vulturno Campaniæ, aluntur fluminibus; Hiſpanæ verò & Gallicanæ vti omnium longè maximæ ſunt; Ita cum Tyberinis haud conferri debent; Quamobrem iure Auſonius (vt diƈtum eſt) cecinit, *Stridenteſque focis opſonia plebis Aloſas.*

D

[a] Athen.li.7.fo. 163.47.

VT NVTRIAT, ET VT CONDIATVR.

Marinæ durã & ſiccã carnẽ habent, Fluuiatiles duritie & mollitie mediocrem, Sed non friabilem, ob multã pinguedinem, qua abundant. Authore Athenæo, [b] *Diſtributu faciles ſunt* Comeduntur aut in aqua, modico aceto & ſale iniecto elixæ, aut aſſæ; Dum autẽ aſſantur, aceto & oleo, cum feniculi vmbella, aut ſaluiæ, roris ue marini ramuſculo, crebrò rorandæ ſunt.

[b] lib.8. fol.177. 27.


N. G.
L.
V. Agone.
P. 29.



HISTORIA VIGESIMA SEPTIMA DE ACONE

NOMEN.



[a] in suis disticis. [b] lib. de piscibus cap. 17

PISCIS vigesimus nonus, in ea Galliæ Cisalpinæ parte, cui Longobardi nomen dedere, *Agone* appellatus, quo nomine ab Antiquis tum Græcis, tum Latinis vocatus fuerit, haud facilè est iudicatu; Et propterea [a] Benedictus [b] Paulúsque Iouius vulgare nomen imitati, eum Aconem vocarũt; Quos & nos in præsentiarum sequemur; Et si Chalcidis species iure statui posse videatur, vti sequenti etiam descriptione declarabimus. A

DESCRIPTIO.

[c] lib. 7. fol. 153. 47.

Hic noster piscis, ad Alosæ (quam Græci θρίσσαν) atque vulgaris Italorum *Sardæ* (quam Græci τριχίαν & τριχίδα appellant) proximè adeo accedit similitudinem, vt ab eis nulla ferè alia nota, quàm magnitudine differre videatur, Illa enim minor, hac verò maior est; Vnde cum Athenæo authore [c] *Chalcis, Thrissa, & Trichias, similes pisces sint*; Sicuti pisces vulgò *Harenghe*, & *Sardoni* appellatos (vt qui Thrissis & Trichiis similes existant) Chalcides esse, in historia de Chalcide (quæ secundo libro nostro habetur) edocemus; B Sic Acones, quippe qui non minus quàm illi, Thrissis atque Trichiis assimiles sunt, Chalcidum species (vt rursus etiã atque latius in historia de Chalcide explicamus) censeri possunt & debent; Sunt itaque Acones oris rictu grandiori, & edentulo; Capitis & totius figura, in latera cõpressa, ventre imo in lineam acutis ossiculis constructam atque serratam desinente; Squamis tenuibus, latis ac modico contactu deciduis tegũtur; Cauda lunata est, Color argẽteus præterquam in dorso, quod ex subcœruleo nigricat; Iuxtáque Branchias vtrinque nota semirotunda & nigra apparet. Pinnis, Branchiis, atque internis partibus, Alosæ absimilis non est; Palmi mensuram perrarò excedit.

LOCVS. C

[d] in suis disticis.

Acones neque marini neque fluuiatiles sunt, sed lacustres tantùm; Cum neque maria neque flumina, sed solùm lacus incolant; Neque etiam in lacubus omnibus, aut quamplurimis, sed in nonnullis solùm Cisalpinæ Galliæ, Lario scilicet, Verbano, Benaco, & eo, qui *Delugano* vulgò dicitur, nascuntur & degunt; In quibus copiosè adeo procreantur, atque capiuntur; vt Piscatores præter lucrum, quod ex recentibus toto anno venditis faciunt maximum; magnam etiam eorum partem salire (vt infra dicemus) cogantur; Vnde Benedictus Iouius dixit, [d] *Larius innumeros in gurgite pascit Acones.* D

PARIENDI TEMPVS ET LOCVS.

Acones fœminæ ouis grauidæ, maribus semine refertis consequentibus, ad saxosa litora Maio mense adnatant; vbi fœminæ oua gignunt, eáque semine conspergunt mares; Ex quibus deinceps puxilli nascuntur Acones; paucísque diebus ad digiti augentur magnitudinem; vocãtúrque vulgò digitali magnitudine aucti *Antesiti*; Qui paulatim demum maiores fiunt, donec ad naturalem suam magnitudinem (quam vnius palmi esse supra diximus) excrescant.

NATVRA ET MORES.

Timidi pisces sunt; Et propterea quauis leui atque tremula vmbra deterriti, trepidi refugiunt; Simplices etiam & omni astutia carentes; Vnde temere in retia incidunt. Gregatim viuunt, & nõ nisi denso agmine natant; Arbitrati forsam, ita tutiores ab iniuria & vio

lentia maiorum piſcium reddi; Cyprini enim, Lucii, & præ cæteris Truttæ, eos tanto impetu inſectantur; vt aliquando plura eorum millia inſequentem inimicum per lacum longo tractu pauidè fugientia, iucundum intuentibus ſpectaculum, lucroſam vero Piſcatoribus occaſionem præbeant; Nam eo tèmpore non ſolùm innumeros ita perterritos Acones, ſed vnà aliquas etiam maximas Truttas capiunt; Aquatilibus ſolùm animalibus veſcuntur.[d] *A Theodoro Gaza in Ariſtotelis uerſione pulicibus appellatis*. A Plinio verò ſic circumſcriptis. [e] *Adeoque nil non gignitur in mari, ut cauponarum etiam æſtiua animalia pernici moleſta ſaltu exiſtant.* Quæ quidẽ Ariſtotelis præcitati loci teſtimonio, *Gignuntur in profundo maris tanta fœcunditate ut etiam eſcam ex piſce paratam; Si diu permanſerit totam corrodant atque abſumant*; Quæque non ſolùm Ariſtotele, ſed Plinio etiam ſupra citato loco authore, *Circumglobata eſcæ ſæpe extrahuntur*. Hæc itaque animalia cum non minus in lacubus quàm in mari procreentur, iis Acones non ſolùm ſub aqua exiſtentibus, ſed in ſummam etiam lacus aquam in globos ſurſum latis, ibique ſtatim diſsipatis nutriuntur. Viuaces non ſunt Acones, a qua enim priuati illico moriuntur. Quod Benedictus Iouius etiam teſtatur his verbis,[f] *Molle animal demptis uiuere neſcit aquis*. Communíque Piſcatorum iudicio, ſupra quatuor annos viuere non creduntur.

[d] Hiſ. li. 4. cap. 10.

[e] lib. 9. cap. 47.

[f] In ſuis diſticis.

A


PRAESTANTIA, ET VT NVTRIANT.

B Piſces ſunt haud ignobiles, & præſertim Iulio, Auguſto, Septembri & Octobri menſibus; Quo quidem tempore teneriores & pinguiores facti, multò etiam ſuauiores eſſe ſolent; facilè non concoquuntur; Craſsiuſculum ſuccum gignunt, & mediocriter nutriunt.

CONDIENDI RATIO.


Recentes variè condiuntur. In Sartagine enim optimo oleo frixi, minoréſque (quos vulgò *Anteſiti* vocari diximus) arancii mali ſucco, maiores verò aut ſapa, aceto, vino, aromatibúſque, aut omphacio, cui commiſtum ouum ſit comſperſi, comedi ſolent; Nonnulli paulò adhuc grandiores (vti ii ſunt, quos vulgò *Agoni de Rozoli* appellãt, propterea quòd C quodam retis genere, vulgò *Rozolo* vocato, in medio lacu capiantur) tum in aqua, oleo, olentibus herbis, atque aromatibus iniectis, elixi; tum aſsi, crebròque dum aſſantur oleo & aceto cum ſaluiæ ramuſculo irrorati, parantur; Verùm eorum præſtantior condiendi ratio, ea profectò eſt, quæ vulgò *Acarpionare* ſiue *Amarinare* dicitur, qua quidem conditi non ſolùm ſapidiſsimi fiunt; Sed in aliquot etiam dies conſeruari poſſunt; Quale autem id ſit condimentum, in vigeſima tertia hiſtoria, Carpioni dicata explicauimus; Saliti etiam ſeruantur, in minoribus doliis muria conditi; Et dum ſaliendi cauſa exenterantur, ex eorum interaneis in lucernarum vſum oleũ colligunt.

D



N. G. τρίγλα. L. Mullus. V. Triglia.

P. 96.



HISTORIA OCTOGESIMA NONA.

DE MVLLO.

NOMEN.



PISCIS noster nonagesimus quintus, quem Romæ *Triglia*, Massiliæ *Triga*, Nicenses *Strilha*, Veneti *Barbone*, Burdegalenses *Barbeau*, & Galli *Rougets, Barbets, & Surmulets* appellant; græcè [a] Oppiano (vt infra citabimus) & [b] Athenæo authoribus, *propterea quòd ter anno pariat*, τρίγλη dicitur; & non (vt falsò asserit Iouius) [c] *quia Dianæ Hecati, quæ triformis est, dicetur*. Et licet Athenæo authore, [d] *Nomina fæminina, quæ in λα desinunt, alterum .λ. requirant, ut σκύλλα; Quæ uerò adiunctum γ habent, in η terminentur; ut τρώγλη αἴγλη ac τρίγλη*; non tamen ab omnibus perpetuò τρίγλη vocatur; [e] Ab Aristotele nanque atque [f] Oppiano non τρίγλη solùm, sed aliquando τρίγλα etiam nominatur; & ab ijs item ferè omnibus, qui græca lexica colligerunt; [g] ab eodemque Oppiano τρίγλης quoqꝫ nonnunquam dicitur. Et cum [h] *τριγλὶς etiam ab eodem piscibus annumeretur*; τριγλίδα (cuius ipse solus meminit) *lutarium Mullum* esse arbitramur, vt infra (vbi de natura agemus) explicabitur. [i] *Dorion præterea in libro de piscibus τριγλίτης etiam meminit; eam Aphiæ speciem faciens*; dè qua nos in Aphiarum historia quam liber noster secundus continebit, pertractabimus. Postremò cum apud Athenæum [K] *Sophron* & [l] *Typhon inter pisces τριγόλαν nominent*, pauca & obscura adeo sunt, quæ ab eis de Trigola dicuntur; vt difficile sit explicatu, an Triga & Trigola ijdem, vel similes pisces sint; Ille enim ἐν τοῖς ἀνδρείοις scripsit, τριγόλᾳ ὀμφαλοτόμῳ, id est, *Trigolæ obstetrici*, καὶ τριγόλαν τὸν εὐδιαῖον, Et ἐν τῷ ἐπιγραφομένῳ παιδικ' ἄσσοι dixit *triglas quidem pingues τριγόλαν δὲ ὀπισθίαν*; Hic verò in libris de animalibus dixit *nonnullos arbitrari Trigolam ipsam Cuculum esse, cum ob similitudinem, tum ob posteriorum partium siccitatem*. Latinè verò hic piscis noster Mullus vocatur; [m] *Non propterea quòd mollis sit atque tenerissimus*, vt ineptè testatur Isidorus Hyspalensis, [n] *sed quia* (Fenestella authore, vt Plinius refert) *à colore Mulleorum calceamentorum nomen ei datum sit. Mulleos autem* (Festo authore) *genus calceorum aiunt esse, quibus Reges Albanorum primi, deinde Patritij usi sunt*. Præterea [o] *Mullulus* etiam diminutiuo nomine appellatur à Cicerone.

Iouij error.

[a] Lib.1.fol.116.37.
[b] Lib.7.fol 161.52.
[c] Lib de pisc.cap.18
[d] Lib.7.fol.151.49.
[e] Hist.lib.5.cap.9.
[f] Lib.1.fol.5.44. græcè.
[g] Lib.1.fol.6.16. græcè.
[h] Lib.1.fol.5.51. græcè.
[i] Athe.lib.7.fol.143.16.
[k] Lib.7.fol.162.5.
[l] Lib.7.fol. 162.9.

Isidorus notatur.

[m] Lib.12.cap.6.
[n] Lib.9.cap.17.
[o] In Parad.48.

DE MVLLORVM GENERIBVS.

Cum magna de Mullorum generibus sit difficultas, haud ab re duxi, priusquàm descriptionem aggrederer, de eorum differere generibus. Veterum itaque solus Plinius expressè [p] *Eorum plura genera fecit*; sed cum statim subdat, *nam & alga uescuntur, & ostreis*, & limo; & aliorum piscium carne; Barba gemina insigniuntur inferiori labro; Lutarium ex iis *uilissimi generis appellant*; neque vera genera, neque veras species, sed solùm leues quasdã differentias, ex ciborũ, quibus nutriuntur varietate desumptas recensere, ac genera appellare videtur; quibus quidem differentijs neqꝫ etiam perpetuò Mulli differunt; quippe quorum haud perpetuò hi alga, illi ostreis, alij limo, aliqui verò aliorum piscium carne vescantur; sed quilibet horum quolibet sibi obuio indifferenter pascatur. Quamobrem plura Mullorum genera verbis potius confinxit Plinius, quàm re ipsa constituerit. Athenæus præterea scribens [q] *Sophron barbatum Mullum dixit, quia Mulli barbam habentes alijs multò suauiores sunt*; duo eorum genera esse asseuerat; Barbatorum vnum, Imberbium verò alterum; sed cum neque alius aliquis antiquorum imberbis Mulli meminerit vnquam; neque re vera vllus eorum imberbis reperiatur; ei etiam subscribendum non est; & vel maximè quoniam etsi Sophron barbatum Mullum vocauit, non propterea imberbem reperiri Mullum ab ipso innui opinandum est; quando licet quispiam risibiles homines aliquid fecisse dixerit, non propterea non risibiles etiã

[p] Lib.9.cap.17.

In Plinium animaduersio.

[q] Athe.lib.7.fol.162.22.

Athenæi lapsus.

HISTORIA VIGESIMA OCTAVA
DE LVPO

NOMEN.

[a] lib.7.fo.155.18
[b] fo.1033.60.



HVNC piscem, qui λάβραξ, authore Athenæo [a] παρὰ τὴν λαβρότητα, hoc est, *ob impetum uel audaciã*, teste verò Eustathio [b] quasi λίαν βορός, hoc est, *ualde uorax*, à Græcis dicitur. Latini *Lupum* appellarunt; Non græcæ vocis etymologiam sequuti; Cum non λάβραξ, sed λύκος Lupum sonet; Sed rei potius naturam imitati. Nam cum Græcorum λάβραξ edax, audax, immanísque sit piscis, cúmque Lupus quadrupes animal edacitate, audacia, immanitatéque polleat, harum rerum A similitudine ducti, λάβρακα Lupum latini dixere; Vt Isidorus Hyspalensis etiam testatur, inquiens, [c] *Ex moribus terrestrium pisces aliqui uocantur, ut Canes marini quòd mordeant, & Lupi quòd improba uoracitate alios persequantur.* [d] Λάβραξ præterea Hesichii testimonio, Ἀκάρναξ etiã vocatur. Qui autem eorum piscium, quos nunc habemus, Lupus sit, non omnibus æquè notum est. Franciscus enim Philelphus, [e] *Lucium, Lupum esse contendit*. Verùm quantùm aberret; Vigesima prima historia edocet. Raphael Volaterranus [f] *sturionem esse arbitratur*, Quod etiam quàm à ratione sit dissonum, in historia trigesima manifestè patet. Platina verò [g] *Alosam* (quam Romæ *Laccia* vocant) *Lupum esse credidit*, Sed in quanto errore & ipse versetur; Vigesima sexta historia apertè declarat. Quamobrem istis tanquam falsis reiectis opinionibus, nos hunc nostrum trigesimum piscem Romæ *Spigola*, in Hetruria *Ragno*, Venetiis *Varolo*, in Liguria *Louazzo*, Massiliæ *Lupasson*, in Gallia *Lubin*, in Hispania *Lupo*, & à Græcis vulgò *Lubraca* vocatum, antiquorum B Lupum esse, proculdubio asseueramus, Quoniam præter id, quòd in Liguria, in Gallia, in Hispania, in Græcia, vulgaris eius nomenclatura antiquum nomen hodie æmuletur, Ea quoque omnia, quæ ex antiquis Scriptoribus Lupo debentur, huic nostro appositè respondent; Vt ex sequenti descriptione, atque ex tota procedente historia manifestissimè poterit intelligi.

[c] li.12.cap.6.
[d] in catalogo nominum.
[e] li.30.epist.27
[f] lib.25.
[g] lib.10. de arte coquendi.

Philelphi error.
R. Volaterrani lapsus.
Platinæ erratum.

DESCRIPTIO.

Lupus rostro est oblongiusculo, Ore, cum hiat, valde patulo, plurimis atque tenuissimis denticulis, multiplici ac vario ordine dispositis (pectinum instar, quibus Lanarii vtuntur, quósque vulgò *Cardi* Itali appellant) munito. Oculos magnos habet, Branchias vtrinq; C quaternas; Quarum operculum duobus ossibus constat; Quorum superius postrema sui parte serræ modo denticulata, cum suprema inferioris ossis, ac sibi subiecta parte, squamatim committitur; A summis branchiis per vtrunque latus linea ferè recta ad caudam deducitur. Præter binas autem, [h] *Quas utrinque cernimus pinnas*, in dorso duæ aliæ consistunt. Prior vna, ac capiti proxima, nouem acutis & inæqualibus aculeis horrida, Altera posterior, & vnico armata aculeo. Ventri verò vna etiam alia, ternis innixa aculeis, ab ano subest. Dorsum æquè atque venter extuberat; Vnde nisi totius corporis longiuscula esset figura, ouata censeri posset. [i] *Squamis tegitur*, mediocribus, nõ inter se solùm, sed ipsi etiam piscis carni validissimè commissis. In paruulo subnigræ quædam apparẽt maculæ, quæ in paulò adultiore prorsus delitescunt. Grandiusculus enim argenteus est, dorso tamen paulò D minus quàm ventre candido. In capite ut [K] Aristoteles, [l] ac Plinius notarunt *Lapides habet*. Et (vt Athenæus testatur) [m] *Linguam osseam atque adhærentem, cor uerò trigonum*. Ventriculum amplum & longum; Appendices binas maximè conspicuas; Iecur subflauum, in duas diuisum fibras; Quarum dextræ, fellis vesica committitur. Lienem rubrum & longum. Intestina lata, nec multis complicata anfractibus; Folliculúmque plurimo aëre tumidum, ac spinæ dorsi validissimè annexum. Ad libras autem viginti Lupum aliquando excreuisse vidimus.

[h] Hist.li.1.c.5.
[i] Hist.li.6.ca.13
[K] Hi.8.ca.19.
[l] lib.9.ca.16.
[m] lib.7.f.155.15

DVPLEX LVPORVM GENVS.

[n] lib.8.ca.17.

Cum Columella de piscibus loquens, ita dicat, [n] *Tum sine macula (nam sunt & uarij) Lupos includemus*, duo Luporum genera facit; sine macula vnum, varium verò alterum. Nec enim est

vt paruulos Lupos, quippe qui nigricantibus notis (vt dictum est) insigniti sunt, varios ab eo vocari arbitremur; Nam hi ab illis, qui sine macula sunt, ætate sola, ac magnitudine differunt; grandiorésque facti, nigris illis deletis notis sine macula apparent. Columellæ verò varios, ab illis, qui sine macula ab eo dicuntur, alia profecto ratione differunt. Vt cuilibet ipsius verba diligẽter expendenti manifestissimum est. Est autem varius Columellæ Lupus (vti in trigesima secunda historia abundè probasse opinamur) piscis, quem *Truttam* vocamus; Sine macula verò is est, quem hic ad viuum depictum exhibemus.

LOCVS.

Hic noster piscis, & si in fluminibus non nascitur, è mari tamen sæpe flumina subit, Vti de Lupo testatum reliquere Veteres. Ait enim Horatius,

A [o] *Vnde datum sentis Lupus hic Tyberinus, an alto* — [o] Ser.2.Sat.2.7
Captus hiet, pontes ne inter iactatus, an amnis
Hostia sub tusci?

Et Martialis

[p] *Laneus Euganei Lupus excipit ora Timaui* — [p] lib.13.89.
Aequoreo dulces cum sale pastus aquas.

Oppianus autem

[q] *Labrax, audaces Amiæ, placidæque Chremites* — [q] li.1.fol.108.38
Pelamides, Congri, quem dicunt nomine oliston
Aequora, quæ fluuio, quæ sunt uicina paludi
Incoluisse iuuat, qua dulcis terminus undæ,
Et fluctus cæno commistus uortice multo
Voluitur à terra, pisces hic pascua læta
Accipiunt, pingui distendunt membra sagina,
Ex ponto fluuij dirus petit ostia Labrax.

Galenus verò, [r] *Lupum piscem in aquis dulcibus natum non uidimus, sed è mari in flumina, aut stagna ascendisse con-* [r] clas.2.f.28.H
B *speximus, ideoque paruus rarò, quemadmodum Mugilis sæpe inuenitur; Et quanquam pelagius sit, stagna tamen marina non fugit, nec fluuiorum ostia.* Et Columella ante hos omnes sic scripsit, [s] *Sed etiam quos rerum natura lacus fecerat, coniectis marinis seminibus replebant; Vnde Velinus, inde etiam Sabatinus, & item Vulsinensis & Ciminus Lupos Auratasque procreauerunt, & si qua sint alia pisciũ genera dulcis undæ tolerantia.* In piscinis præterea includi potest Lupus; Vt idem testatur Columella, dicens, [t] *Rarò itaque unus aut alter de multis millibus Mullis claustra patitur. At contra frequenter animaduertimus intra septa pelagicos greges inertis Mugilis, & rapacis Lupi,* Et paulò infra, *Tum etiam sine macula (nam sunt & uarij) Lupos includemus.* Quod tamen de maritimis (quæ maximè antiquis in vsu fuere) & non dulcis aquæ piscinis, intelligendum est.
[s] lib.8.ca.16.
[t] lib.8.ca.17.

PARIENDI RATIO.

[u] Aristotele, [x] Plinio, [y] Oppiano, [z] atque Athenæo authoribus, *Lupus bis anno parit;* Nam vt
C Aristoteles tradit [a] *Aestate parit.* [b] Et vt idem alibi, [c] atque Athenæus testis est. *Parit etiam hyeme, sed Aristotele authore,* [d] *Posterior partus priori infirmior est.* Et eiusdem [e] Aristotelis, [f] atque Athenæi testimonio, *Maximè ijs fœtificat locis, ubi flumina exeunt in mare.*

[u] Hist.lib.5.ca.9
[x] lib.9. ca.51.
[y] li.1.fo.116.53
[z] li.7.fo.155.17
[a] Hist.li.6.ca.17
[b] Hist.li.5.ca.11
[c] li.7.fo.155.17
[d] Hist.li.5.ca.9,

NATVRA ET MORES.

Vt Athenæus refert, [g] *Alcæo authore sublimè natat Lupus,* Aristotele verò teste, [h] *Inter pisces clarissimè audire produntur Mugil, Lupus, Salpa et Chromis,* Quod non solũ transcripsit Plinius, sed addidit etiã, [i] *Et in uado uiuunt.* Nec propterea quod apud Aristotelem, à quo ea omnia mutuatus est, id non legatur, ab ipso temere additum arbitrari debemus; Quoniam cum ibidem subiungat Aristoteles. [K] Cætera pisciũ genera minus audiunt, quamobrem imis gurgitibus versari potius solent, Prædictos clarius audientes, in vado viuere, vt Plinius apertissimè ex-
D plicat, tacitè oculatos lectores admonere videtur. Dormit præterea Lupus, vt idem Arist. testatur, inquiens, [l] *Lupi quoque & Auratæ, & Mugiles, & id genus alij, fuscina interdiu sæpenumero dormientes capiuntur, alioquin ex ijs nullus fuscina capi posse existimatur.* Athenæus Aristotelis testimonio, [m] *Lupum solitarium piscem esse dicit,* quod tamen in Aristotele non habetur; Solùm enim [n] *Piscibus, qui* κύτοι, id est *fussiles,* vel (vt Theodori verbo vtar) *fusanei dicũtur, eo quòd fusim retibus capiantur, ab eo Lupus annumeratur.* Ex quo (mea quidem sententia) non minus gregalem, quàm soliuagum eum esse coniectare licet; Quando fusanei dici posse non videantur, nisi grex, in quem sese prius collegerant, in fugam fusus fuerit; Ad quod accedit, quòd ibidem eisdem fusaneis piscibus Thinnos, Limarias, ac Monedulas asscribit Aristoteles, [o] *Quos alibi gregales esse docuerat,* [p] *Eundem Aristotelis quoque authoritate carniuorum esse,* idem testatur Athenæus; Et verè quidem cum scribat Aristo-

Athenæus notatur

[e] Hist.li.5.ca.10
[f] li.7.fol.155.16
[g] li.7.f.155.21.
[h] Hist.li.4.ca.8
[i] lib.10.cap.70.
[K] Hist.li.4.c.8.
[l] Hist.l.4.ca.10
[m] li.7.f.155.14
[n] Hist.li.5.ca.9
[o] Hist.li.9.ca.2
[p] lib.7.fo.155.15

[q] Hist.li.8. ca.2 teles,[q] Reliqua uictus ratio non eadem omnibus est, Alij enim carniuori tantùm sunt ut Cartilaginei, Congri, Hiatulæ, [r] Hist.lib.8. c. 2 Thunni, Murænæ, Lupi, Dentices, Amiæ, Cernuæ. Ac paulò post subdat,[r] Amia, Thunnus, Lupus, magna ex parte [s] li.8. cap.17. carne aluntur, sed algâ etiam tangunt. Et præter id quòd carne vescitur,[s] Columella,[t] Ouidio,[u] atque [t] in frag.de pis. fo.34.2.et.17 et fol.37.5. Oppiano authoribus; Rapax, rapidus, immanis ac dirus piscis est,[x] Is & Mugil mutuo odio flagrant, caudamque Mugili prærodit Lupus: Iidem tamen statis mensibus concordes sunt.[y] Ouidius verò, [z] atque Plinius, Lupum rete circundatum arenas arare cauda, atque ita conditum transire rete tradidere; Quibus subscribit & Op- [u] l. 1.fo.108.45 pianus his versibus;

[x] Hist.lib.9. ca. 2. Plin.li.9.ca. 62. Ath. li.7. fol.153.34. [y] in frag.de pis. fol.34.2.

[a] At fuluam Labrax alis molitur arenam
Conatur foueam branchijs aptare capacem
Corporis, ut magnos sub terris occulat artus,
Ac ueluti lecto iaceat, per littora grypos
Piscantes uerrunt, hic cœno immersus in alto
Effugit exitium prædæ, fugit humida lina.

A

[z] lib.32.cap.2. Vnde meritò ab Aristophane,[b] Propterea quòd ab insidijs sibi caueat, pisces cæteros antecellere prudentia credi- [a] lib.3.fo.134.3. tur. Plinio verò authore,[c] Minus in prouidendo solertiæ habet, sed magnum robur in penitendo, Nam ut hæsit in ha- [b] Athe.lib.7.fo. 155.19. mo, tumultuoso discursu laxat uulnera, donec excidant insidiæ, Quod quidem Ouidius etiam notauerat prius, inquiens,

[c] li.32.cap.2. [d] in frag. de pis. fol.34.17.

[d] Lupus acri concitus ira
Discursu fertur uario, fluctusque ferentes
Prosequitur, quassatque caput, dum uulnere sæuus
Laxato cadat hamus, & ora patentia linquat.

B

Et Oppianus postea comprobauit his versibus,

[e] li.3.fol.134.11

[e] Labrax deflexo pendens confossus ab hamo
Continuo in lymphis concusso uertice saltat,
Et setas uiolentus agens sua uulnera frangit,
Et maiora facit, funestaque fata repellit.

[f] lib.de pis.ca.4. Iouius autem,[f] Lupos omnium fermè scriptorum testimonio hamorum lineas dentibus serratis abrodere solere, falsò asserit; quando nullus scriptorũ, ne dum omnes, id vnquam Lupis tribuerit. Et licet sæuus robustúsque sit Lupus, à paruis tamen Squillis viribúsque carentibus, interficitur; quemadmodum hisce versibus testatur Oppianus. Iouij lapsus.

[g] li.2.f.122.29

[g] Sunt Squillæ exiguæ sunt paruo in corpore uires
Et magnum & saturum præclarum Labracis uentre,
Interimunt astu, properat gestitque teneri
Labrax pisciculis, qui paruo robore possunt
Non dare terga fugæ, non æquo occurrere marte
Occisæ occidunt hostem, perimuntque necantem,
Cum Squillæ rictu piscis sorbentur aperto,
Turmatim in medium descendit turba palatum,
Et feriunt cornu, quod fronte exsurgit acuto,
Explet se præda Labrax, nec uulnura curat,
Vulnera paulatim serpunt, domitantque uoracem
Et sola tanti cessant in morte dolores,
Se tandem sensit uicti mucrone perire.

C

D

[h] lib.12.cap.15. Quod[h] Aelianus etiam ad verbum transcripsit; Vt verò Oppianus refert,[i] Qui Lupum [i] lib.3.fol.135.5. hamo piscantur, pro esca, parua utuntur Squilla. Eodemque authore,[k] Lupus pro esca est capiendis Anthijs,[l] Præge- [k] li.3.fo.135.12 lidam Hyemem sentit Lupus, uti & pisces reliqui, qui lapidem in capite habent.

[l] Hist.lib.8.ca.19 Plin.l.9.ca.16

QVANTAE SIT NOBILITATIS, ET QVI EORVM NOBILIOR.

[m] lib.9. cap.17. Vt refert Plinius,[m] Post Accipenserem apud antiquos piscium nobilissimum habitum, præcipuam authoritatem [n] Hex.5.ca.2. fuisse Lupo, & Asellis, Cornelius nepos & Laberius Poeta mimorum tradidere. Diuus Ambrosius,[n] Luporum teneri-

tudinem mirificè laudat. Et vt Eustathius scribit,[o] *Quidam piscatorem sciscitatus quos nam haberet uenales pisces; cum is Lupum & Anthiam & eius generis alios responderet, deos inquit nominasti, & mihi piscibus non dijs opus est.* Non omnes tamen Lupi tanta laude digni, aut pariter æstimandi videntur. Plinius enim fluuiatiles laudat, inquiens,[p] *At in Lupis, in amne capti præferuntur,* Columella verò luxuriosissimo dicto; & improbo facto,[q] Quod ex M. Varrone transcripsit, Tyberinum celebrari testatur, dicens,[r] *Cum fortè Philippus Cassini apud hospitem cœnaret, appositumque è uicino flumine Lupum degustasset, atque expuisset, improbum factum dicto prosequutus peream inquit, nisi piscem putaui. Hoc igitur periurium multorum subtiliorem fecit gulam, doctaque & erudita palata fastidire docuit fluuialem Lupum, nisi quem Tyberis aduerso torrente defatigasset.* Quod Macrobius etiã asseuerat, scribens,[s] *Quid stupemus captiuam illius seculi gulam seruisse mari, cum in magno, ne dicam maximo apud prodigos honore fuerit etiam Tyberinus Lupus.* Alii non simpliciter Ty-

A berinum, sed inter duos Tyberis pontes captum celebrarunt. Teste, præter Horatium supra citatum.

[o] fol. 1053. 19.
[p] lib. 9. ca. 17.
[q] li. 3. de re rust. ca. 3.
[r] lib. 8. ca. 16.
[s] Satur. 3. cap. 16

[t] Vnde datum sentis, Lupus hic Tyberinus, an alto
Captus hiet, pontes ne inter iactatus, an amnis
Hostia sub tusci (

[t] Serm. 2. Saty. 2. 7.

Plinio, ita aiente,[u] *Eadem aquatilium genera alibi atque alibi meliora, sicuti Lupi pisces in Tyberi amne inter duos pontes,* Item Macrobius his verbis,[x] *Varro Tyberis pisces omnes laudat, sed inter eos, ut supra dixi præcipuum locum Lupus tenuit, & quidem is, qui inter duos pontes captus esset; id ostendunt, cum multi alij, tum etiam C. Titius uir ætatis Lucilianæ, in oratione, qua legem Fanniam suasit; ubi homines prodigos atque ebrios in forum ad iudicandum profectos inter alia multa ita loquentes inducit; edimus Turdum pinguem, bonumque piscem Lupum Germanum, qui inter duos pontes captus fuit; Hæc Titius. Sed & Lucilius acer & uiolentus Poeta ostendit se scire, hunc piscem egregij saporis, qui inter duos*

B *pontes captus esset; eumque quasi liguritorem, Tyberinum Catillonem appellat, ut qui proximè ripas stercus insectaretur. Propriè autem Catillones dicebantur, qui ad polluctum Herculis ultimi cum uenirent, Catillos liguribant. Lucilij uersus hi sunt*

[u] lib. 9. ca. 54.
[x] Satur. 3. ca. 16.

Fingere præterea afferri quod quisque uolebat,
Illum sumina ducebant, atque altilium lanx,
Hunc pontes Tyberinus duo inter captus Catillo,

Plinius præterea[y] *Luporum inquit laudatissimi, qui appellantur Lanati, à candore mollitiaque carnis,* Cui subscribit Martialis versibus supra citatis,

[y] li. 9. cap. 17.

[z] Laneus Euganei Lupus excipit ora Timaui
Aequoreo dulces cum sale pastus aquas.

[z] lib. 13. 89.

Quæ tamen gulæ, ac palati iudicio, potius quàm artis medicæ consilio comprobata fuisse, credendum est; Cum Galeni testimonio,[a] *In omnibus piscium generibus pelagij optimi sint, post quos qui in marinis stagnis degunt, hos illi sequuntur, qui circa fluuiorum ostia uictitant, postremi omnium fluuiatiles censentur.* [b] *Archestratus in Mileto captũ celebrat* Athenæus[c] *Eum capite præstare* testatur; Ab Aristotele;[d] *Dum utero fert, deterior censetur,* Nostra autem sententia, Hyeme capto, & Ianuario præsertim mense, summa inest saporis gratia.

C

[a] clas. 2. fol. 28. E. F. G.
[b] Athe. lib. 7. fo. 155. 22.
[c] lib. 7. fol. 151. 25 & fol. 155. 33.
[d] Hist. l. 8. ca. 30

VT NVTRIAT, ET QVO MODO CONDIRI DEBEAT.

Apud Athenæum[e] *Hicesio authore, boni succi est Lupus, sed non multi nutrimenti,* Quod Celsus etiam testatur;[f] *Eum leuioris esse alimenti asserens.* Ac Galenus comprobat, inquiens;[g] *Alimentum quod tum ex Lupo, tum ex alijs piscibus prouenit, sanguinem gignit consistentia tenuiorem, quàm quod ex pedestribus animalibus sumitur, adeo ut non affluenter nutriat, & celerius discutiatur;*[h] Alibi uerò, *Inter Salubres pisces eum connumerat Galenus.*

D

[e] Athen. li. 7. fo. 155. 17.
[f] lib. 2. cap. 18
[g] clas. 2. f. 28. H
[h] clas. 7. f. 51. F.

Quouis modo coctus, sapit; Nonnulli tamen in craticula mitioribus prunis subditis assatum, oleóque sale atque aceto conspersum, gratiorem existimant. Si verò ægris eum apponere uolumus; In albo iure elixandus erit. Postremò cum apud Plinium legatur;[i] *Foroiulienses piscem ex quo Garum faciunt, Lupum appellant,* aut mendosum locum suspicari oportet, aut à Foroiuliensibus alium piscem ab hoc nostro, Lupum vocatum fuisse; Cum nullus vnquam alius veterum, ex Lupo nostro garum fieri testatum reliquerit.

Plinij locus mendosus.

[i] lib. 31. cap. 8.

VT CONDIATVR.

[h] Lib.9.cap.17. Vt author est Plinius[h] *M. Apicius ad omne luxus ingenium mirus, in sociorum garo (Nam ea quoque res cognomen inuenit) necari eos præcellens* (vel potius forsan siccari eos præcellenter) *putauit, atque è iecore eorum alecem excogitare prouocauit*. Quod Horatius quoque asserere videtur inquiens, [i] *Mullum in singula quem minuas pulmenta necesse est*. Vt verò testatur Galenus. [k] *Quidam Mulli hepar ne per se* quidem mandere volebant, sed garelęum, quod vocant, in vase cum pauxillo vini pręparantes, in eo viscus ipsum tantisper comminuunt, quoad totum simul ex ipso & humidis pręparatis, succus vnus fiat simplex ad sensum ac similaris, in quo Mulli carnes intinctas mandunt. Nos autem in craticula assos, atque modico oleo & arancij succo conspersos commẽdamus. Fricti etiam & arancij succo irrorati edi solent. Quòd si frictos statim in acetum aromatibus & croco conditum immerseris, non sapidiores solùm, sed dies etiam aliquot duraturos reddes; Aelianus autem scribit, [l] *Ab iis qui artem culinæ callent, auditione* accepi, Mullorum ventres non rumpi, sed integros permanere, si prius eorum os coci osculentur.

[k] Clas.2.fol.29. B.

[l] Lib.12.cap.22.

Plinij locus corrigitur.

E


IN MEDICINIS VSVS.

Teste Dioscoride[m] *Mullus recens diuulsus imponitur contra morsus Draconis marini, Scorpionis, & Aranei*. Quod Galenus etiam citare videtur inquiens, [n] *Viuas etiam num hasce animantes apertas, &* protinus partibus affectis appositas prodesse scripserunt, nempe Draconem marinum in suum *ipsius ictum impositum, similiter & Triglam in Draconis*. Plinius verò prodidit, [o] *Percussis à Pastinaca marina medetur Mullus*. Et alibi[p] *Contra omnia ueneficia ex mẽstruis mulierum auxiliatur Mullus; item contra Pastinacam* & Scorpiones terrestres marinosque, & Phalangia illitus sumptusue in cibo; eiusdem recentis *è capite cinis contra omnia uenena, priuatim contra fungos*. Et alio loco[q] *Vomitiones Mulli inueterati tritique in potione concitant*. Et rursus alibi[r] *Mullus in uino necatus, ijs qui inde biberint tedium uini affert*. Præterea apud Athenæum Terpsicles scripsit[s] *Si Mullus uiuus uino suffocetur, idque à uiro bibatur, impotens fiet ad rem uenercam, si uerò à muliere non concipiet*. Postremò vt Alexander Aphrodiseus testatum reliquit, [t] *Nemo* marinam torpedinem ignorat per funem corpori stuporem inferre, cui contrectatus Mullus contraria facultate resistit.

[m] Lib.2.cap.23.
[n] Clas.5.fol.85.H.
[o] Lib.32.cap.2.
[p] Lib.32.cap.5.
[q] Lib.32.cap.8.
[r] Lib.32.cap.x.
[s] Lib.7.fol.162.25.
[t] In præfat.lib.1. problem.

F

P. 97



N. G. ἐρύθρινος.
L. Rubellio.
V. Fravolino.

HISTORIA VIGESIMA NONA
DE DENTICE

NOMEN.



PISCIS noster trigesimus primus, quem Itali *Dentale*, Massilienses *Dente*, & Græci nostri temporis *Synagrida* appellant, σινόδων, & σινόδους græcè dicitur,[a] scribitúrque (vt Numenius inquit, quem omnes ferè sequuntur) per υ. συνόδων, aut (vt vult Dorion, cui Archestratus, atq; Antiphanes assentiũt) per ι. σινόδων. latinè verò [b] à Columella (quẽ sequutus est Theod. Gaza) græcã significationẽ æmulato *Dentex*,[c] ab Ouid.[d] & à Plinio græcum vocabulũ mutuatis, *synodon* vocatur. Verũ cũ ab Athenæo A
συνοδοντίς etiam recenseatur inter pisces. Ne nominũ decipiamur similitudine, aduertendũ est quòd συνοδοντίς & συνόδων nõ vocis solũ terminatione, sed ipso etiã significatu differunt; Ita vt alius piscis sit συνοδοντίς alius verò συνόδων. Quemadmodũ manifestissimè ex ipsius Athenæi verbis intelligi potest, de pelamide.n.agẽs, inquit,[e] *ὁ δὲ μείζων, συνοδοντίς καλεῖται;* id est *Maior pelamis Synodontis appellatur.* Quòd pelamis aũt diuersus piscis sit à Dentice, ex historia 36. dignoscitur; Præterea cũ ab Arist. & Athenæo *συναγρίς quoque piscibus annumeretur;* In dubiũ vertitur, an Synagris diuersus piscis sit à Synodonte, vel piscis vnus atque idem, nomina verò solũ varia; Dubitandi aũt occasionem dedit Græcorum nostræ ætatis vuulgus, qui (vt diximus) piscẽ hunc trigesimũ primũ, quẽ Itali *Dentale* appellant, abusu potius (vti arbitror) quã ratione ulla ductus *Synagrida* vocat; Quo quidem abusu Theodorus quoque Gaza persuasus[f] *Cum συνόδοντα, & tum συναγρίδα in Arist. Denticem* cõuertit; Arbi B
tratus (vt videtur) vnũ atque eundẽ piscẽ esse. Cum tamen duos pisces esse fatendũ sit; Idque Theod.
non solũ, propterea quod Arist. in pertractandis rebus, Synonimis vti nõ soleat nominibus; Sed lapsus.
ob id etiã quòd duos esse manifestè declarat Epicharmus, dicẽs,[h] *συναγρίδας μαζούς τε, συνόδοντάς τε ἐρυθροποικίλους*, hoc est, *Synagrides lautas, et Synodontes uario colore rubeos.* Atq; manifestius adhuc Hicesius, inquiẽs,[i] *Phagri Chromis Anthias Acarnanes Orphi Synodontes et Synagrides, genere similes sunt.* Ex quibus quidẽ verbis [K] Massarius, [l] & Petrus Gyllius, sicuti Synagridẽ & Synodontẽ diuersos pisces verè faciũt; Massa
Sic eosdem corporis forma similes esse falsò asseuerãt; Nam illud genere similes, haud quaquã et Gylli
ad corporis similitudinẽ (quãdo Orpho, cum Phagro, & cũ Dentice, corporis forma nullo Prorsus pecto cõueniat) sed ad saporem, & nutriendi facultates, spectet; Vt ipsemet Hicesius indicat error.
subdens,[m] *Suaues enim sunt, & modicè adstringunt, et copiosè alunt, sed difficulter excernũtur, carnosi magis, pinguiores uerò minus nutriũt.* Nec est vt Gyllius, aut aliquis alius pro hac defendenda opinione dicat, Duos re vera specie distinctos reperiri pisces; quorũ vterque sicuti proximè adeo ad alterius accedat similitudinẽ, vt ab omnibus distingui nõ possit (Vnde[n] *Ligures, et Massilienses utrosque Dentices, cõtra uerò Græci utrosque Synagrides nominant.*) sic ita peculiares habeat notas, vt illis, ab altero internoscatur à quibusdam; Horúmq; vnum Synodontẽ, alterũ verò Synagridẽ verè esse. Nã ni confictas tradant notas præter eas, quæ aut ætatis, aut tẽporis anni, aut loci varietatẽ (vt aliis etiã nonnullis accidit piscibus) sequi solent, nullas monstrabunt vnquã. Quamobrẽ piscẽ, quẽ hodie Græci vulgò *Synagrida* vocant, Denticem esse, à nostróque aut nihil, aut loci solùm ratione differre, certũ est. Quòd autẽ cũ Synagrida appellent; inde factũ suspicamur, quòd vtrunq; nomẽ. συνόδων inquã & συναγρίς. eisdẽ primis incipiat literis; Vnde & Athenæus. qui in recensendis piscibus literarũ sequitur seriẽ, eodẽ loco simul vtriusq; meminit, inquiens.[o] *συνόδοντες, καὶ συναγρίς.* Synagris autẽ, cuius solũ Arist. Epicharmus, ac Dorion (quòd quidẽ sciã) supra citatis locis meminerunt; quinã pisciũ sit, quóue latino nomine, aut vulgari nomenclatura vocetur, haud nobis hucusque notũ est, suspicamúrque neque etiam in posterum cognitum fore; Propterea quòd nec nomen eius, nec quæ ei authores tribuunt, ullam ad id coniecturam afferant.

[a] Ath. li. 7. f. 160 45.
[b] lib. 8. cap. 16.
[c] in frag. de pis. fo. 36. 29.
[d] li. 37. ca. 10.
[e] lib. 8. fo. 178. 2
[f] Hist. li. 2. ca. 13 & 15.
[g] lib. 8. cap. 2. et 13. lib. 9. ca. 2.
[h] Ath. li. 7. f. 160 44.
[i] Ath. li. 7. f. 163 25.
[K] fo. 364.
[l] De nom. pis. capi. 111.
[m] Ath. li. 7. fol. 163. 26.
[n] Gyll. lib de nominib. pis. cap. 111.
[o] lib. 7. fol. 160. 43.

DESCRIPTIO.

Et si dicente Dorione, *Phagrum Chromim Anthiam Acarnanẽ Orphum Denticẽ & Synagridã genere similes esse*, ad saporẽ & nutriendi facultatẽ (ut diximus) ea referri debeat similitudo; Dentex tamen corporis etiã figura, ac partibus ferè omnibus Phagro similis adeo est, ut non facilè abinuicem internoscantur; Sunt qui credant eos, ætate sola atq; magnitudine differre; Ita vt vnus & idẽ piscis minor & iunior existens, Phagros; ad sesquipalmi verò magnitudinẽ adultus, Dentex appelletur;

Qua autem ratione Dentex à Phagro distinguatur, in historia de Phagro (quam in nostrum secundum reiecimus librũ) cum hic (uti par erat) eius pingendæ effigiei commoda data non sit occasio, edocturi; Nunc Denticis descriptionẽ aggrediamur; Cum itaq; repandum dorsum habeat, lateráq; satis cõpressa, nõ oblonga, sed latiuscula corporis redditur figura; Capite est aliquãto fastigiato; Rostro acuto; Ore satis amplo, & valde denticulato; Præter.n. minores ac serratos dentes, quibus maxillæ armantur, carũ superior quinis aliis, inferior verò octonis permagnis, validissimis, caninísque similibus, & non latis; [p] *ut falsò asseuerat* Iouius, horret; Oculi magni sunt; Branchiæ vtrinq; quaternæ; In dorso vnicã pinnã oblongam, ac viginti ferè aculeis munitam gerit; Alia etiã vnica imo ventri ab ano subest; Atque vtrinq; binæ aliæ, ad branchiã vna, altera verò ad ventrem, ortæ sunt; Caudam falcatã habet; Ventre est argenteo; Vnde [q] *album à Numenio uocatum esse suspicor*; Lateribus verò & Dorso ex albo rubet. Et ob id nõ ineptè, [r] *Fuluus dicitur ab Ouidio*; Præterea maculis etiã quibusdam notatur; Quãobrem [s] *Epicharmus eum iurè* ἐρυθροποίκιλον, id est *rubro colore uariũ, uocauit*; [t] *Lapides in cerebro habet, qui Synodontites appellantur.* Quo verò ad partes internas spectat, nil habet peculiare ac notatu dignum; Ad denas aliquando libras excreuisse vidimus; [u] *Dentici* (Athenæi testimonio) *congener est Charax, præstat tamen Charax.* Qui autem piscis Charax sit, sciri posse nõ credimus; Cũ præter Athenæũ, qui nihil aliud, quã quod paulò ante citauimus, de eo scriptũ reliquit; Et Oppianũ, qui solũ inter litorales pisces eũ recenset, inquiẽs [x] *Gobius, & Charax magna leuitate natantes*; nullus alius, quòd sciã, vllã eius mentionem fecit, nostratibús ue piscibus eũ annumerauit; Et si Aelianus eiusdẽ nominis piscẽ Rubri maris accolã his verbis describat; [y] *Rubri item maris fœtura est Charax nũcupatus piscis, pinnas habet, et utrinque et à tergo auri similitudinẽ speciéque gerit: Inferiores partes purpureis cingulis illustrantur, similiter eiusdẽ cauda auri colorẽ gerit, purpureus color oculos pulchrè adumbrat.*

Iouij lapsus.

p li. de pis. ca. 12

A

q Athe. li. 7. fol. 160. 45.

r in frag. de pis. fol. 36. 29.

s Athe. lib. 7. fo. 160. 44.

t Plin. l. 37. c. 10

u l. 8. f. 177. 24

x lib. 1. f. 109. 36

y lib. 11. cap. 49.

B

LOCVS.

Cum Aristoteles [z] *Marinos pisces, in pelagios, qui litoribus relictis, in alto degunt, & Litorales, qui pelago neglecto, litora incolunt, partitus sit, inter litorales Denticem recenset.* Quem Oppianus etiam sequutus est [a] inter litorales pisces, qui cautibus & bibula pascuntur arena, eum connumerans. Nec si Columella & Ouidius, secus sentire videantur; ille Denticem pelagium faciens his verbis, [b] *At arenosi gurgites planos quidem non pessimè, sed pelagios melius pascunt, ut Auratas, ac Dentices*, hic verò [c] *piscibus, qui pelago gaudent, eundem annumerans*, eis assentiendum est; Cum diuturna Piscatorũ obseruatio Arist. & Oppiani, potius quàm ipsorum subscribat opinioni.

Columella et Ouidius notantur.

z Hist. l. 8. ca. 13

a lib. 1. fol. 6. 55. græcè, nã in latino male uersus est locus iste

b li. 8. cap. 16

c in frag. fo. 36. 29.

NATVRA ET MORES.

Vt testis est Arist. [d] *Carne solũ uescitur Dentex, et mollia* (quæ μαλακία dicũtur) *appetit, euenitque illi plerunque, ut dum minores pisces insequitur, uéter in os procidat.* [e] *Gregalis etiã est*, vt Arist. quoq; notauit, atq; Aelianus hæc de eorũ gregatim viuẽdi more scribens. [f] *Dentices tã congregatiles sunt, ut nec sibi à gregalibus suis æqualibus solitudinẽ et segregationẽ ferãt: Ac nimirũ peradolescẽtes separatim à reliquis natant; Ii uerò qui sunt cõfirmatiori ætate etiã inter se uitæ cõmunitate, illo prouerbio cõiungũtur; Aequalis æqualẽ delectat, et præsentes præsentibus tãquam iis, quibus cũ societas, aut amicitiæ coniunctio, ex consuetudine usuque freqũeti delectantur. Aduersus Piscatores sic machinantur, ut cũ Piscator in eos cibũ demiserit, congregati et in orbẽ consistẽtes inter se conspiciãt, et quasi signo dato inter se, admoneãt ne prope ad cibũ accedãt, ne ue demissum cibũ attingant: atque in hunc ordinem instructi permanent: Sin aũt soliuagus ex alio grege accesserit, hamumque deuorauerit, ac suæ solitudinis præmio accepto subtractus fuerit, confidentiores efficiuntur, quod non sint capti, sicque ex fiducia se tuendi negligentiores facti, capiũtur.* Oppianus uerò [g] *Boca pisce Dentices capi*, testatũ reliquit. Aestate pariũt circa saxosa loca.

d Hist. li. 8. cap. 2

C

e Hist. lib. 9. ca. 2

f lib. 11. cap. 40.

PRAESTANTIA, NVTRIENDI ATQVE CONDIENDI RATIO.

g li. 3. fo. 135. 7.

Communi omniũ iudicio sapidi pisces existimãtur Dentices; Vnde & Hicesius loco supracitato, [h] *Inter suaues pisces eos recenset*; Sunt præterea (vt ibidem idem testatur, & nos quoq; supra diximus) *modicè adstringẽtes, copiosũque præbẽt alimentũ, sed difficulter excernũtur, carnosique magis, pinguiores uerò minus nutriũt*: Et licet vbique ferè iucundissimè sapiant; Illirici tamen, & præsertim ex Salona, atq; Tragurio, cæteris ab omnibus præferũtur; Actius verò sincerus Neapolitanus Poeta nobilissimus in suis lusibus piscatoriis, eum, quẽ mare circa Amalphim procreat, his versibus celebrauit;


D

h Ath. lib. 7. fol. 163. 25.

Dat Rhombos Sinuessa, Diarchi litora pagros, Herculeæ Mullum rupes, Synodontas Amalphis.

In aqua, oleo & sale iniectis, elixi; Aut assi crebra olei & aceti, vel omphacii inspersione irrorati, comedi solẽt; Sunt etiã qui, eo condimẽto, quod vulgò *Amarinare* appellant, cuius rationem in hist. 23. exposuimus, eos parent; Illirici verò in caput & caudam concisos ex aceto, sale & multo croco addito incoquunt, Sicque coctos perspicuo gelu condiunt, cadísque includunt, ita vt toto fermè anno per omnem ferè Italiam aduectitii, & ceu recentes, venales habeantur.

·P·32·



·N· ·G· Σίλουρος.
·L· Silurus.
·V· Sturione.

HISTORIA TRIGESIMA
DE STVRIONE SIVE SILVRO

NOMEN.



VM difficile explicatu sit, quo Græco ac Latino nomine noster trigesimus secundus piscis, quem Itali *sturione* appellant, vocetur; priusquàm eius exquiramus nomina, historiam reliquam conscribemus, ex his enim facilius & clarius vetus eius excutietur nomenclatura.

DESCRIPTIO

Sturio igitur noster rostrum extentum admodum, & piramidatum; caput haud magnum; oculos paruos; & multùm infra rostrum in ipso ventre os rotundum, edentulum, atque omnis asperitatis expers, habet; Ex cuius superiore parte gemina barba (Mulli instar) pendet. Branchiæ sunt ei vtrinque quaternæ, osseo operimento nõ secus quàm squamosis piscibus contectæ; Pinnæ etiam vtrinque binæ, ad branchias duæ, & duæ aliæ in ventre ad podicem; Præter quas in dorso prope caudam alia vnica erigitur, è cuius ferè regione imo ventri alia etiam vna subnectitur; Cauda veró in pinnas duas degenerat, quarum superior crassior atque duplo longior extat; Totius corporis figura longa est, & ferè rotunda; Cum enim planus sit venter, dorsum & latera semirotunda sunt; Toto autem dorso, crassiores quædam ac ferè osseæ squamæ, superiore parte robustissimis aculeis ad caudam spectantibus horridæ, certo numero ordinéque distinctæ, elegãter admodum eminent, atque vtrunque latus duobus consimilium squamarum, sed paulò minorum, ordinibus à branchiis ad caudam deductis, armatur & ornatur; vti in magnificentioribus valuis hodie videmus, quas ferrei & inaurati claui certa serie confixi, decentissimè figurant. Quibus quidem squamarum ductibus, totius piscis figura ferè pentagona effici videtur; Partes verò reliquæ, quæ inter hos squamarum ordines siue ductus continentur, non squamosa, sed scabra cute, atq; pro locorum ratione, in quibus capitur, nũc magis, nunc verò minus subuiridi teguntur; venter verò cuti læui & argentea contectus est; Linguam habet crassam & duram, gulam vndequaque rugosam; Ventriculum carnosum & solidum; Hepar in duas fibras oblongas & pallidas diuisum, quarum dextræ fellis vesica validissimè cõnectitur; Lienem subrubrum, Intestina crassa, & ternis giris conuoluta; Spinas nõ habet, sed earum vice cartilaginẽ; Vnde cũ rostro, oris situ, pinnis, cauda, tereti corpore, & cartilaginibus, quas pro spinis habet, galeis siue galeodibus piscibus (qui autem galei pisces sint, in trigesima nona historia declaratur) simillimus sit, iurè ex galeorum genere censeri posset, ni branchiæ obstarent; Nam cum teste Aristotele[a] *in quouis galeorum (siue ut uertit Theodorus Mustelino) genere, detectæ branchiæ cernantur*, Sturionis osseo siue spineo operculo, squamatorum (vt diximus) piscium instar, tectæ sunt; Sed neq; ob hoc à galeis prorsus seiungendus esset; cum Aristoteles non nisi eos galeos, quos cognouit, detectas habere branchias scripsisse, credendus sit; Quòd autem Sturionem nostrum non cognouerit, ex eo clarè patet, quòd nullam eius mentionem fecerit penitus; Maioribus piscibus annumerandus est Sturio, cum crebrò ac plerisque in locis centum librarum capiatur, ac alicubi longè maior capi soleat.

A B C

[a] *hist. li. 2. ca. 12*

MINOREM A MAIORE SPECIE NON DIFFERRE.

Vti Itali hos nostros pisces minores, ac cubitalem magnitudinem non excedentes, *Porcellette*; grandiores verò, *sturioni* appellant, ita plerique tum piscatores, tum docti viri, minores illos *Porcellette* vocatos, maiores non fieri, ab hiísque grandioribus specie disiungi arbitrantur; Verùm cum huius suæ opinionis rationem nullam afferant, ea neglecta, hos ab illis sola ætate ac magnitudine differre dicamus; Etsi Plinius etiam (vt infra, vbi antiqua Sturionis perquiremus nomina, declarabitur) illorum opinionis fuisse videatur.

D *Quorundã opinio reprobatur.*

LOCVS.

Marinus & fluuiatilis piscis est Sturio, ex mari enim ad magnos amnes adnatat; Neque

solùm in Thyrrheno & Adriatico, sed in omni etiam mediterraneo mari atque oceano habetur; magnósque omnes in hæc maria confluentes fluuios subit, in quibus per quàm libenter degit, proceriórque fit; Vnde non solùm in Tyberi, Pado, Rheno, Danubio, atque in plerisque aliis magnis Europæ fluminibus, sed in Tanai etiam & Nilo reperitur.

NATVRA ET MORES.

Sturio æstate parit, tum in fluminibus tum in mari, vtrobique enim recens orti capiuntur; Piscibus non nutritur, sed muco, sordibus, atque aliis minutissimis rebus, quas sugendo ingerit; Omni anni tempore capitur, non hamo, ad quem non accedit, sed retibus.

PRAESTANTIA.

Vti ferè nulli tum marinorum, tum fluuiatilium piscium, in sapore cedit Sturio; sic sapi A dos omnes proceritate antecellit; Nullus enim piscium qui lautioribus apponuntur mensis, Sturione procerior est; & vbique in multa haberi solet æstimatione; Nõ æquè tamen omnes magnifaciendi sunt, fluuiatiles enim marinis præferuntur, quippe qui in ipsis fluminibus dulcium aquarum haustu, non pinguiores solùm ac maiores, sed suauiores etiã fiãt; Aestatéque media gratiosiores sunt, quàm reliquo anni tempore; Abdomine præ partibus cæteris commendantur.

VT NVTRIAT, ET VT CONDIATVR,

Duriusculam carnem habet, præpinguem & glutinosam, & propterea ægrè coquitur, ac crassum succum gignit; Vnde neque ægris, neque valetudinariis apponendus est; Elixus cum leucophago ferè vbique comeditur; Nec recentes solùm in cibum admittuntur, sed saliri etiam in plerisque locis, & maximè in Tanai, apud Tanam emporium, B solent; vbi ob maximam eorum copiam cetariæ institutæ sunt officinæ, in quibus *cauiarium* vocatum salsamentum, ex Sturionum ouis salitis, & in massam congestis, conficitur; Quod cadis inclusum per totam Europam venale deinceps transmittitur, ac vbique quampluri mis gratissimum esse solet, quippe quod non solùm eis probè sapiat, sed deiectam etiam ciborum appetentiam subleuet, ac siti mirè lenocinetur; Crudum comestur, vel in panis crustulis ad prunas vstulatis. Ibidem præterea ex Sturionis pulpis, ex tota dorsi longitudine integris dissectis, sale conditis, & fumo demum exiccatis, ea etiam salsamenta, quæ *schinalia*, vel *spinalia* vulgò appellamus, parantur, quæ nõ secus quàm cauiarium, ad quàm plurima loca venalia deferuntur, ac in multa æstimatione habentur; Postremò ex Sturionis folliculo, ad spinæ dorsi longitudinem extenso, gluten Tanais accolæ conficiunt.

NOMEN.

C His sic declaratis, iam quo nomine hic piscis noster, quem Itali *Sturione* & *Porcelletta*, Galli *Estourgeon*, Burdegalenses *Creae*, Hispani ac Lusitani *solho*; & Germani *Stoer*, appellant; à Latinis atque Græcis vocatus fuerit, explicandum est; quod quidem difficile adeo est explicatu; vt variæ superioribus annis ortæ sint de veteri eius nomine opiniones; quas singulas excutiamus oportet, vt facilius ac verius veritas ipsa limetur; Prima igitur opinio Raphaelis Volaterrani fuit, qui Poggium seniorem Florentinum, & plerosque alios suæ ætatis eruditos viros secutus, [a] *Sturionem Lupum fuisse putauit, propterea quòd Lupus Tyberinus, & is maximè qui inter duos pontes caperetur, piscium apud Romanos esset laudatissimus, qua una modo conditione, Sturiones omnium iudicio, summam saporis cõmendationem accipiunt*; Verùm præter id quòd vana est eius ratiocinatio (pari nanque ratione, *Laccia*, *Spigola*, & *Lampetra*, pisces in Tyberi capti, non solùm æquè atque Sturio ab omnibus sed multò etiam magis à plerisque laudati, Lupi appellandi essent) Alia etiam sunt, quæ D ci omnem fidem abrogant; Primùm enim cum Lupus [b] Aristotelis testimonio, *squamosus sit*, [c] *atque carniuorus*, Sturio squamis caret, & carne abstinet, vt supra docuimus. Præterea cum [d] Aristotele, [e] Plinio, [f] ac Athenæo authoribus, *Lupus Mugili caudam prærodat*, Sturioni id nullo pacto tribui potest, quippe qui os edentulum & inferiore parte positum habeat; vnde neque ad capiendum aptum, neque ad erodendum idoneum videtur; Postremò cum citra controuersiam, omnibus consentientibus notis, piscis qui *Spigola* Romæ vocatur, Lupus sit (vt manifestè in historia vigesima octaua declaratum est) Sturio Lupus esse non potest. Secun

Raphaelis opinio reprobatur

[a] *lib. 25.*
[b] *hist. li. 6. ca. 13.*
[c] *hist. li. 8. ca. 2.*
[d] *hist. lib. 9. ca. 2.*
[e] *lib. 9. cap. 62.*
[f] *lib. 7. fol. 153.*

34.

[g] lib.30 epist.27 da opinio,[g] Francisci Philelphi est, qui cũ in Plinio legisset, [h] *Sunt & in quibusdam amnibus haud Thũ*
[h] lib.9. cap. 15. *nis minores Silurus in Nilo, Esox in Rheno, Attilus in Pado; Inertia pinguescens ad mille aliquando libras catenato captus hamo, nec nisi boum iugis extractus;* his adductus verbis, *Attilum non posse esse alium à Sturione contendit;* prægrandes illos Sturiones, qui in Pado caperentur, piscium eius amnis longè maximos esse arbitratus; Quod tamen falsum est, cum Attilus is sit, qui hodie ab accolis Padi veteri servato vocabulo *Attina, Adilo, & Ladano* vocatur, piscis inquam ipso Sturione amplior, effigie, sapore, pretio, & tota ferè natura ab eo dissimilis, atque adeo diuersus, vt in prouerbium Ferrariæ abierit, cum duas inter se res maximè distantes significare volunt, eas sic differre vt Sturionẽ ab Attilo, dicant. Tertia opinio, quæ Theodori Gazæ à plerisq; fuisse creditur, Sturionem esse Plinii Tursionẽ asseuerat, propterea quód Plinius (qui solus Latinorũ Tursionis mentionẽ fecit) scribens; [i] *Delphinorum similitudinem habent, qui uocantur Tursiones, distant tristitia quidem aspectus, abest enim illa lasciuia, maximè tamen rostris canicularum maleficentia assimilati,* Sturionis formã atque naturam expressisse videatur; Accedatque ad hoc, vt nouitium Sturionis nomen antiquo Tursionis, plurimum eorum iudicio alludat. Verùm quàm hæc quoque cuiuscunq; ea fuerit erronea sit, facilè intelligi potest; Nam cũ tum ex præcitatis Plinii verbis, tum ex Aristotelis testimonio, dicentis, [k] *Excepto Delphino & Phocæna (quam Tursionem interpretor) nihil in ponto maleficum est,* maleficum esse Tursionem clarè constet; quod & Archestratus comprobat, inquiens, [l] *Qui à Romanis Tursio uocatur, Carcariæ, id est caniculæ species est,* is Sturio esse non poterit, quippe qui paruo ac edentulo ore est; Deinde cum eiusdem Aristotelis authoritate, [m] *Tursio siue Phocæna in ponto nascatur, catulos pariat, ac lac habeat, quo suos nutriat fœtus,* quo modo Sturio erit, qui vbique nascitur, quique ouiparus est; Nec quispiã pro hac opinione defendenda à Theodoro deficiens, qui semper Phocænam in Aristotele Tursionem vertit, Plinii Tursionem Aristotelis non esse Phocænam dicat; nam si ea quæ Phocænæ tribuit Aristoteles (inquit enim [n] *Phocæna Delphino similis est, nascens in ponto; Sed interest, quòd minor Tursio est, dorso ampliore, colore cœruleo; Complures eum esse genus Delphini opinantur;* & alibi [o] *maleficam eam facit*) cum iis quæ de Tursione dicuntur à Plinio contulerimus, maleficam & Delphinis simillimam Phocænam, maleficum & Delphinis simillimum Tursionem, vnum atque eundem piscem esse dicemus. Quarta opinio est Hermolai Barbari, qui per epistolam Paulo Cortesio respondit, Sturionem antiquitus Hyccam fuisse, cuius etiam opinionis in Corollario quod Dioscoridi appendit, non solùm meminit, sed causam quoque reddere videtur, inquiens, [p] *Sunt qui græcè Hiscam siue Hycam, hoc est porculum pro Sturione capiant,* quasi ea coniectura, Hyccã Sturionẽ arbitretur Hermolaus, quòd Hycca porcum significet, Sturio veró, & præcipuè paruus, Porcelletta vulgò tota ferè Italia vt diximus vocetur; Verùm neque huic assentiendum est, nam præterquam quòd solus Athenæus de Hycca meminit, non solùm eam Sturionem esse non innuit, sed nescire etiã videtur quid Hycca sit, cum scribat, [q] *Calimachus, Hyccam sacrum piscem uocauit;* Et paulò post *Zenodotus* inquit, *Cyreneos Hyccam uocare Erythinum; Hermippus uerò Smyrnæus Hyccam nominat Iulidem.* Quintæ opinionis author Iouius extitit, [r] *qui cum præfatione attestatus se tã diu in ea opinione permansurum, donec aliud quod magis arriserit, diligentiores inuenerint, Sturionem antiquorum Silurum esse dixit;* Verùm cum non solùm omnes, qui post Iouium de piscibus locuti sunt, ipsam tanquam omnium falsissimam reiecerint; sed ipse quoque Iouius ab ea defecisse videatur, quippe qui totis triginta annis, quos post sui libri de piscibus editionem vixit, ceu manibus datis, ne vllo quidem modo eam tueri conatus fuerit; si nunc rursus tanquam omnium verissimam, ac ab omni contradictione liberam, eam in veritatis lucem proferemus, tota nobis accepta referenda erit; Quo autem id manifestius efficiamus, contrarias rationes primùm excutiamus oportet, quas sic collegit Manardus; [s] *Primùm Aristotele teste,* [t] *dentes adeo duros habet Silurus, ut morsu hamos frangat.* Nullos autem esse Sturioni dentes, omnes sciunt: [u] Silurus eodem authore damnatur cum fert oua, nos fœminas Sturiones ouis plenas, plus quàm enixas probamus; non vsque adeo tamen vt maribus, quod idem in Siluris facit, preferamus: [x] Silurus canis exortu, quia sublimis innatat, syderatur; Sturiones eo tempore maximè commendamus; [y] Silurus (Plinio teste) omne animal grassando appetit, vt & innatantes equos quandoque demergat, quod facere nullus vnquam Sturiones vidit, ceu segnitiem potius quàm tantam agilitatem preseferentes, alioqui quo pacto magna ani-

Left margin notes: [i] lib.9.cap.9 — [k] hist.lib.8.ca.13 — [l] Athe.lib.7. fol. 155.14. — [m] hist.lib.6.ca.12 — [n] hist.lib.6.ca.12 — [o] hist.lib.8. ca.13 — [p] cap,226.et 233 — [q] lib.7.fo.163.13 — [r] lib.de pisc.ca.4 — [s] lib.9.Epist.3. — [t] hist.lib.9.ca.37 — [u] hist.lib.8.ca.30 — [x] hist.lib. 8.cap. 20. — [y] lib.9. cap. 15.

Right margin notes: Philelphi opinio falsa est. — A — Tertia Sturionis opinio erronea. — B — C — Hermolai opinio non probatur. — D

malia insiliant, quum non nisi minutissimis, & sugendo vesci possint. Mitto longam illá, & quasi singularem ouorum custodiam, de qua [z]Aristoteles, & eum sequutus [a]Plinius; [b]Et quòd fluuiatilis semper ab Aristotele dicitur, neque inter eos pisces connumerentur, qui ex mari ad flumina ascendunt, è quorum numero Sturionem esse certum est; Et quòd præcipue magnitudinis est Silurus, nec minus quindecim talentis aliquando pendet, teste Plinio; Ad quã molem nullus *Sturio protenditur; Vnum est* (subdit Manardus) *quod plurimum apud me potest, quòd scilicet Plinius prope Padum natus, & qui propter Tyberis ripas vixit, Silurum, si esset Sturio, peculiarem Nilo non fecisset, sed Attilo potius Padano sicuti magnitudine, ita natalibus associasset,* Hæ sunt rationes quibus Sturionem Silurum esse non posse, non probari solùm, sed certissimè etiam demonstrari omnes credunt; quas tamen nos facillimè diluemus, si quædam prius parùm huc vsque animaduersa edocebimus. Sciendum itaque primùm Siluri nomen græcum, & non latinum vocabulum esse; Nam præter id

A quòd [c]Dioscorides, [d]Strabo, [e]Galenus, [f]P. Aegineta, [g]Athenæus, [h]Aelianus, [i]ac Eustathius σιλούρου meminerunt, ipse etiam Athenæus atque Eustathius etymologiam edocent, dicẽtes σιλοῦρος, dicitur, ἀπὸ τοῦ σείειν τὴν οὐρὰν συχνά, hoc est *quia crebrò caudã moueat*. Aduertendum prætérea Aristotelem, qui nunquam σιλούρου meminit, γλανίδος mentionem fecisse, cuius Pausanias etiam, Athenæus, atque Aelianus meminerunt; Postremò notandum, quod licet tum σιλοῦρον, tum γλανίδα, fluuiatilem ac magnum piscem scriptores faciant, non propterea vnũ atque eundem piscem esse, vt opinatus est Plinius, [K] *ea quæ ex Aristotele Glanidi debentur; Siluro tribuẽs;* Cuius errorem Theodorus Gaza, ac illi etiam qui nuper Pausaniam latinum reddidere sequuti sunt; Ille enim Aristotelis, hi verò Pausaniæ γλανίδα Silurum interpretati; Quòd γλάνις autẽ & σιλοῦρος non vnus, sed duo pisces sint, ex multis intelligi potest; Et primò ex ipso etiam Plinio, qui licet vbi ea Siluro ascribit, quæ Glanidi ab Aristotele tribuuntur, vnum

B atque eundem piscem faciat, aliísque ita errandi occasionem dederit, alibi tamen [l] *eodem capite, quibus morbis tum Silurus, tum Glanis medeatur,* edocẽs, duos pisces esse arbitrari videtur; Quod rursus manifestissimè demonstrat [m] *In suo piscium catalogo, in quo & Silurum, & Glanidem commemorat,* Id haud facturus, si vnum tantùm piscem arbitratus esset; Verùm cum tanta sit Plinii in hac re inconstantia, vt non minus alteri falsæ opinioni (cuius ipse primus, vti arbitror author extitit) quàm huic veræ nostræ subscribat, Athenæum atque Aelianum de Siluro & de Glanide agentes consulamus; Athenæus itaq; cum inquiat, [n] *Qui verò in Nilo sunt Lati magnitudine excellunt vltra ducentas libras. Est autem hic piscis candidissimus, & suauissimus omnibus modis conditus, similis Glanidi, qui reperitur in Istro,* Deinceps verò quatuor aut quinque interiectis lineis sic subdat, [o] *In Nilo sũt Torpedo, Porcus, Simus, Phagrus, Oxirinchus, Allabes, Silurus, Synodontis, Eleotris, Anguilla, Thrissa, Abramis, Typhle, Lepidotus, Physa, Mugil, aliique plurimi;* manifestè Silurum & Glanidẽ, duos pisces esse indicat, Nam Latũ


C Nili piscem Glanidi assimilaturus, frustrà ad Glanidem Istri confugisset, si in ipso etiam Nilo reperiretur Glanis, vti reperiretur certè, si Silurus (quem ipsemet niliacis piscibus annumerat) Glanis esset; Præterea si duo non essent pisces, iurè culpandus esset Athenæus, vt qui non solùm eadem pagina, sed eisdem ferè lineis ineptè vsus esset synonimis nominibus, eundem piscem Glanidem primùm, paulò verò post Silurum appellans; Aelianus autem non solùm idem demonstrat, cum vtriq; proprium caput fecerit, sed scribens etiam [p] *Glanis piscis accola Mæandri & Lyci Asianorum fluminum, & Europei Strymonis, speciem Siluri similitudinemque gerit;* omnem adeo scrupulum euellit, vt non nisi imprudenter admodum id negari possit amplius. Nec est vt quispiam obiiciat, similes saltem existimari ab Aeliano, quando haud id nostra intersit, quippe qui eos duos pisces esse (vt manifestissimè Aelianus testatur) cõprobare contendimus, num magis minúsue similes sint (vt quod rationem nostram non

D interturbet) nunc negligentes; Quam tamen similitudinem (quippe cuius solus Aelianus meminit) paulò post excutiemus; Nunc verò alia etiã ratione; Silurum alium piscem esse à Glanide declaremus;

Candide lector cum piscium nostrorum formas, priusquàm eorũdem historias cudere cogeremur, hæc duo folia Sturionis historiæ dereliquimus, his eam contineri posse arbitrati. Nunc verò cum ipsa (uti uides) adeo excreuerit, ut iis uniuersa comprehendi nequeat, quod eius reliquum est, post nonagesimã tertiam ac ultimam huius nostri primi libri historiam imprimere coacti fuimus, eò igitur confugiendum esse, æquo animo feras obsecro.

Plinij lapsus. Theodori, & interpretum Pausaniæ error.

[z] hist. lib. 6. ca. 14
[a] lib. 9. cap. 37.
[a] lib. 9. cap. 51.
[b] hist. lib. 8. cap. 20.
[c] lib. 2. cap. 26.
[d] lib. 17. fol. 780.
[e] clas. 5. fol. 82. A 86. H
[f] lib. 7
[g] lib. 7. fol. 144. 17.
[h] lib. 11. cap. 45.
[i] fol. 989. 11.
[K] li. 9. cap. 16. & cap. 51.
[l] lib. 31. cap. 10.
[m] lib. 3. cap. 11.
[n] lib. 7. fol. 155. 42.
[o] li. 7. fo. 155. 48.
[p] lib. 11. cap. 45.


.N. G. σκίαινα.
L. Vmbra.
V. Ombrina.
.P.33.

HISTORIA TRIGESIMA PRIMA
DE VMBRINA
NOMEN.



ISCIS hic noster trigesimus tertius, quem Romæ *Ombrina*, & Parisini *Maigre* vocant, græcè [a] Σκίαινα, à Numenio σκιαδεὺς, ab Epicharmo σκιαθὶς, ac [b] (Galeno authore) σκινίδας etiam appellatur; latinè verò ab Ennio, à Columella, ab Ouidio, ab Ausonio, ab Isidoro, atque à Theodoro, græcam significationem æmulatis, *Vmbra*, à Plinioque græcum vocabulum mutuato, *Sciæna* dicitur. Estque hic aduertendum, *Sciænam* atque *Sciadeum* (& si vtriusque ceu diuersorum in [c] suo A piscium catalogo meminerit Plinius) vnum atque eundem piscem esse; quippe qui (vt diximus) σκίαινα ab aliis, σκιαδεὺς verò à Numenio nominetur; Notandum præterea in Oppiano præter σκίαιναν, σύαιναν etiam haberi, nec mēdum suspicandum est, [d] *cum illam nuda saxa; hanc verò saxa herbosa colere*, eisdem versibus asseueret; Quamobrem Syænam Oppiani, cuius solus ipse (quod quidem sciam) præcitato loco meminit, diuersam esse à Sciæna, certissimū est. Et vt M. Varro testatur, [e] *piscis iste à colore umbra dicitur*, propterea quòd Ouidio authore, [f] *liuentis sit corporis*, vel quia celeri suo natatu oculos effugiens, Vmbra piscis potius quàm verus piscis intuentibus appareat, vt innuere videtur Ausonius inquiens;

Plinius notatur.

[a] *Ath, lib. 7. fol. 161 6.*
[b] *clas. 2. fol. 29. H*
[c] *lib. 32. cap. 11*
[d] *lib. 1. fol. 108. 52. & 56.*
[e] *lib. 4. de lingua latina.*
[f] *in frag. fo. 37. 4*

[g] *Effugiens oculos celeri leuis umbra natatu.*

[g] *In Mosella.*

Hunc autem piscem nostrum antiquorum Sciænam, & vmbram esse, præter id quod ex B vulgari Romanorum nomenclatura, latinum nomen prorsus æmulante, clarè satis intelligitur; ex eo etiam manifestè persuaderi potest, quod nihil Vmbræ à veteribus tribuitur, quod huic nostro non respondeat, vt sequenti descriptione monstrabimus.

DESCRIPTIO.

Vmbrina rostrum habet incuruum & retusum potius quàm extentum & acuminatum; Os mediocre & denticulatum; Caput satis magnum; In dorso duas gerit pinnas, priorem octonis aculeis, alteram nullis, munitam; Ad branchias etiam (quas vtrinque quaternas habet) vna vtrinque enascitur pinna, duæque aliæ in ventre conspiciuntur; & postremò imo quoque ventri ab ano, vna alia hæret; Cauda lata est, & non falcata; Squamis latioribus & obliquis tegitur; Totius piscis figura paulò lõgior est, quàm lata sit, aut crassa; Ven C triculum magnum habet, & carnosum; Intestina mediocria & pinguia; Iecur pallidum, ex quo fellis vesica pendet; Lienem subatrum; Et vt [h] Aristoteles, atque [i] Plinius testantur, *lapides in capite gerit*; Dum parua est, argentea ferè tota apparet; Maior facta, ventre argenteo; dorso verò, & lateribus subliuentibus, ac veluti opacis conspicitur; Ad multam molem excrescit, sexaginta enim libras crebrò excedit.

[h] *hist. lib. 8. ca. 19*
[i] *lib. 9. cap. 16.*

LOCVS.

Marinus piscis est Vmbra, [k] *arenosos gurgites*, teste Columella, Vel loca saxosa ac herbis virentia incolens, vt author est Oppianus his versibus,

[k] *lib. 8. cap. 16*

[l] *Sunt udæ cautes herbis à fronte uirentes.*
Hic domus est Sargis, hæc statio læta Sciænis

[l] *lib. 1. fol. 108. 55*

Ad flumina autem adnatare haud solet; Vnde cum Ausonius fluuiatilibus suæ Mosellæ pi D scibus Vmbram adnumeret, inquiēs, vt supra citauimus, [m] *Effugiens oculos celeri leuis umbra natatu*; marinam Vmbram subire aliquando solere Mosellam, arbitratum ipsum credimus; potius quàm aliquem fluuiatilium piscium, Vmbræ nomine ab eo celebrari; Etsi nos nõ lateat, in Lemano lacu, piscem truttacei generis reperiri, qui vulgò *une Vmble* vocetur; Ipsum nanque Ausonii Vmbram statui non posse; in eius historia, quam in secundo libro trademus explicabitur.

[m] *In Mosella.*

NATVRA ET MORES.

Carniuorus piscis est Vmbra, solíuagus potius quàm gregalis; perrarò enim plures vnà capiuntur; [n] Aristotelé que & [o] Plinio authoribus, *prægelidam hyemem sentit, nam cum lapidem in capite habeat, facit lapidis rigor ut per algorem geletur & excidat*; Cum metuit, capite & oculis absconditis, se totam abscondi putat, vt Oppianus tradidit scribens,


[n] *hist. lib. 8. ca. 19*
[o] *lib. 9. cap. 16.*

p lib. 4. f. 152. 59 pAspera sed postquam pauido sub corde Scięna
Horrorem sentit, subit in spelęa recurua;
Vel quęrit lustrũ, vel molles currit ad herbas
Ponti, vel viles lymphę se claudit in algas;
Contemnit totum latebris abscõdere corpus,
Et caput atq; oculos aliquo sub tegmĩe claudẽs
Quàm stultè credit sic cętera membsa latere;
Non aliter sylua in densa caput occulit ater
Bubalus immanem cernens à fronte leonem,
Quadrupedi insipido demẽs custodia curę;
Nam capite occulto sperat non posse videri,
A diro donec lanietur dente leonis;
Et pecus alatum Libyę quod colla repanda
In longum porrecta mouet, sub pectore vanos
Astus molitur, vanáque eluditur arte;
Sic spe frustratur piscis, nam raptor ab alto
Emergit, piscémque cauis ex ęquore palmis
Attrahit, & cunctis fraudes ostentat inanes:

VT SAPIAT, VT NVTRIAT, ET VT CONDIATVR.


Vmbram à veteribus nobilem habitum fuisse piscem, corũdem intelligi potest testimo
q In Apolog. nio; *Ennius nãque* (vt ex q Apuleio habemus) *nobiliores pisces connumerans inquit, Melanurum, Turdum, Meru-*
r lib. 7. fol. 161. 6 *lamque, Vmbramque marinam;* Et apud Athenæum r *Epicharmus in nuptijs Hebes, Aeoliæ, Flutæque, & Cynoglossi,* A
s lib. 7. fol. 161. 8 *marinæ Vmbræ, inquit;* Numenius verò apud eundem, s *Quo cupidus uesci expeteres, uel magno Synodonte,*
uel urinatore Hippuro, uel Phagro cristato, uel capto Sciadeo, dixit; Vnde nostris quoque temporibus vbi-
que ferè multi æstimatur; Romæ verò (dempto Sturione) piscium omnium communi ferè
consensu sapidissimus atque nobilissimus censetur; Et licet omni anni tempore, quo capi
solet, suauis sit, canicularibus tamen diebus, vti pinguior capitur, ita suauior degustatur;
Et quanuis qualibet sui parte celebris sit, abdomine tamen & capite maximè commen-
datur. Vmbrinarum autem atque Sturionum (vbi ad cubitalem molem excreuerint, nam
in minoribus id non obseruatur) capita triumviris, rei Romanæ Conseruatoribus tributi
t lib. de piscibus cap. 5. nomine dantur; Vnde ridiculã historiã sic narrat Iouius; t *Extat adhuc in ore quorundam facetorum ri*
dicula fabula de T. Tamisio, qui Romanis aulicisque salibus erat insignis, sed gulę adeo prostitu- B
tę, vt infamis haberetur; Is cum per seruum, qui in foro piscario in eam curam intentus excuba
re solebat, ingentis Vmbrinę caput Triumuiris delatum esse cagnouisset, in Capitolium proti-
nus ascẽdit, vt simulato apud magistratum negotio, sermonéque de industria protracto, prandiũ
captaret; Verùm illud Triumuiri iam Riario Cardinali donandum decreuerant, ita Tamisius cũ
limine curię, ingenti coronatáque patina caput illud nobile perspexisset, primo deceptus consi
lio, illud subsequutus est, pręmisso seruo, qui vestigiis deferẽtiũ ministrorum insisteret; Nec mul
tò post quum Riarianis ędibus inferretur, bene habet, salua res est, inquit Tamisius, opiparè ex-
cipiemur; erat enim in primis mensę Riarianę, quę lõgè omnium sẽper lautissima fuit, familiaris;
Riarius vt erat natura munificus, maximum inquit hoc Triumuirale caput, maximo debetur Car
dinali, statímque Federico Sanseuerino proceritatis admirandę Cardinali transmittitur; colli-
git ex templo togam Tamisius, Riarium intempestiuę munificentię incusans, in mulámque resi-
lit, & munus ad Sanseuerinianam domum consequitur; Idem pari liberalitate facit Federicus, ca C
putque ipsum splendidis exornatum verbis, aurataque illatum patina Chisio publicano ditissimo
deferri iubet, quod ei multo ęre alieno, grauibúsque vsuris obstrictus erat; Volitat tertia iam spe
auidam frustratus gulã ęstuans Tamisius, festinabundúsque incalescente iam die in transtyberi
nos hortos, quos ipse Chisius magnificentissimè extruebat, contendit; Ibíque fessus admodum &
multo sudore madidus, quod grauis erat abdominis, quarto à fortuna decipitur, quippe qui Chi
sium caput illud recentibus floribus redimitum adamato scorto, cui ab forma, eruditísque ille-
cebris Imperię cognomen fuit, ut extemplo deferretur curantem reperit; Flectit itaque in
dignabundus habenas retrò, nec tamen subiratus gulę, quę herculeos labores attulerat, & ad
Imperiam iam multo sole Sistini pontis semitam exurente, adequitat; Ad extremum anhelantis D
gulę ea vis atque libido fuit, vt qui per totam vrbem fuerat raptatus, idem & togatus, & senex
u class. 2. fol. 29. E. H *cum scorto, admirante noui hominis aduentum, nullo pudore discubuerit;* Galeno teste, u *Vmbræ caro haud quaquam du*
ra est; unde iurè à Philotimo inter pisces mollis carnis recensetur, & si non perinde mollem carnam habeat Vmbra ut saxa
tiles, sed paulò duriorem; Satis boni succi est, non admodum excrementitia, mediocriter nutrit,
& haud difficulter concoquitur; Quouis modo condiatur, suauis est; Elixa tamen ac cum
leucophago comesta, aut transfixa caryophyllis ac verubus assata, frequente olei & om
phacii conspersione, dum assatur irrigata, suauior gratiosiórque multò redditur; Et vt te
x lib. 32. cap. 9 statum reliquit Plinius, x *Sciænæ interanea & squamæ combustæ Panos discutiunt.*

P 7 4



N. G. Κορακῖνος. L. Coracinus. V. Coruo.

p 35



N. { G.
L.
V. coruo de fortiera.

HISTORIA TRIGESIMA SECVNDA DE CORACINO

NOMEN.



IC piſcis noſter trigeſimus quartus, qui Romæ *Coruo* &*Coruetto*, &
à Græcis noſtri temporis, *Millocopi* appellatur, græcè κορακῖνος dici-
tur, teſtatúrque Athenæus [a] Coracinum vocari, διὰ τὸ διηνεκῶς τὰς   [a] *lib.7.fol.144.*
κόρας κινεῖν, καὶ οὐδέποτε παύεσθαι, id eſt, *propterea quòd aſſiduè pupillas moueat,*   *16.154.26.*
& nũquam deſinat; Oppianus verò inquiens, [b] καὶ κορακῖνον ἐπώνυμον αἴθο-   [b] *lib.1.fol.6. 19.*
πι χροιῇ, id eſt, vt vertit Lippius, *Et nigro cui nomina dicta colore, Coracinus*;   *græcè*
à nigro colore Coracinum dici arbitratur; cui aſſentiendum po-
Athenæi o- tius quàm Athenæo cenſemus; Nam ſicuti vix credibile videtur, vt quiſpiam obſeruare
pinio nõ potuerit, Coracinum crebrò adeo pupillas mouere, vt inde nomen duxerit; ſic Coracinũ
probatur à Corax adiectiuum eſſe (vt omnia ferè tum latina tum græca lexica teſtantur) nemo non
A intelligit; Vnde cum κόραξ auis ſit, quam Coruum dicimus, Coracinus ſiue ſimpliciter cor
uinum, ſiue nigrum colorem ſignificet ([c] Vitruuio nanque authore *niger color coracinus voca-*   [c] *lib.8. cap. 3*
tur) nigredinem, cuius piſcis iſte particeps eſt, repræſentabit; Vocatur etiam [d] *à Pherecrate*   [d] *lib.7.f.154.23*
apud Athenæum diminutiuo nomine κορακινίδιον; Præterea apud eundem [e] *Dorione in libro de piſcibus*, & [f] *Eu-*   [e] *lib.3.fol. 59.45*
demo in libro de ſalſamentis, authoribus, Coracinus à nonnullis Σαπέρδης *quoque appellatur*; Verùm cum Ariſto-   [f] *lib.7.fo.154.19*
teles dicat, [g] *Coracinus* (ſiue vt interpretatur Theodorus, *Coruulus*) *cum utero fert, optimus eſt*; Et eo-   [g] *Hiſt. li.8.ca.30*
dem capite pauciſſimis interiectis lineis ſubdat, *Fluuiatiles ac lacuſtres piſces, optimi ſunt poſt partum,*
& ſeminis genitalis emiſſionem, ſed nonnulli etiam cum ferunt, commendantur, ut Saperdis; Saperdem diuerſum à
Coracino piſcem feciſſe, contra aliorum opinionem, videtur; niſi cum Coracinus tum ma
rinus, tum fluuiatilis ſit (vt infra loco ſuo mõſtrabimus) marinum, ſimpliciter Coracinum,
B fluuiatilem verò, Saperdem Ariſtotelem vocaſſe credamus; Latinè græca ſeruata nomen
clatura, *coracinus* etiam dicitur, præter quàm à Theodoro, quippe qui in Ariſtotele Κορακῖνον
Theodorus modo *Coruulum*, modo *Graculum* conuertit; Sed cum κορακῖνος à corace adiectiuum ſit nomen,
notatur, & non diminutiuum, Coruinum potius quàm Coruulum, vertendum erat, & præſertim vt
cum magis à Coruo piſce diſtingueret, Cuius ceu à Coracino diuerſi (vt in hiſtoria etiam   [h] *lib.32. cap.11.*
ſexageſima ſexta dicemus) Et [h] Plinius, & [i] Athenæus meminerunt. Eſtque hic admonen-   *utriuſque men-*
dum (ne nominum decipiamur ſimilitudine) non ſolùm (vt diximus) in Athenæo χόρακα pi-   *tionem faciens.*
ſcem alium à Coracino haberi; Sed [k] apud eundem, χόρακον etiam ab eorum vtroque di-   [i] *lib.8.f.177.29*
uerſum, ac cruſtati generis reperiri; Quòd noſter autem trigeſimus quartus piſcis, anti-   *& 33. utrius-*
quorum Coracinus ſit, tum ex vulgari nomenclatura (Romæ enim vt dictum eſt, ac in ple   *que meminit.*
C ríſque aliis Italiæ locis *peſce coruo* vocatur) coniici poteſt, tum ex eis quæ Coracino ex vete   [k] *lib.3.fo.53. 21.*
ribus debentur, quippe quæ (vt procedente hiſtoria declarabimus) ei egregiè re-
ſpondeant.

DESCRIPTIO.

Coracinus roſtrum breue habet, & retuſum; Os (quod ad ventrem vergit) mediocre &
edentulum, Labrum vtrunque quibuſdam conſpicuis foraminibus inſignitum, ex quorum
inferiori carnea quædam appendix breuis, ſed craſſa & rotunda pendet; Oculos magnos
& rotundos, & ante eos auditui & olfactui inſeruientes meatus admodum patulos, Bran-
chias vtrinque quaternas; In dorſo duæ ſunt pinnæ, & duæ ad branchias, vtrinque ſcilicet
vna; & rurſus binæ aliæ in ventre, vna etiam vtrinque; & poſtremò vna alia valido inni-
xa aculeo, ab ano imo ventri ſubnectitur; Cauda lata eſt, & non lunata; In capite binos la
D pides gerit; Ventriculus magnus eſt, Appendices eius octonæ; Inteſtina mediocria, multa
pinguedine obducta, ac pleriſque gyris conuoluta; Hepar pallidum, in duas diuiſum fi-
bras, è quarum dextra, exigua fellis veſicula longiori & tenui meatu appẽſa eſt. Squamis
tegitur latiuſculis; Ventre eſt argenteo; Dorſum & latera depicta ſunt latioribus lineis, o-
bliquis & vndantibus, flauis quibuſdam, liuentibus verò aliis, à dorſo per latera caput ver
ſus ita alternis deductis, vt ſicuti quamlibet flaueſcentium, ſtatim liuentium vna ſequitur;
ſic hæ, illarum Vmbræ eſſe videntur. Extrma operculorum branchiarum pars valde ni-
gricat; atque pinnæ quoque, & maximè quæ ad branchias, quæque in ventre ſunt, nigræ
conſpiciuntur; Vnde vti ob id, iurè apud Athenæum [l] *Ariſtophanes* vocauit μελανοπτέρυγον κορακῖ-   [l] *lib.7.fol.154*
νον, id eſt, *nigras habentem alas Coracinum*, Sic ob pinnarum, branchiarum operculi, atque liuen-   *22.*
tium linearum nigredinem, meritò Oppianus (vt citauimus) nigrum eum cognominauit;

[m] lib.7.fol.141. 48.fol.154.18 Nec etiam ab re apud eundem Athenæum [m] *Epicharmus* dixit, *κορακίνους χηριοειδέας*, id est *Coracinos cerei coloris*; cum flauescentibus illis lineis, verè cereum colorem repræsentent; Postremò cum totus piscis variis adeo depictus sit coloribus, haud immeritò apud eundẽ etiã
[n] lib,7.fo.154.16 Athenæũ, [n] Numenius *Coracinum αἰολίω*, hoc est, *uarium* vocauit. Coracini dorsũ repandũ est, quapropter totius piscis figura lõgitudinis ratione satis lata redditur; Vnde forsan apud Athen. locus corrigitur.
[o] lib.7.f.154.21 Athenæum, [o] *Parmeno Rhodius Coracinum πλατισατικὸν* (vel vt corrigendum credimus *πλατίσακον*)
[p] lib.7.f.154.27 appellari testatur; [p] *Alexandrini uerò eum πλάτακα ἀπὸ τοῦ περιέχοντος*, vocãt, [q] *Et Nili accolæ πλάτω*
[q] lib.3.fol.61.15. *fluuiatilẽ Coracinũ nominãt*; hæ.n. nomẽclaturæ à latitudine deduci posse videtur. Athenæo autẽ Speusippi opinio suspecta.
[r] lib.7.fo.154.15 authore, [r] *Speusippus Coracinum & Melanurum similes facit*; Verũ (vt in sexagesima etiã dicitur historia) haud multa est inter hos pisces similitudo, vnde aut suspecta censeri debet Speusippi sentẽtia, aut de solo colore (vt arbitror) intelligẽda, eo quòd vti Aristophanes ob nigras A
[s] lib.7.fo.156.33 alas *μελανοπτέρυγον* Coracinũ, ita Melanurũ ob nigras lineas, latera eius pĩgẽtes [s] Athenæus *μελανόγραμμον* vocat; Præterea sicuti Coracinũ ob varias suas lineas *αἰολίω* vocauit Nume-
[t] lib.7.fol.156.33 nius, sic [t] apud Athenæum *Melanurus πολύγραμμος*, id est, *multarũ linearũ* dicitur; Postremò vt Oppianus Coracinum à nigro colore cognominauit, sic ob nigram caudã *μελάνουρος* dicitur.
[u] hist.lib.5.ca.10 Coracinus, & si ex minorum piscium numero, censeatur ab Aristotele, dicente, [u] *Sed præcipuè Graculus inter minora*, aliquando tamen ad viginti libras excrescit.

CORACINORVM GENERA, ET LOCVS.

[x] lib.7.fo.155.45 Plura esse Coracinorum genera Athenæus testatur inquiens, [x] *Gignit autem Nilus, & complura alia piscium genera, eaque omnium suauissima, & maximè Coracinorum, multa enim & horum genera sunt*; Sed cum quæ hæc Coracinorũ genera sint, nemo explicauerit, nitemur nos ea declarare; Cum igi- B
[y] lib.32.cap.11. tur authore Plinio, [y] *Amni & mari communes sint Coracini*, cúmque aliquod pisciũ genus duobus modis (vt latius in historia octogesima quarta explicauimus) mari & amni cõmune esse soleat; Coracini non quia aliquo anni tempore mare, alio verò flumina incolãt, sed quia eorum nonnulli prorsus marini, alii verò prorsus fluuiatiles sunt, mari & amni communes esse dicuntur. Fluuiatiles autẽ Coracinos ex mare ad flumina non adnatare, sed ibidẽ exoriri, ac eorum peculiarẽ quãdã esse speciẽ; ex niliacis Coracinis clarè intelligi potest; nã cũ Strabonis, Martialis, Plinii, Diphili, ac aliorũ authorũ testimonio, in Nilo Coracini reperiantur; Aristobuli verò authoritate testetur Strabo, nullũ piscẽ ex mari in Nilũ ascẽdere præter Mugilẽ, Alosam, & Delphinũ propter Crocodilos; niliacos coracinos à marinis
[z] lib.17.fo.780 specie disiungi, fateri oportet; Quod nõ solũ Strabo innuere videtur, inquiens, [z] *Pisces in Nilo permulti sunt ac diuersi, qui propriam quandam, & suã formã habẽt, sed maximè noti sunt Oxy-* C
[a] lib.32.cap.5 *rinchus, & Lepidotus, & Lates, & Alabes, & Coracinus*. sed Plinius etiam scribens, [a] *Coracini pisces Nilo quidẽ peculiares sunt*; Quibus verbis in solo Nilo reperiri Coracinos, haud intellexisse credẽdus est, cũ præter alios scriptores, qui Coracinos marinos esse testantur, ipse quoque mari & amni (vt diximus) cõmunes eos fecerit, sed Niliacos Nilo peculiares esse, quippe qui à marinis distinguãtur; Vnde hæc erit prima Coracinorũ differentia, vt aliqui marini, aliqui ve-
[b] li.8.f.177.29 rò fluuiatiles sint; Et cũ Diphilus scribat apud Athenæũ, [b] *Coracinus autẽ Nili minor* (vel peior) *niger albo*, Niliacos Coracinos in albos & nigros diuidit, quod non solũ in Niliacis, sed in ma-
[c] hist.lib.6.ca.17 rinis etiã verũ esse, sequens declarabit historia. [c] *Degunt autem Coracini* (vt testis est Aristoteles)
[d] lib.1.f.108.58 *saxosis locis*; quod [d] Oppianus etiã cõprobat; Reperiũtur prætereа authore Plinio, [e] *In lacu non* D
[e] lib.5.cap.9 *procul oceano in mõte inferioris Mauritaniæ stagnãte, quẽ Nilidem uocant, ac Nili ortum credunt*; Vt verò Athenæus
[f] lib.3.fol.59.45 refert, [f] *Dorionis testimonio in Mæotide etiam palude degunt*.

PARTVS.

[g] hist,li.6.cap.17 Coracinus vt prodidit Aristoteles, [g] *fert uterum longo temporis spatio, paritque Autumno post mullum*; Et
[h] hist.lib.5.ca.10 lib.6.cap.17 vt paulò post subdit *nõnusquam messe tritici*; Et eodem authore, [h] *Solet hic parere iuxta litora algosis densisque locis, & cum pisces omnes celeri incremento perficiantur, præcipuè Coracino inter minora id accidit*.

NATVRA ET MORES.

[i] hist.lib.9.cap.2
[k] lib.7.f.163.52 Aristotele teste, [i] *gregalis piscis est Coracinus*; Et vt eiusdem testimonio asseuerat [k] Athenæus,
[l] hist.lib.8.cap.15 *haud uagabundus est*; [l] Aristotele autem atque [m] Plinio authoribus, *Cum piscium plures per hyemem la-*
[m] lib.9,cap.16. *teant, id maximè Hippurus & Coracinus faciunt, hyeme non capti præterquam statis diebus paucis, & iisdem semper*. Quã-
[n] hist.lib.8.ca.19. obrem [n] *Prodest Coracinis fermè præ cæteris piscibus annus squalens; quod his quoque commodior est, quia per siccitatẽ po-*
[o] oppi.lib.3.fol. 135.5.& 42 *tius tepor accidit*; Est Coracynus [o] *pro esca capiendis Thynnis, & Anthiis*.

Teſte Amphi apud Athenæum, [p] *Qui præſente Glauco Coracinum edit, haud ſanæ mentis eſt*; Et au- [p] lib.7.f.154.24
thore apud eundem Hiceſio, [q] *Coracini marini haud multum nutriunt, excretu faciles ſunt, & ſucci bonitate me-* [q] lib.7.f.154.12
diocres; Vt verò idem Athenæus prodidit, [r] *Niliaci Coracini dulces ſunt, ſuaues, & bonæ carnis; ut norũt, qui* [r] lib.7.fo 154.25
experti ſunt; Et alibi, [s] *Niliacus Coracinus, quem Alexandriæ incolæ peculiari nomine Heminirum uocant, pinguis eſt,* [s] lib.3.fol. 61.14
non mali ſucci, carnoſus, multum nutrit, facilè concoquitur & diſtribuitur, atque Myllo omnino melior; Vnde & Diphi
lus apud eũdem ait, [t] *Niliacum Coracinum ſtomacho gratum, & aluo facilẽ eſſe*; Et Martialis ſcribit, [t] lib.8.fo.177.30

[u] *Princeps Niliacis raperis Coracine macellis* [u] lib.13.85
Pellææ prior eſt gloria nulla gulæ.

Plinius etiã teſtatur [x] *principatũ obtinere Coracinũ in Aegypto*; [y] *Doriõ Coracinũ paludis Mæotidis celebrat*; Et Ari [x] lib.9. cap. 18
A ſtoteles [z] *Coracinum dum utero fert, laudat*. Grandiorem ſimplici in aqua elixum, vrentibúſque pe [y] Athen.lib. 3.fo. 59. 25
troſelini foliis coronatum, comedimus; Minorem verò torremus: Quare & Diphilus apud
Athenæum, [a] *Niliacum* (vt puta teneriorem) *aſſum elixo meliorem facit*. Cum præterea æſtate multò [z] Hiſt.li.8.ca.30
frequentius capiantur; ferventi oleo ad mediam coctur ã mergere, & extractos protinus [a] li.8.fo.177.29
ſale acetoque conditos, in vaſculis deinceps, myrti foliis certo ordine ſubſtratis, reponere
ſolemus; Qua induſtria aduerſus omnem caloris cõtumeliam per hebdomadas aſſeruan-
tur. Ab antiquioribus ſaliti etiam ſeruabantur, vt author eſt Galenus, inquiens, [b] *Poſt Sardas* [b] clas.2.fol.30.C
autem ac Pelamides, Mylli qui ex ponto adferuntur, præcipuè commendantur; poſt hos ſunt Coracini; Nec Galenus fol.31.H
Coracinum marinum Myllo inferiorem faciens, Athenæo aduerſatur; qui (vt diximus) Ni
liacũ Coracinũ omnino Myllo præfert, Eundẽ præterea ſaliri conſueuiſſe cõprobat & Pli
B nius dicens, [c] *Carbunculos coracinorum ſalſamẽta illita diſcutiunt*, & codẽauthore [d] *Carnes eorum aduerſus ſcor* [c] lib,32. cap. 10
piones ualent impoſitæ. Et [e] *Coracini fel excitat uiſum*. [d] lib.32.cap.5. [e] lib.32.cap.7.


HISTORIA TRIGESIMA TERTIA
DE CORACINO NIGRO
NOMEN.

C Qvemadmodum à [a] *Diphilo* apud Athenæũ *Neliaci Coracini* (vt ſuperiore diximus hiſtoria) *in albos & nigros diuiduntur*; ſic etiam marinorum, nonnullos albos, alios verò nigros eſſe aſſeueramus; Et ſi id veterum nemo (quod ſciam) notauerit vnquã; Nam cũ, vti trigeſimus quartus piſcis (de quo in præcedẽte egimus hiſtoria) ita trigeſimus quintus (de quo nunc pertractamus) in Coracinorum genere ſtatui debeat (non ſolùm propterea quod, vt ille Romæ vulgò *Coruo & Coruetto*, ita hic *Coruo di fortiera* voccetur; ſed etiã quia corporis forma adeo, vt infra mõſtrabimus, cõueniant, vt ambos eiuſdem generis eſſe, nemo nõ intelligat) ſic ille (quippe qui multò minus nigricet) albus; hic verò (vt qui nigrior appareat) niger iurè cenſendus eſt. [a] lib.8.fol.177.29.


DESCRIPTIO.

D Et ſi roſtro, ore, capite, oculis, pinnis, cauda, totius corporis figura, atque interaneis omnibus, hic noſter trigeſimus quintus piſcis cum trigeſimo quarto conueniat adeo, vt eiuſdem generis eſſe inficiari non poſſit; quibuſdam tamen notis ita diſcrepant, vt eiuſdẽ generis diuerſas eſſe differentias manifeſtiſſimè conſtet; Cum ille enim (vt ſuperiore diximus hiſtoria) cereus atque varius ſit, hic totus ferè nigricat; Aculeus, cui ani pinna hæret, maior atque validior multò in hoc, quàm in illo conſpicitur; Multò etiam minus hic excreſcit; pedalem enim magnitudinem nunquam ſuperaſſe vidimus; Saporis etiam ſuauitate, atque carnis teneritudine illo inferior eſt; Reliqua verò omnia vtriſque ſunt communia.

.P. 36.



N. { G. σάλπη. L. Salpa. V. Salpa.



HISTORIA TRIGESIMA QVARTA DE SALPA

NOMEN



HIC noster trigesimus sextus piscis, Romæ & vbique ferè gentium
vulgò *Salpa*, Græcè σάλπη, & σάλπης, Latinè verò (græco vocabulo
seruato) Salpa vocatur; appellatúrque etiam græcè *βοῦς*, id est bos
vt Pancrates in tractatione rerum maritimarum testatur inquiens
[a] σάλπαι τ' ἰσομήκεις ἰχθῦς ἅς τε βόας πόρκηες ἁλίζωνοι καλέουσιν. οὕνεκα γαστέρι φῦκος, ἀεὶ ἀλέγουσιν ὀδοῦσιν. hoc est *Salpæ lõgitudine pares, quas boues, piscatores*
Halizoni uocant, quoniam in uentre algam semper congregant dentibus; Et licet non in A
epte ob dictam rationem Salpam bouem uocent, aduertendum tamen est, alium piscem
cartilagineum atque planum, à Salpáque longè diuersum, à scriptoribus ferè omnibus,
qui de piscibus pertractant, Bouem vocari; Hunc autẽ piscẽ nostrũ antiquorum Salpã esse
tum vulgaris eius nomenclatura, tum ea omnia, quæ de Salpa à veteribus scribũtur, quippe
quæ ei egregiè respondent, manifestè adeo declarant, vt in dubium verti non possit;

[a] Athen lib. 7. fo. 160. 34.

DESCRIPTIO

Paruum & rotundum caput habet Salpa; rostrum acutum; Os exiguum; [b] *serratisque dentibus* (vt notauit Athenæus) *munitum*; Oculi aurei conspiciuntur; Dorsi pinna vnica est longiuscula
ac duodecim aculeis horrida; Quæ verò ab ano imo ventri subest, ad caudam usque
deducitur, duobúsque validis armatur aculeis; alias duas, quæ vtrinque exoriuntur, aliis
plerísque piscibus consimiles gerit; Cauda in lunatam pinnam desinit; Squamis tegitur; B
Ventre & lateribus candida est; Dorso ex cineraceo nigricat; à Capitéque in caudam per
argentea latera nouem vtrinque aureis rubentibusque lineis, certis distinctis interuallis,
egregiè depingitur; Vnde ab Oppiano [c] αἰολόνωτος; hoc est *tergore uarius*; quod vertit Lippius,
Salpæ uarijs distincti tergora signis, & ab Athenæo [d] πολύγραμμος, id est *multarum linearum*; &. ἐρυθρόγραμμος
hoc est *rubearum linearum* dicitur; Et paulò infra [e] is eundem, ποικίλον id est *uarium piscem*,
uocat; *Mnaseámque Colophonium, propterea quòd uarium poema edidisset, Salpam cognominatum fuisse testatur*;
Peritonæo nigerrimo interanea intercluduntur; Ventriculus oblongus est, & latus; Hepar
magnum subrubrum in tres diuisum fibras, cui fellis vesica hæret; Splenem habet subnigrum,
vuluamque longam bifidam ouis innumeris refertam. Quæ capiuntur vti bilibrẽ
mensuram nunquam superant, sic semper ad libram saltem auctæ apparent; Ita vt in nullo
alio piscium genere æquè atque in Salpis, eadem ferè semper seruari magnitudo videatur; C
Vnde forsan à Pancrate; [f] σάλπαι τ' ἰσομήκεις (vt supra etiam citauimus) dicuntur, hoc
est, *Salpæ longitudine pares.*

[b] li. 7. fo. 160. 32.
[c] li. 1. fo. 108. 49.
[d] lib. 7. fol. 152. 42. & 160. 31.
[e] fol. 160. 39.
[f] athe. lib. 7. fol. 160. 34.

LOCVS ET PARTVS.

Marinus piscis est Salpa, nusquam in dulci aqua conspectus; [g] *Inter maris pisces qui herbosa laxantur arena connumeratus* ab Ouidio; Oppianus verò sic de sede eius cecinit.

In vastum pontum, scopulos quos abluit vnda
Alga conspersos, & multo murice tectos
Salpę habitant variis distincti tergora signis.

Aristoteles [i] *non solùm in mari, sed in maritimis etiam lacubus eas gigni* scribit, [K] *Semel* (eodẽ authore) *parit &*
autumno, quod [l] Plinius etiam [m] atque Athenæus fatentur; [n] *Pisces enim plurima sui parte* (vt Aristo- D
teles inquit) *mensibus his tribus Martio, Aprili, & Maio, pariunt; Autumno pauci, ut Salpa & Sargus*; Nec vbique
tamen autumno parit; Nam vt idem testatur; [o] *Salpa æstatis initio locis plurimis, nonnusquam & autumno parit*.
Vt veró Ouidius loco supra citato, pisces qui herbosa arena laxantur, dinumerans his versibus;

[p] Atque immunda Chromis, merito uilissima Salpa.
Atque auium dulces nidos imitata sub undis.

Testari videtur, Salpa in aquis auium more, nido constructo parturit; Sed cum Plinius lo-

[g] in fragm. fol. 37. 14.
[h] lib. 1. fol. 108. 47.
[i] hist. li. 8. ca. 13.
[K] hist. lib 5. ca. 9.
[l] lib. 9. cap. 51.
[m] lib. 7. fol. 160. 31.
[n] hist. li. 5. cap. 11.
[o] hist. lib. 6. cap. 17.
[p] in fragm. fol. 37. 14

cum hunc citans,[q] *non Salpam sed Chromin in aquis nidificare scribat*, cúmque Aristoteles[r] *solam Thycin marinorum piscium ex alga nidificare, atque in nido parere asseueret;*[t] Quod Plinius quoque comprobat, haud id Ouidio assentiri debemus, sed solùm eas citra nidi cõstructionem in alga parere credendum est, vt Oppianus testatur hoc versu; *Obscœni madida Salpæ nascuntur in alga.*

Ouidius notatur.

[q] lib.32. cap. 11
[r] lib.8.cap 30.
[s] lib.9.cap. 26.
[t] lib.3.fol.139.11.

NATVRA ET MORES.

[u]Aristotelis,[x]atque Plinii testimonio *in piscium numero qui clarissimè audire produntur, Salpa collocatur,* Athenæus[y] *eam solinagam facit;* Verùm cum perrarò vnam solam, creberrimè verò complures simul capi videamus, gregalis potius quàm soliuaga (nostro quidem iudicio) censeri debet; Vagabunda non est, vt Aristoteles declarat, inquiens,[z] *Vagantur maximè & aberrant, quæ carne aluntur, præter pauca, ut Mugilem. Salpam, Mullum, & Aericam,* quibus verbis carniuoram etiã Salpam esse innuere videtur; & si alibi de ratione victus piscium pertractans, ei carne vesci non tribuat, scribens;[a]*Salpa stercore & alga uescitur, porrum etiam appetit*; ei autem stercus cibũ esse, non solùm hoc loco, sed alibi etiam Aristoteles scriptũ reliquit, dicens;[b] *Fœtida nonnullis piscium pro esca accommodantur, ut Salpæ stercus,* Atque[c] *Epicharmus in nuptijs hebæ* Σκατοφάγον id est *merdam comedentem Salpam appellans;* Quòd verò algam pascatur, his versibus (quibus, qua etiam ratione capi soleat, edocet) Oppianus comprobat;

Athenæi opinio nõ probatur

A

[u] hist.lib. 4.ca.8
[x] lib 10.cap.70.
[y] li.7.f. 160.32
[z] hist.lib.9.ca.37
[a] hist.lib.8.cap. 2.
[b] hist.lib.4 ca. 8
[c] Ath. lib.7.fol. 160.30.

[d]Obscœni madida Salpę nascũtur in alga
Vili decepti miseri falluntur ab esca,
Nauiget in primis piscator fortè diebus,
Obseruetque locum, & lapidem deturbet in vndas,
Et circum uirides saxum dependeat Algas;
Obscœni Salpę depascunt hęc loca circum
Hic nassę tendat fraudes, ast ora secundum
Connectat virides algas, herbásque virentes,
Collecti carpunt escas, septíque recessum
Irrũpunt, retrahit nassã cymbáque regressus
Piscator miro tacitos mouet ordine remos,
Rem peragit tacitus sunt grata silentia prędis
Omnibus & Salpis, primùm gens ista pauore
Concutitur, prohibetque timor succedere prędam:

B

[d] lib.3.fo.139.11.

[e]*Cucurbita quoque Salpam capi, idque ei ex omnibus uni euenire* asseuerat Aristoteles; Quod & Athenæus, Aristotelis loco citato confirmat, inquiens,[f] *Salpa capitur cucurbita, qua delectatur.*

[e] hist.lib.8.cap. 2
[f] lib,7.f.160.32

QVANTI SIT FACIENDA.

Ignobilis & plebeius piscis non solùm ætate nostra vbique ferè censetur, sed à veteribus etiam vilis habitus est; ab Ouidio nanque[g] *meritò uilissima Salpa,*[h] à Plinio,[i] & Oppiano *obscœnus piscis;*[l] *ab Archestrato malus semper,*[m] *& à Diphilo insuauis* appellatur; nec a b re; nam insulsus & palato ingratus adeo est, ut iure ab optimatum mensis repudiatus, pauperibus solùm cibus esse soleat;[n] authore tamen Plinio *circa Ebusum*[o] *Diphili testimonio in Alexandria, & Autumno natus,*[p] *ut uerò Archestratus sentit, messis tempore, & circa Mitylenem, insipidus, & gustui ingratus minus existimatur.*

C

[g] in frag.fol.37. 14.
[h] lib.9.cap.18.
[i] lib 3.fol.139.11. & 16.
[l] Ath.lib.7.fol. 160.33.
[m] Ath. lib.8. fol. 177.30
[n] lib.9.cap.18
[o] Ath.lib.8.fol. 177.30,
[p] Athen.lib. 7. fol.160. 34.

VT NVTRIAT, ET VT CONDIATVR.

[q]*Dura est salpa ut Diphilus etiam testatur,*[r]*& propterea authore Plinio nusquam percoqui potest, nisi ferula uerberata.* Vnde ægrè à ventriculo conficitur, nec nisi malum succum gignit; & licet quouis modo condita insulsa sit, si tamen per dorsi longitudinem dissectam, interaneis exemptis, passulis, sale, allio, olentibusque herbis concisis, & insimul mixtis infartam assaueris, sapidiuscula reddetur;


[q] Athen lib.8.fo. 177.30.

QVIBVS MEDEATVR.

D

Cum Plinius de concitando coitu pertractans, scribat[s] *Salpe genitale (Asini scilicet,* eius enim proximis superioribus verbis meminit) *in oleum feruens mergi iubet septies, coque perungi pertinentes partes;* & alibi[t]*; Salpe expurgat ulcera in linteolis concerptis;* & infra de Psilotris loquens, *Ita pueros mangonizauit Salpe obstetrix,* & rursus etiam inferius, *Et Salpe negat canes latrare; quibus in offa rana uiua data sit,* non de Pisce nostro Salpa appellato, sed de obstetrice Salpe vocata, intelligere uidetur; vt verba eius diligenter expendenti notissimum fiet.

[r] lib.9.cap.18.
[s] lib 28.cap.19.
[t] lib.32.cap. 10.


P. 77.
N. G. Ἀμια.
L. Amia.
V. Leccia.

HISTORIA TRIGESIMA QVINTA
DE AMIA

NOMEN



A Hic piſcis in ordine noſtro trigeſimus ſeptimus, qui Romæ, & in Liguria *Lechia* appellatur; à Græcis [a] ἀμία, παρὰ τὸ ἅμα ἰέναι ταῖς παραπλυσίαις, id eſt, *quod nõ ſingulæ, ſed gregatim natent, dicitur*; Et ab Aeliano [b] τρώκτα vocatur, Latinè verò à Plinio (qui solus Latinorũ, eius quòd ſciã meminit) græco ſeruato vocabulo, *Amia* etiã appellatur; Hunc autem piſcem noſtrum aliorum Amiam, Aeliani verò Troctam eſſe, in fine huius hiſtoriæ comprobabimus.

DESCRIPTIO

Amia roſtro eſt haud extento, ore mediocri, *& robuſtis dentibus* (vt etiam [c] Ariſtoteles, [d] Aelianus, [e] Oppianus, atque [f] Athenæus teſtãtur) munito; Branchias habet vtrinque quaternas, vti nõ admodũ patulas, ita nõ contectas; vt contectas eſſe Ariſt. authoritate ibidẽ teſtatur Athenæus, quod tamen apud Ariſtotelẽ non legitur; Præter geminas pinnas, quas vtrinque tũ ad branchias, tũ in ventre habet, in medio dorſo vna alia erigitur, quæ quidẽ in principio magna, ſenſim verò minor facta, ferè ad caudã vſque excurrit; ex cuius regione altera eiuſdẽ figuræ & magnitudinis, tenuior etiã paulatim reddita, prope caudã extenditur. Cuius caudæ pinna creſcentis lunæ figuram repræſentat; Prior dorſi pars, quæ pinna caret, ſeptem aculeis non omnino longis, ſed acutiſſimis & robuſtis, nulla membrana contextis, & ad caudam ſpectantibus, horret; duobúſque aliis eiuſmodi imus etiẽ venter ad podicẽ armatur; B Corio tegitur minimè ſquameo, ſed Thynni inſtar, læui & ſplẽdenti, quod in vẽtre argẽteũ eſt, in dorſo verò cœruleo colore perfuſũ; Corporis figura oblongiuſcula, in latera compreſſa, & ſatis lata eſt præſertim à capite ad excremẽtorũ vſq; orificium, à quo ſenſim tenuior fit; Ventriculũ amplũ habet; Hepar ſubrubrũ; Et Ariſtotele authore, [g] *Fel æqualis magnitudinis cum inteſtino*. Quod nõ ſolũ trãſſcripſit [h] Athenæus, ſed etiã *addidit eiuſdẽ magnitudinis eſſe & Lienẽ*; Cubitalis creberrimè, Tricubitalis verò aliquãdo etiã capitur.

LOCVS

Marinus piſcis eſt Amia; & ut proditum eſt ab Ariſtotele [i] *Thunni, Limariæ, Amiæ ſubeunt põtum vere, æſtatemque ibi traducunt*; quod ſic tranſſcripſit Plinius, [k] *Cum Thynnis Amiæ & Pelamides in põtum ad dulciora pabula intrant gregatim cum ſuis quæque ducibus* Et eodem Ariſtotele teſte, [l] *Maritimis lacubus genera plura piſciũ marinorũ gigni apertũ eſt, vt Salpã, Auratã, Mullũ, alios ferè plurimos, Amias etiã in Alopecõneſo reperies*; C quinimo vt idẽ alibi tradit, [m] *Subeũt etiã fluuios genera piſciũ cõplura & præſtant in fluuijs & lacubus, ut Amia & Mugilis*. cui ferè ſubſcribere uidetur Oppianus, inquiens, [n]

Labrax, audaces Amiæ, placidæque Chremites
Pelamides, congri, quem dicunt nomine Oliſton,
AEquora, quæ fluuio, quæ ſunt uicina paludi
Incoluiſſe iuuat;

Vt præterea teſtatum reliquit Ariſtoteles, [o] *Profectò omne piſcium genus celeriter adoleſcit, & præcipuè in ponto; quippe cum ibi incrementum ſingulis diebus planè intelligatur; Sed Amiæ longè conſpectius*; Quod quidem his verbis tranſcripſit Plinius [p] *Piſcium genus omne præcipua celeritate adoleſcit, maximè in Ponto, cauſa, multitudo amnium dulces inferentium aquas; Amiam uocant, cuius incrementum ſingulis diebus intelligitur*.

NATVRA ET MORES.

Amiam gregalem eſſe non ſolùm ex [q] Ariſtotele, [r] Plinio, [s] AEliano, atque [t] Oppiano, necnon ([u] vt Plutarchus [x] Athenæus, & [y] Euſtathius tradiderunt) ex eius etymologia, coniici poteſt; ſed expreſsè etiam ab [z] Athenæo proditum eſt; D Carne ſolùm veſcitur, vt teſtatur Ariſtoteles, inquiens, [a] *Alii enim carniuori tantum ſunt, ut Cartilaginei, ut Congri, Hiatulæ, Thunni, Murænæ, Lupi, Dentices, Amiæ, Cernuæ*; Cui [b] Athenæus etiam ſubſcribit; Verùm vt paulò infra idem tradit Ariſtoteles, [c] *Amia, Thunnus, & Lupus, magna ex parte carne aluntur, ſed algam etiam tangunt*. Audax cenſetur; vnde ab Oppiano (vt ſupra etiam citauimus) *Audaces Amiæ uocantur*; Atque pugnaciſſima eſt, vt teſtis eſt Ariſtoteles ſcribẽs; [d] *Quinetiã Amiæ cũ belluã uiderint aliquã, colligũt ſeſe, & quæ magnitudine præſtant, luſtrantes gregem circunuallant, & ſi qua uiolatur, defendunt; Dentes his ualidi, & iam cum aliæ bellu æ, tum Amia aggreſſa uulnera accepiſſe, acrius uiſa eſt*; Oppianus verò non ſimpliciter cum belluis, ſed

Athenæus notatur.

[a] Plutarc. in lib. utra animãtia prudẽtiora ſint terreſtria an aquatilia. Athe. lib. 7. fol. 139. 53. fol. 161. 52. Euſth. fol. 868. 5.
[b] lib. 12. cap. 53.
[c] Hiſt. li. 9. ca. 37.
[d] lib. 12. cap. 53.
[e] lib. 2. f. 129. 34
[f] li. 7. f. 139. 45.
[g] Hiſt. lib. 2. cap. 15. Part. lib. 4. cap. 2.
[h] lib. 7. f. 139. 45
[i] Hiſt. li. 8. ca. 13.
[k] lib. 9. cap. 15.
[l] Hiſt. lib. 8. ca. 13.
[m] Hiſt. lib. 8: c. 19
[n] lib. 1. fo 108. 38
[o] hiſt. lib. 6. ca. 17
[p] lib. 9. cap. 15.
[q] lib. 9. cap. 37.
[r] lib. 9. cap. 15.
[s] lib. 12. cap. 53.
[t] lib. 2. f. 129. 38
[u] In libro utra animalia prudẽtiora ſint terreſtria ã aquatilia.
[x] lib. 7. fo. 139. 53 fol. 161. 52.
[y] fol. 868. 5.
[z] lib. 7. f. 139. 46
[a] hiſt. lib. 8. ca. 2.
[b] lib. 7. f. 139 46.
[c] hiſt. lib. 8. cap. 2.
[d] hiſt. lib. 9. cap. 37.

cum Delphino etiam bellum inire testatur, hisversibus;

[e] lib.2.f.129.30 [e] Delphini, quàquà tales sūt piscibus hostes
Inueniunt diros Amias,quos nomine dicūt.
Intrepidę solę pugnāt,contráque ferūtur.
Robore peiores Thynnis,in corpore molles
Carnes continuo densi sunt ordine dētes,
In quibus horror inest,hinc est audacia tāta,
Hinc fortē pōti regē formidine nulla
A grege seiunctū aspiciunt,solūque vagātē,
Atque cateruatim veniunt ad Martia bella,
Et veluti collectę acies,multęque cateruę,
Bellātū ad pugnā veniūt,Martēque lacessunt;
Hostilem expugnāt turrē,vi mœnia quassant
At Delphī magnis rostris hęc agmina primū
Contemnēs,sed post rapidus cōsurgit in illā,
Arripit hanc,auido dat fortia pabula ventri
Cū densę magnū circū delphina phalanges,
Et magnus cuneus fortē Delphina coronat,
Tūc agitat mentē belli furor,& timet vnus
Exitium à multis,& duro marte laborat,
Hę rabie circunfusę per mēbra reuinctę
Delphino infigunt dētes,& corpora passim
Scindūt implicitę, sūt multę à vertice sūmo
Quę lacerāt,glauco rostro madidísq; sub alis
Nōnullę infixę;lateri pars illa recumbit,
Apprendunt alię caudā,ventremque tumētē
Pars cruciat,quędā populātur maxima terga
Istę per spinas, illę per cœrula colla
Pendēt hic magno cōtorquēs mēbra labore,
Conturbat motu pōtū, sunt corda furore,
Concussa, Et tristes voluit sub pectore curas
Et salit atque furit victus pressúsque dolore,
Et nanti similis fundo nunc voluitur imo,
Nunc sūmo fertur fluctu cum turbine multo
Concutitur,saltat,nodūque reuellere tētat:
Hę nexu immotę perstant, nec viribus vllis,
Conuelli possunt,fluctu merguntur in imo,
Et cū Delphino summas iaciuntur in vndas.
Sic nexę subeunt vndas,summūque per ęquor
Emergunt, pōto dicas noua monstra creari
Neptuno,duri sunt fixi in corpore dentes
Sic Amię,& Delphin vinclo nectūtur eodem A
Et veluti expertus tumido de vulnere multū
Sāguinis exhaurit medicus,qui vulnera curat
Lubrica,lāguēti firmatur corpore hirudo:
Quę quondā nigra fuerat generata palude
Letiferum sorbet totū tumefacta cruorem
Curuatur,saniēque trahit,nec deserit vnquā
Emungat donec letalem è vulnere labem
Sponte cadat,possit cūctis temulenta videri
Sic Amię nunquā tollunt è corpore dentes,
Ni partem apprensā subigāt,laniētque sub ore
Postquā collectus Delphin, bellúque dirēptum
Tū ducis irati rabiem,seuúmque furorem
Spectantes amię tunc horrida fata timentes B
Effugiūt,sequitur Delphin, laceratque teritque
Stridēti similis presteri cūcta resoluit:
Et morsu laniat,rubet atro sanguine pontus:

Quā quidē Amiæ cū Delphino pugnā, ex Aeliano (qui ipso annis circiter quinquaginta an
terior fuit, vixit.n.sub Adriano, cū sub M.Antonio floruerit Opp.) transcripsisse, ex ipsius
Aeliani verbis manifestissimum est; Scribit enim [f] *Troctæ sui generis grege coacto, Delphinos inuadunt, &*
[f] lib.12.cap.53. ii quidem siquem segregatum circumuenire possunt, fortiter inuadunt; planè enim sciunt Del-
phinum suis morsibus verberari asperè solere; Itaque Troctę ei acerrimè instant, Delphinus con
tra resilit, subsilit, atque indicat, vt ex dolore torqueatur. idcirco tenaciter vrgent, simulque ad
saltum Delphini tolluntur; Hic eos repellere conatur, illi verò nihil remittentes, viuum lacerāt;
postea verò quàm pro se quisque aliquam eius partem vulnerauit, discedit: Delphinus verò liben
ter enatat, cum conuiuas (ut ita dicam) minus inuitatos, cum suo dolore excepit. Nec obstat quòd non Amiæ, sed C
Troctæ hoc bellum tribuat Aelianus, quando ab aliis amiam vocatum piscē, Troctā ab eo
appellari, fatendum sit; Nam si eius Trocta diuersus ab Amia piscis esset, nullus profectò
alius existimari deberet, potius quā noster vigesimus quartus; quippe qui vti de sua Tro
cta paulò ante scripserat Aelianus, [g] *Dentes habeat frequētes & cōtinētes. quibus quicquid inciderit, perfringere*
[g] lib.12.cap.53. *potest, ac saltu ualeat,* Trutta que nō solū hodie, sed antiquitus etiā vocatus fuerit, Verùm cum
Trutta nostra fluuiatilis, vel lacustris tantùm sit, Aeliani veró Trocta, vt quæ cum Delphi-
nis, qui in mari nascuntur, & degunt, nec vllum fluuium, *præterquam aliquando Nilum, ut testatur* [h] *Ari*
[h] strab. lib.15 *stobulus, ascēdūt,* pugnat, marina videatur, Trutta nostra eius Trocta esse non poterit; Et vel
maximè cum nostra (vti in historia vigesima secūda docuimus) Trutta vocetur; Et D. Am
brosii, atque Isidori Hyspalensis testimonio; Trutta antiquitus etiam vulgaris eius fuerit
nomēclatura, Aeliani verò Trocta dicatur, & græca sit eius appellatio, vt ipsemet admo D
[i] lib.12.cap.53. net; Nam cum scribat, [i] *Piscis Trocta cuius naturam, nomen & os declarāt, dētes habet frequētes, & cōtinētes, qui-*
bus quicquid inciderit, perfringere potest, ἀπὸ τοῦ τρώγειν id est, *uorare; eo quod* τρώκτης ἰχθύς, hoc est, *uorax pi-*
cis sit, τρώκταν græcè vocatam fuisse innuere videtur; Ad hoc accedit, quòd Oppianus (qui
quamplurima etiam alia ab ipso mutuatus est) non solùm illa eadem, quæ (vt citauimus)
[k] lib.12.cap.53. ab Aeliano Troctæ tribuuntur, Amiæ in eius supracitatis versibus prorsus tribuit; sed etiā
cum Aelianus de sua Trocta subdat [k] *hamo capta sola ex piscibus non se ab hamo retrahit, sed impellit sese in*

ferrum cordam consumere cupiens, piscatores contra machinantur longas ansas; illa verò quoniam quodammodo valeat saltu, ansas sæpe transilit, ac linea qua agitur concisa, ad piscium domicilia reuertitur. Idem & ipse Amiæ asscribit, inquiens;

Ast Amiæ celeres, & vulpes fraude reuinctæ Hinc piscatores plumbum de cuspide nectũt, [l] lib.3.f.134.27
Preueniunt summas, morsu cõfringere setas, Plumbũ, quod pisces cruciaret dente remoto

Idem præterea Amiæ tribuit & [m] Athenæus; Ex quibus omnibus Aeliani Troctam, non solùm à nostra Trutta diuersam, sed etiam Amiam esse clarè satis patet. Cur autem Aelianus vsitata Amiæ nomenclatura posthabita; hunc nostrum piscem Troctam vocauerit, haud coniectare possumus; id scimus, apud nullum alium veterum scriptorum, Troctã piscem legi; etsi Truttam apud nõnullos (vt historia vigesima secunda monstrauimus) haberi non ignoremus; Ex ipsa Amia grata piscibus paratur esca, vt Aristoteles indicat dicens [n] Pisces sensum gustus habere constat, eò quod multi suis quibusdam saporibus gaudent, & escam in primis ex pisce Amia expetunt, & piscium pingue, vt qui gustu eiusmodi delectentur, voluptatémque ex eo genere esculenti capiant.

[m] lib.7.fol.139.47.

A

[n] hist, lib.4.cap.8

PRAESTANTIA, VT NVTRIAT, ET VT CONDIATVR.

Amia carnis est præteneræ, & gustui suauissimæ, maximéque præpingui sumine, & laudatissimo capite, Sturionum ac Vmbrinarum capitibus iurè prælato, commendari solet; Vnde iurè apud Athenæum [o] Archippus, & [p] Epicharmus *pinguem eam appellarunt*; Et [q] Hicesius apud eũdem, *boni succi teneram, & ad excernendum mediam Amiam esse, sed parcè nutrire testatur*; [r] Philotimus veró (vt citat & comprobat Galenus) *inter pisces teneræ carnis eam recensèt*; Quamobrem cum alibi apud Galenum [s] *ex Philotimi sententia, duræ carnis pisces connumerantem, & rursus paulo infra,* [t] *quosdam inter duræ carnis pisces à Philotimo recensitos comprobantem*, Amiæ legatur, vtrunque locum mendosum esse ex eo patet, quod non solùm alii, sed ipse etiam Philotimus (vt Galenus citat & approbat) piscibus teneram carnem habentibus eam adnumeret; Eritque vtrobique, loco Αμίαι restituendum Λαμίαι, Est nanque Lamia (vt in historia XXXVIII. declarabimus) cetacea & cartilaginea, & propterea iurè inter pisces duræ carnis connumeranda; [u] *Archestratus verò (ut refert Athenæus) autumno circa vergiliarum occasum captas Amias laudat, Byzantiasque celebrat, eamque felicissimè coqui docet; Si conspersa origano & inuoluta iunco, cucurbitæque folijs ad prohibendum succi delicatioris effluuium, mitioribus flammis torreatur.*

[o] lib.7.fo.139.48.
[p] lib.7.f.139.51
[q] lib.7.f.139.51.
[r] clas.2.fo.29,E
[s] clas.2.fol.30.B
[t] clas.2.fo.30.C
[u] lib.7.fol.140.2,147.11.


B

Galeni codex corrigitur.

HVNC PISCEM NOSTRVM AMIAM ESSE.

C Nunc reliquum est, vt piscem nostrum trigesimum septimum antiquorum Amiam esse comprobemus; Quod vti iis, qui durioris sunt capitis demonstrari forsan nõ videbitur, ita efficacissimis nostris coniecturis persuaderi aliis facilè poterit; Primùm itaque ea omnia, quæ à veteribus Amiæ tribuuntur, huic pisci nostro probè conueniunt. Nec obstat, vt sibi ipsi obiicere videtur Iouius, quòd cum gregalis sit Amia, iste noster Romæ sæpe solitarius capiatur, quando vti non omnis maris locus singulis piscibus accommodus est, sic haud vbique gregales appellati pisces, gregatim reperiuntur, nec eorum qui incongruis sibi locis gregales habentur, in locis aliis solitarios nonnullos reperi inconuenit. Verùm cum Amiæ à veteribus attributa (si earum cum Delphinis pugnam, cuius Aelianus & Oppianus meminerunt, quam neque hunc nostrum, neque vllum alium piscem cum Delphinis committere, obseruare potuimus, exceperis) eiusmodi sint, vt plerisque etiam aliis piscibus conuenire possint, haud solùm ex eis hunc piscem nostrum, Amiam esse fatendũ est; Sed si præter hæc animaduertatur, ab Aristotele, & Plinio (Amias cum Thynnis & Pelamidibus pontum intrare, æstatémque ibi traducere, vt supra citauimus, asseuerantibus) & ab Oppiano (eas cum Thynnis, vt etiam dictum est, in robore conferente) Amias Thynnis & Pelamidibus similes esse, innui; vti nulli piscium, quæ Amiæ attribuuntur, & Thinno similem esse, magisquàm huic nostro respõdet, ita ipsum, Amiam esse, asserere possumus.

D



N. G. Πηλαμυς.
L. Limosa,
V. Pelamide,

HISTORIA TRIGESIMA SEXTA
DE PELAMIDE ET THYNNO
NOMEN.



PISCIS noster trigesimus octauus, quem vbique ferè vulgò *Tonno* vocant, à Græcis mas θύννος, & fœmina θυννίς, à Latinis verò græco seruato vocabulo, *Thynnus* & *Thynnis* appellatur; Et si Theodoro Gazæ *Thunnum* & *Thunnam* potius dixisse libuerit; Dicitur autem θύννος authore Athenæo [a] *à uerbo θύνειν, quod cum impetu promoueri significat, eò quòd sub exortam caniculam œstro percitus impetuosè huc illuc feratur*; Quam quidem Athenæi sententiam citat & [b] Eustathius. Sed cũ præter Thynni nomen, alia etiam nomina huic pisci, pro ætatis varietate; & alia rursus ad aliquam tantùm partem eius exprimendam, indita sint; cúmque à nonnullis antiquioribus, atque à neotericis plerisque parum hæc animaduersa fuerint; haud parua in Thynni nomenclatura oborta est ambiguitas; diuersis Thynnorum ætatibus congrua nomina, aliorum piscium esse, nonnullis falsò arbitrantibus; reliqua verò aliquam tantùm Thynni partem significãtia, aut ei toti, aut piscibus aliis perperam tribuentibus quibusdam; Quamobrem ita hæc omnia excutiamus oportet, vt cuique clarissima fiant. Thynni igitur partus, quamprimum ex ouo prodierit, ab aliis σκορδύλη, à Bizantiis verò Αὐξὶς dicitur, vt testatur Aristoteles inquiens, [c] *Cum enim Thunni in Ponto pepererint, prodeunt ex ouo quas alij Scordulas uocant, Bizantij Auxidas* (vel vt interpretatus est Theodorus Auxumas) *nominãt, quia diebus paucis adolescũt, quæ exeũt ponto autũno fœtus comitantes*. Cuius sententiam Plinius etiam sequitur his verbis, [d] *Thynni intrant è magno mari pontum uerno tempore gregatim, nec alibi fœtificant; Cordyla appellatur partus, qui fœtas redeuntes in mare autumno comitatur*; Et alibi [e] *Cordyla, & hæc pelamis pusilla cum in pontũ è Mæotide exit, hoc nomẽ habet*: Et licet tum in impressis, tum in antiquis omnibus manuscriptis (quæ vidimus) græcis Aristotelis exemplaribus, σκορδύλαι Thynni partus appellari legatur; à Theodoro tamen σκορδύλη, *Scordula*, & à Plinio *Cordyla* vertitur; cuius *Cordylæ*, infra etiam vbi de nominibus partium disseremus, iterũ mentio fiet; Est hic autem animaduertẽdum (ne nominum decipiamur similitudine) quòd ab Aristotele & Athenæo κορδύλη, & aliquando κορδύλος, id est (vt vertit Theodorus) *Cordyla* & *Cordylus*, atque ab Oppiano σκορδύλος vocatur piscis alius, & ab hoc Thynni partu longè diuersus, quippe qui [f] *palustris sit*, [g] *Et cum pinnis careat, cauda (quam latam, atque Glanidi similem habet) & pedibus natet*, [h] *Solusque eorum qui branchias habent, cibi causa in terram exeat; Quadrupes enim est & ad ambulandum idoneus*. Deinceps verò hic paruulus Thynnus (à Plinio, vt diximus, *Cordyla*, à Theodoro *Scordula*, & vt nos græcam nomẽclaturam sequuti arbitramur, *Scorodyle* appellatus) adultior factus, & senis ferè iam transactis mensibus, Scordyle derelicto nomine, πηλαμὶς, id est *Limosa* (vt vertit Plinius) vel *Limaria* (vt interpretatus est Theodorus) appellari incipit; vt manifestissimè declarat Aristoteles suis proximis citatis verbis, subdens, [i] *Eodem autem redeunt uerno tempore; iam adeptæ eam magnitudinem, qua Limariæ nomen accipiunt*; Quod non solùm transscripsit Plinius, sed πηλαμύδα etiã παρὰ τὸ ἐν τῷ πηλῷ μύειν, hoc est, *quia in limo se abdat*, vocari edocet, iis quæ priori supra citato eius loco dixerat, hæc subnectens, [k] *Limosæ uerò à luto pelamides incipiunt uocari*; Licet Plutarchus nulla adducta ratione, [l] πηλαμύδα dici, *eò quòd gregalis sit*, asserere videatur; hodie etiam plerisque Italiæ locis iunior Thynnus *Pelamide* vulgò vocatur. Neque tamen Pelamidis nomen continuò retinet, sed aliis tantùm senis mensibus; Nam completo anno, Pelamidis posthabito nomine, Thynnus vocari incipit, vt testis est Aristoteles inquiens, [m] *Limarij Thunni prouectiores ætate anno esse putantur una*; Ac Plinius suis proximè citatis verbis hæc subiungens; [n] *Et cum annuum excessere tempus, Thynni*; Atque Athenæus Sostrati authoritate scribens [o] *Pelamis (uti Sostratus prodidit) Thynnis dicitur, cum scilicet ad Thynni magnitudinem excreuerit*. Vnde Petro Gyllio Ligures & Massilienses piscatores, ex Pelamidibus nunquam fieri Thynnos, sicut Aristoteles & Plinius opinantur, sibi apertè ostendisse, asserenti, ac probationem nullam adducenti, haud assentiendum est. Et quanuis his veterum testimoniis clarissimè constet, Pelamidem vo-

Marginal letters: A (alia etiam nomina), B (mitantes), C (pedibus natet), D (plerisque Italiæ).

Marginal notes (left): *Plinius & Theodorus notãtur.* — *In Plutarchũ animaduersio.* — *Gyllij opinio reprobatur.*

Marginal notes (right): [a] lib. 7. fol. 151 11. fol. 162. 1 — [b] fo. 994. 47. & 1720. 62. — [c] hist. li. 6. ca. 17 — [d] lib. 9. cap. 15. — [e] lib. 32. cap. 11. — [f] hist. lib. 1 cap. 1. — [g] hist. lib. 1. cap. 5 — [h] hist. lib. 8. cap. 2. par. lib. 4. 13. opp. lib. 1. fol. 111. 50. Ath. lib. 7. fol. 155. 5. — [i] hist. lib. 6. ca. 17 — [k] lib. 9. cap. 15. — [l] in lib. an prudẽtiora sint terrestria animalia aquatilibus. — [m] hist. li. 6. ca. 17 — [n] lib. 9. cap. 15. — [o] lib. 7. fo. 151. 38

cari Thynnum, qui vti sex mensibus natu maior est, sic annuum non excesserit tempus; ali
quando tamen communiori significatu, ac ceu genus plurium specierum, differentiarum
ue Thynnorum, accipi videtur à Plinio, atque Diphilo; cum ille (vt infra citabimus) Orcy-
num & Apolectum maximi, Tritonem verò magni Pelamidum generis faciat; hic verò
p lib. 32. cap. 11 (vt infra quoque dicemus) maiorem Pelamidem Synodontia appellet. Notandum præte
rea [p] *Pelamidem longam ex Oceano uenientem, Sardam etiam uocari* à Plinio. Verùm si proprius loquamur,
q lib. 7. fol. 151. vti Pelamis completo anno, Thynnus (vt diximus) vocatur, sic haud perpetuo Thynni no
30. Eust. fol. mine appellari solet; Nam Athenæo authore, [q] *Thynnus maior factus, Orcynus dicitur; In immẽsum au-*
994. 49. *tem auctus, κῆτος, hoc est, Cete fit;* Quod & Archestratus (vt idem refert Athenæus) affirmat, dicens;
r lib. 7. fol. 151. 4 [r] *Ad sacram Samum magnus capitur Thynnus, quem Orcynum dicunt, alij uerò Cete;* Idem testatum reliquit & Pli
s lib. 32. cap. 11 nius, scribens; [s] *Orcynus Pelamidum generis maximus, hic non redit in Mæotim, similis Tritoni, uetustate melior,* vel A
(vt nos corrigẽdum censemus *maior*) Quo quidem loco, latiori significatu, ac pro Thyn Plinij codex
norum genere (vt supra diximus) Pelamis accipitur; Ex Thynnorum autem genere Orcy corrigitur.
num esse, sicuti apud Athenæum Dorion & Hicesius (ea Orcynis, vt infra explicatius de
clarabimus, adscribentes, quæ Thynnis ab aliis tribuuntur) innuunt, Sic apud eundem
t lib. 7. fo. 151. 37 manifestissimè declaratur ab Heracleone Ephesio, asserente, [t] *Thynnum ab Atticis Orcynum*
appellari; & si simpliciter Thynnum, & non solùm maiorem factum, Orcynum vocari innue-
re videatur Heracleon. Orcyni deinceps Aelianus quoque & Oppianus mentionem fece-
runt; sed vti hic (eisdem enim locis, ac vnà, vt infra citabimus, Thynni & Orcyni mentio-
u lib. 11. cap. 1. 2. nem fecit) eos eiusdem generis facere videtur; sic ille (nãque seorsum [u] *Thynnorum* ac [x] *Orcyni*
3. & 4. meminit, idque, vt infra latius dicemus, Orcyno tribuit, quod nullus vnquam Thyn- B
x lib. 12. cap. 29 no adscripsit) diuersi, an eiusdem generis, Thynnum & Orcynum esse existimauerit, diffi-
cile est iudicatu. Ab Aristotele etiã an hi pisces (à quo nõ ὄρκυνοι, sed ὀρκύνες dicũtur) Thyn-
y hist. lib. 5. ca. 10 nis congeneres censeantur, clarè coniici non potest; & si paulò post Thynnorum ac Pela
midum mentionem, eorum meminerit; cum nihil aliud de eis scripsit, quàm quòd [y] *in al-*
to fætificant. Plinio præterea authore maximus Thynnus, siue maxima Pelamis (vti enim de
z In cast. in lib. clarauimus, Pelamis eo loco pro Thynnorum genere accipitur) Apolectus (vel vt [z] *Her-*
32. Plin. cap. 11 *molaus Barbarus corrigit, Apolectum*) & Triton vocatur; Verùm cum [a] Ciceroni, eidem [b] Plinio a-
a li. 1. de Nat. Deo. libi, [c] Pausaniæ, atque [d] Aeliano, *marinum monstrum, & non Pelamidum species, Triton sit*; sicuti inter
b lib. 9. cap. 5. lib. Thynnorum genera, ipse solus Tritonem connumerauit, inquiens; [e] *Triton Pelamidum generis ma-*
32. cap. 11 *gni;* sic & inter pisces solus Apolectum recensuit, dicens, [f] *Pelamidum generis maxima, Apolectus uoca-* C
c lib. 9. fol. 365. A. *tur, durior Tritone;* Et alibi *Pelamides in Apolectos, particulatimque consectæ in genera Cybiorum, dispartiũtur;* In quo Plinius no
d lib. 10. cap. 9. quidem loco non totas Pelamides maiores factas, vti in alio proximè citato, sed Pelami- tatur.
e lib. 32. cap. 11. dum tantùm partes (si verba eius exactè perpendamus) Apolectos appellare videtur;
f lib. 32. cap. 11 Sed vti maiorem Pelamidem, vel Thynnum, vocari Orcynum, Apolectum, & Tritonem te
statur Plinius, sic qua ratione hæc inter se differant nomina, haud explicat; nisi forsã cum
dixerit, *Orcynus similis Tritoni, uetustate maior;* atque *Apolectus durior Tritone*, magnum Thynnum, Trito
nem; maiorem, Apolectum; maximum verò; Orcynum ab eo appellari arbitremur; & vel
g lib. 8. fo. 178. 2 maximè cum *Tritonem Pelamidum generis magni, Apolectum uerò & Orcynum maximi esse scripserit.* Cum ve-
rò apud Athenæum à Diphilo scribatur, [g] *Maior Pelamis Synodontis dicitur, proportionem autem habens cũ*
Pelamide Chelidonias durior est; ac paulò infra, *Orcynus lutulentus & maior, & Chelidoniæ similis duritie carnis;* D
sicuti ab ipso quoque solo συνοδοντὶς & χελιδονίας piscibus annumeratur (cum συνόδων, & nõ
συνοδοντὶς, vt in historia vigesima nona, & χελιδὼν & non χελιδονίας, vt in historia sexagesi-
ma secunda docuimus, ab aliis inter pisces recenseãtur) sic συνοδοντὶς Apolectus, χελιδονίας
h In ann. in lib. verò Triton ab eo vocari, arbitratur Hermolaus; Ad quod probandum, sic Athenæi locũ
32. Pli. cap. 11. citat; [h] *Maior Pelamis Synodontis appellatur durior quàm Chelidonias;* Item paulò post, *Orcynus similis est Cheli-*
i hist. lib. 8. ca. 15 *doniæ, cum magnus est;* Sed cum in omnibus Athenæi exemplaribus, quæ huc vsq; vidimus, Di-
K lib. 7. fol. 164. phili sententia; non vt citat Hermolaus, sed vt nos paulò ante transcripsimus, legatur; In Hermo-
4. & 5. haud indubitanter Hermolao assentiendum putamus. Postremò cum inter pisces [i] πριμα- laũ animad
l li. 1. fo. 109. 45 δίαι ab Aristotele, [K] πριμάδιαι, & πριμνάδαι ab Athenæo, atque [l] πριμνάδες ab Oppiano (& si in v- uersio.

no vetustissimo manuscripto exemplari Oppiani, Vaticanæ bibliothecæ πρημνάδες legatur) recenseantur, vti his omnibus nominibus (licet aliquo modo variis) eundem piscem ab illis vocari, ita ipsum esse Thynni speciem quandam, iurè existimamus; cum non solùm (vti infra loco suo citabimus) statim post Thynnorum mentionem, [m] *de Premadibus* Aristoteles, [n] *de Orcynis* verò & *Premadibus* Oppianus, pertractauerint; sed etiam Athenæus expressè testetur, [o] *Nicocharis authoritate, Premades Thynnides appellari*; Hæc itaque sunt nomina Thynnis ætatis ratione differentibus, à veteribus indita; quibus expositis, de nominibus Thynni partem aliquam salitam significantibus, iam disseramus; quorum haud facilior est explicatio; nitemur tamen & ea clariora reddere. Inter Thynnorum igitur salsamenta à Diphilo apud Athenæum κορδύλη recensetur, cum inquiat, [p] *Inter non pinguia salsaméta, optima sunt Cybia & Horæa, & omnia huius generis similia; inter pinguia, Thynnea & Cordyla*; Quibus verbis non solùm inter Thynnorum salsamenta, salitam Cordylam constitui patet (cum Cybia, Horæa, & Thynnea, quæ vnà cum Cordyla connumerantur, ex Thynnis etiam fiant) sed etiam veluti hæc omnia, salitæ solùm Thynnorum sunt partes (vt infra monstrabimus) ita & salitã Cordylam, quasdam Thynni partes, & nõ aliquam vnam salitam Thunni speciem, vocari à Diphilo, coniici posse videtur; Verùm cum Martialis scribens, [q] *Cordylas madida tegas papyro*, & alibi, [r] *Mox vetus & tenui maior Cordyla lacerto*; Et rursus, [s] *Ne toga Cordylis, ne penula desit oliuis*; non solùm Cordylam salsamentum faciat, sed eam etiam integrum piscem potius quàm partem tantùm aliquam esse innuat; an salita veterum Cordyla, aliqua solùm Thynnorum pars, vel aliquis totus ex Thynnis (vt iunior forsan à Plinio, vt diximus, Cordyla vocatus) fuerit, difficilè est iudicatu. À Diphilo præterea loco supra citato, inter Thynnorum salsamenta nõ pinguia, Cybium etiam recensetur; Et licet Cybium, salsamentum esse ex Pelamidum partibus confectum, manifestissimè testetur Plinius, inquiens; [t] *Pelamides particulatim confectæ, in genera Cybiorum dispartiuntur*, Et alibi [u] *Cybium ita vocatur rocisa Pelamis*; Et rursus etiam, [x] *Triton Pelamidum generis magni, ex ea Vræa Cybia fiũt*, Idemque ante eum sensisse videatur M. Varro scribens; [y] *Cybium & Thynnus, & cuius item partes græcis vocabulis omnes, ut Melandrya, atque Vræon*; Secus tamen nõnulli sentiunt; Nam cum Festus dicat; [z] *Cybium dictum, quia eius medium æquè patet in omnes partes, quod genus à geometris κῦβος dicitur; Vnde etiam tessellæ quadratæ κῦβοι, hinc & Cybios genus piscis, quia piscãtes id genus piscium uelut aleam ludunt*. Et Oppianus inter pisces, qui longè à litore degunt, Cybiam connumeret, scribens; [a] *Orcinon gentes, & Prenades, atque Cybiæ*; Hicesius verò apud Athenæũ, [b] *Pelamidas, magna inquiat esse Cybia*; Thynnorũ genus quoddam, potius quàm Thynni, vel Pelamidis partes aliquas, Cybium vocare videntur. Cybii Martialis etiam meminit his verbis, [c] *Vel duo frusta rogat Cybij, tenuemque lacertum*. Præterea apud Athenæum, non solùm à Diphilo loco præcitato, sed etiam [d] à *Diocle Carystio inter nõ pinguia salsaméta ὡραῖα recensentur*; Quòd autem Horæum vel Vræon (sic enim à M. Varrone & Plinio vocatur) ex Thynno salsamentum sit, Varro atque Plinius locis supracitatis manifestissimè testati sunt; cum ille (vt diximus) *Thynnus* (inquiat) *& cuius item partes græcis uocabulis omnes, ut Melandrya atque Vræon*, hic verò *ex Tritone Pelamidum generis magni, Vræa Cybia fieri*, scribat; Cuius Horæi Plautus quoque meminit, dicẽs, [e] *Horæũ, Scõbrũ, & trigona, & cetũ & mollè caseum*. Et nõ solùm inter non pinguia salsamenta Cybium & Horæum connumerantur, sed vt Diphilus apud eundem Athenæum testatur, [f] *eiusdem etiam generis sunt*; Quamobrem eas salitas Thynni partes, quæ pingui carent, & vulgò tota ferè Italia *Tonina* vocantur, Veterum Cybia & Horæa esse crediderim; Ex illisque, quæ caudæ magis sint proximæ, ὡραῖα, vel potius (vt ex Varrone & Plinio coniici posse videtur) οὐραῖα, quæ verò à cauda pauló magis distant, Cybia dici arbitror; propterea quòd eæ (vt quæ crassioris piscis partis partes sint) in quadrangulã figuram secari aptius possint. Deinceps tũ [g] à *Diocle*, tum [h] à *Diphilo pinguibus salsamentis θύννια adscribuntur*, etsi in Diphili verbis, non θύννια, sed θυνναῖα (& mendosè forsan) legatur; fitque eodẽ Diphilo authore, *Thynnium ex maioribus Pelamidibus*, Vnde & Hicesius *iuniora Thynnia similia esse Cybijs* testatum reliquit; Cuius quidem Thynnii, nullus Latinorum (quod sciamus) meminit; Nos autem Thynnium eas salitas, atque pingues Thynni partes, quæ plerisque Italiæ locis *Tarantello* vocantur, esse, iurè fatendum existimamus; Præter hæc μελανδρύου etiam siue *Melandrya* in

Marginal letters (left): A (at "& omnia huius generis similia"), B (at "catu. À Diphilo"), C (at "Thynnorũ genus"), D (at "quæ pingui carent").

Marginal notes (right):
[m] Hist. lib. 8. ca. 15
[n] lib. 1. fo. 109. 45
[o] lib. 7. fo. 164. 3
[p] lib. 3. fol. 61. 1.
[q] lib. 3.
[r] lib. 11.
[s] lib. 13.
[t] lib. 9. cap. 15.
[u] lib. 32. cap. 11.
[x] lib. 32. cap. 11
[y] lib. 4. de lingua latina.
[z] lib. 3.
[a] lib. 1. fo. 109. 45
[b] lib. 3. fol. 59. 40
[c] lib. 11,
[d] lib. 3. fol. 59. 7.
[e] In captiuis act. 4. sce. 1.
[f] lib. 3. fol. 61. 1
[g] lib. 3. fo. 59. 7.
[h] lib. 3. fo. 61. 2.

ter Thynnorum salsamenta connumerantur, vt non solùm M. Varro loco supra citato te-
i lib. 3. fol. 61. 10 statur, sed & Athenæus, scribens, [i] *Salsamentorum Melandryæ uocati meminit Epicharmus in Vlysse transfuga di*
cens, Vtile salsamẽtum erat ex Melandrya; Est autem Melandrys authore Pamphylo in libro de
nominibus, genus quoddam maximorum Thynnorum, quorum salsamenta sunt pinguiora; Vt verò Plinius scribit,
Thynni membratim cęsi ceruice & abdomine commendantur, atque clidio, recenti duntaxat,
& cum quoque graui ructu, cętera parte plenis pulpamentis sale asseruantur, Melandrya vocan-
tur, cęsis quernis assulis simillima, vilissima ex his quęcaudę proxima, quia pingui carent, proba-
tissima quæ faucibus; Et veluti Melandryas, propterea quòd ex Melandrye Thynnorum gene-
re, fiant, dici asserit Athenæus; eò verò quòd cæsis quernis assulis similia hæc sint salsamẽ
ta, Melãdrya vocari innuit Plinius; Sic vterque quaslibet indifferenter salitas Thynni par
tes, modo magnorum Thynnorum sint, ac cæsis quernis assulis assimilentur, Melandryas A
aut Melandrya appellare videtur; & si secus Dorion in libro de piscibus apud Athenæum
k lib. 7. f. 157. 32 sentiat, inquiens, [k] *In Gadiris Orcynorum claniculæ solæ saliuntur, uti Antacæorum maxillæ & palatum, ac ex his*
l lib. 2. cap. 30 *Melandryæ uocati fiunt salsamenta*. Postremò à Dioscoride [l] *Caro Thynnorum inueterata sale, Omotarichos uoca-*
m lib. 3. fo. 59. 25. & 33. *tur*; Cuius Omotarichi apud Athenæum Alexis & Diphilus meminere, ille, [m] *Est Omotarichos quin*
que nummum, hic verò [n] *ὠμοτάριχον, nonnulli κύτημα dixere, Estque cibus grauis lentusque, nec facilè concoquitur*, in
n lib. 3. fo. 61. 13. quiens. Et hæc sunt tum Thynnorum, tum partium eorundem nomina, ea qua potuimus di
ligentia & facilitate explicata.

DESCRIPTIO.

Si magna paruis conferre licet, Scombro similis est Thynnus, nisi quod ille ex minorũ, B
hic verò ex maiorum piscium est numero; Rostrum autem habet haud multum extentũ,
os satis magnum & denticulatum; caput rotundiusculum, oculos mediocres, branchias
vtrinque quaternas, & binas vtrinque etiam pinnas; duas ad brãchias, & duas in ventre;
præter quas in primo dorso alia vna satis magna, & plurimis aculeis munita erigitur, à
qua circa dorsum medium altera paulò minor, nec vllis aculeis armata enascitur; Et ab
his rursus pleræque aliæ multò minores pinnulæ, ac nullo aculeo horridæ, æquis interual
lis distinctæ, dorsum reliquum ad caudam vsque ornant & vestiunt; Imo præterea ventri,
statim ab ano alia vna grandiuscula, nullis innixa aculeis, tũ maribus, tum fœminis Thyn Aristoteles
nis subnascitur; & si Aristoteles dicens, [o] *Differt mas Thunnus à fœmina, eo quod fœminæ pinnula iuncta sub* notatur.
o hist. lib. 5. cap. 9. *uentre est, Aphareus nuncupata, quæ mari deest*; Et Plinius Aristotelem sequutus inquiens, [p] *Thynni mares*
p lib. 9. cap. 15 *sub uentre non habent pinnam*; Atque Athenæus [q] Aristotelis sententiam citans, eam solas fœminas C
q lib. 7. fo. 151. 44 habere crediderint; Hanc autem ani pinnam, aliæ minores pinnulæ, illis quibus vltimum
dorsum ornari diximus, numero, magnitudine, figura, ac æqualis interualli distinctione si
millimæ, subsequuntur, atque imi ventris reliquum ad caudam vsque exornant; Cauda lu
nata est, in cuius exortu vtrinque eminentia quædam conspicitur. Totius piscis figura cũ
ferè rotunda sit, in caput & caudam valde acuitur; vnde nisi paulò longior esset, ouata
videri posset. Squamis tegitur amplis, exactissimè inter se commissis, atque tenui & læ
ui corio coopertis, vnde squamis carere videtur; Et ab Aristotele [r] *non inter squamosos pisces connu*
r hist. lib. 2. ca. 13 *meratur*; Cui Diphilus etiam apud Athenæum assentitur, et si nostri vulgati codices habeãt,
squamatorum genus ueluti Thynnorum, Scombrorum, Thynnarum, Congrorum, & consimilium, gregale est; Nam luce D
clarius patet *non squamatorum*, corrigendum esse; cum eiusdem generis & Scombros, & Con- Athenæi lo
gros, vtrosque prorsus squamis carentes, faciat. Quod Thynnus autem sub illo suo læui cus corri
corio, squamis etiam (vt diximus) tegatur, elixatio ipsa indicat; Venter est subalbidus, dor gitur.
sum plumbeum, latera maiorum, liuida, minorũ verò, ac adhuc pelamidum vocatorum,
subnigris lineis, transuersis atque obliquis depicta apparent. Ventriculum magnum ha-
bet & oblongum, cui innumeræ hærent appẽdices; Intestina exilia, & pauca, tribus solùm
gyris reflexa; Hepar in plures diuisum fibras, ventriculum ambientes; Fellis vesicam
longam ex hepate exortam, ac intestinis alligatam; Ex maiorum piscium cẽsu sunt Thyn-
s clas. 2. fol. 31. A ni, vt qui vbique plurimùm excrescant; vnde à Galeno [s] *grandiores inter cete recẽsentur*; Et vt pro
t hist. lib. 8. ca. 30 didit Aristoteles, [t] *Iam captus est Thunnus senex, cuius pondus erat ad talenta quindecim, & caudæ interuallũ ad cu*

bita quinque & palmum; Quod Plinius etiam transcripsit, sed cum apud eum ita legatur, [t] *præcipua magnitudine Thynni* (vel ut nonnulli codices habent *Thynnum*) *inuenimus talenta quindecim pependisse, eiusdem caudæ latitudinem duo cubita & palmum*; vel in Plinio ex Aristotele *cubita quinque*; vel in Aristotele ex Plinio, *duo cubita* restitui debet; Verùm si huiusmodi Thynni proportionem metiamur, Plinianam lectionem veriorem censebimus, ad eiúsque censuram Aristotelicam castigabimus. [t] hist. lib. 9. ca. 15

Aristotelis locus castigatur.

LOCVS.

Marini pisces sunt Thynni, [u] *& si mari amnique communes* creduntur à Plinio; In omni ferè mari reperiuntur, frequentiores tamen in Thyrreno; Pelagiique sunt, & non litorales, ut Oppianus his versibus indicat. [x] *Innumeros addas istis, qui à littore longe,*

A *Veliferos habitant fluctus tellure relicta,*

Sunt celeres Thynni

Pelamides verò ab eodem, [y] *Inter pisces, qui æquora fluuio, aut paludi uicina, incolunt*, connumerantur; Et Aristotelis testimonio, [z] *Thunni Limariæ Amiæ subeunt pontum uere, æstatemque ibi traducunt*; Quod transcripsit & Plinius his verbis, [a] *Thynni intrant è magno mari Pontum uerno tempore gregatim*; Et paulò infra, *Cum Thynnis Amiæ & Pelamides in pontum ad dulciora pabula intrant gregatim cum suis quæque ducibus*. Vt præterea proditum est ab Aristotele, [b] *Thunni omnium maximè piscium gaudent tepore, & ob eam rem, arenam & litora adeunt, per summa etiam maris innatant, quo teporis potiatur*. Quod Athenæus quoque testatur inquiens, [c] *Cum tepore gaudeant, sæpe apud sabulum conspiciuntur*; Et ut idem prodidit, [d] *Quanuis plurimum habeat sanguinis, latitant tamen*, Latentque teste Aristotele, [e] *præaltis gurgitibus hyeme*. Vnde authore Plinio, [f] *Bruma non uagantur, ubicunque deprehensi, usque ad æquinoctium, ibi hibernant*; Et teste Aeliano, [g] *Temporum commutationem sentiunt, solstitia præclarè noscunt, nihilque ijs ad hanc rem cœlestium rerum* peritis opus est, vbi eos hyemis initium deprehenderit, ibi libenter commorantur, & ex eo loco ad vernum æquinoctium non se commouent.

B

[u] lib. 32. cap. 11.
[x] lib. 1. f. 109. 41.
[y] lib. 1. f. 108. 39.
[z] hist. lib. 8. cap. 13. lib. 6. ca. 17
[a] lib. 9. ca. 15. opp. lib. 4. f. 151. 23
[b] hist. lib. 8. ca. 19
[c] lib. 7. fol. 151. 1
[d] lib. 7. fol. 151. 4
[e] hist. lib. 8. ca. 15
[f] lib. 9. cap. 15.
[g] lib. 11. cap. 1.

PARTVS.

Theophrasto apud Athenæum authore, [h] *Coeunt Thynni post id tempus, quo latuerunt*, Vt verò tradidit Aristoteles, [i] *Coeunt mense Februario post Idus, pariunt Iunio ante nonas: Edunt sua oua condita quasi utriculo, incrementum autem partus præcipua sumit celeritate*; quod & alibi asseruit inquiens, [K] *Per æstatem* mense Iunio, Thunna circa solstitiũ parit, folliculo quiddam simile, in quo oua exigua, multaque *consistunt*; Idémque ex ipso Aristotele citauit & [l] Athenæus; Vnde cum alibi dicat Aristoteles, [m] Thunna semel anno parit; Sed quoniam partem prematurè, partem serò producat, fœtificare *bis creditur; Edit primam partem circa mensem Decembrem à bruma* (vel ut græca verba sonant *ante brumam*) *alteram uere*; aut hunc locum eius mendosum esse, aut pugnantia scribi ab eo, fateamur oportet. Oppianus etiam verno tempore Thynnos parere testatur, inquiens, [n] *Nascuntur fœtus Thynnorum tempore uerno*. Aristotele præterea authore, [o] *Thynni & Limariæ in ponto pariunt, nec usquam alibi*; Quod non solùm Plinius transcripsit his verbis, [p] *Nec alibi fœtificant Thynni, quàm in ponto*; Sed [q] Athenæus etiam eandem Aristotelis sententiam citauit. Vt verò Strabo testatur, [r] *Thynnorum* (quos pelamides appellat) *generatio in Mæoticis paludibus fit*, Quod Oppianus etiam confirmare videtur, suo supracitato versui hos subiungens.

C

Cõtradictio aut mendũ in Aristotele.

[s] Quos partus duros Thynni super hostia lata
Qua pontus miscet fluctus Meotide fusca
Collecti pariunt calamis.

D

[h] lib. 7. fol. 151. 2
[i] hist. lib. 6. ca. 17
[K] hist. lib. 5. ca. 11
[l] lib. 7. fo. 151. 45
[m] hist. lib. 5. cap. 9
[n] lib. 4. fol. 151. 16
[o] hist. lib. 5. cap. 10
[p] lib. 9. cap. 15.
[q] lib. 7. f. 159. 20
[r] lib. 7. fol. 309.
[s] lib. 4. fo. 151. 17

NATVRA ET MORES.

Aristoteles, [t] *inter gregales pisces Thunnos* connumerat; cui non solùm [u] Ouidius, [x] Plinius, [y] Aelianus, & [z] Athenæus, sed ipsa etiam experientia assentitur; Ferè .n. semper magno agmine collecto natare conspiciuntur; Et ut idem Aristoteles est author, [a] *Thunni dextrorsum terram* contingentes subeunt pontum, sed remeant contra; lęuum enim in latus se admouẽt; quod pro*ptereà facere dicitur, quia dextro oculo clarius uident sua natura, læuo hebetius*; Quam quidem sententiam [b] Plinius, [c] Aelianus, atque [d] Athenæus transcripsere; Sed cum in Plinio legatur, *Thynni dextra* ripa intrant, exeunt lęua, id accidere existimatur, quia dextro oculo plus cernant, vtroque natura *hebete*, læuo, pro vtroque, tum ex Aristotele, tum ex Aeliano, atque Athenæo, Aristotelem ci-

Plinij locus corrigitur

[t] hist. lib. 1. cap. 1. lib. 9. cap. 2.
[u] in frag. fol. 36 20.
[x] lib. 9. cap. 15.
[y] lib. 11. cap. 2. 3.
[z] lib. 8. f. 178. 10
[a] hist. lib. 8 ca 13
[b] lib. 9. cap. 15.
[c] lib. 11. cap. 1
[d] li. 7. f. 150. 52

tantibus, corrigi debet. Quod autem Thynnus sinistro oculo habetius cernat, [e] *Aeschylus etiam*
[e] lib. 11. cap. 1 (vt Aelianus refert) *testatur scribēs, Sinistrum oculum Thynni more intorquēs, coque limo & obscuro aspiciēs;*
[f] hist. lib. 8. ca. 19 Præterea vt testatum reliquit Aristoteles, [f] *Thunni & Gladij agitantur Asilo canis exortu, habēt enim utri*
que per id tempus sub pinna ceu vermiculum, quem asilum vocant, effigie scorpionis, magnitudi
[g] lib. 9. cap. 15. *ne aranei;* Quod sic trāscripsit Plinius, [g] *Animal est paruum Scorpionis effigie, aranei magnitudine, hoc se &*
Thynno, & ei qui gladius uocatur, sub pinna affigit aculeo, Idem citat & Athenæus; sed cum inquiat,
[h] lib. 7. fol. 151. [h] Est enim Thynnus piscis impetuosus, quia certis temporibus asilum habet in capite, quo scri-
12. fol. 162. 1 *bit eum Aristoteles agitari;* illud in capite, expungi debet, cum sub pinna, & non in capite, Aristo
telis testimonio illum habeat, vt ipse quoque Athenæus animaduertit, hæc suis proximè *Athenæus corrigitur*
citatis verbis subdens, *sic autē narrat; Thynni & Gladij agitantur asilo circa canis exortu; Habent enim utrique*
per id tempus sub pinna ceu vermiculum quem asilum vocant, effigie Scorpionis, magnitudine A
[i] lib. 2. f. 128. 45 *aranei;* De eadem Thynnorum ab asilo agitatione, hæc cecinit Oppianus.

[i] Dum canis ardenti turbatur sydere cœlum,
Et Thynni, & Gladii diro vexantur asilo,
Qui fixus madidis illos contundit in alis;
Non arcere queunt, nō hanc propellere pestem,
Incutit hęc celeres vires, stimulósque feroces
Concitat, armantur rabie, furiúntque dolore,
Inuitósque agitat pestis furibunda natantes;
Exhorret vulnus, bacchantur in ęquore lato,
Hi torti stimulis incursant nauibus altis
Et sępe in terram saliunt è gurgite vasto,
In tanto voluunt luctantia membra dolore,
Et vitam in tanto mutant cum morte furore,


Quòd autem sub pinna magis, quàm alicui aliæ horum piscium parti asilus hæreat, ea ra
tione fit, quia partis huius cutis tenuior est, & propterea facilius ab asilo erodi potest. A
[k] lib. 1. fo. 119. 30 partu oua sua statim vorat, vnde dirus & sceleratus iurè appellatur ab Oppiano dicēte,

[k] Ast diro Thynno non est sceleratior alter
Et nullus piscis tanta impietate notandus
Offendit quicquid rapidam demergit in aluum B
Namque soluta parēs partu, priuata dolore
Non paruis parcit natis, sęuissima mater. & alibi.

[l] lib. 4. fo. 151. 19. [l] Collecti pariunt calamis, partúque soluto,
Oua vorant subitò, & lacerāt sub dētibus atris
Quecūque inueniunt, calami iuncíque marini
Multa occulta tegunt, hęc lęti tempore veris
Pelamides gignunt:

[m] hist. lib. 8. ca. 2 Carne aluntur, & [m] *inter pisces qui carniuori tantùm sunt*, Thunnum connumerat Aristoteles,
[n] hist. lib. 8. ca. 2 & si paulò infra subdat, [n] *Amia, Thunnus, & Lupus, magna ex parte carne alūtur, sed algā etiā tāgūt,*
[o] lib. 3. fol. 137. Authore Strabone, [o] *Querna etiā quadam glāde saginatur, quæ ad mare nascitur humilis admodum, at fertilem ingē*
témque impendio producens fructum, quę quidem copiosa in ipsa etiam terra generatur Hispa-
na, ingentes sanè radices perinde ac integrę quercus habēs, quę profectò ab humili radice tolli-
tur minus. Tantum verò fructum affert, vt post maturitatem litora & extra columnas & intra, C
glande referta sint, quàm ęstus aquarum eiectat; Cęterum intra columnas semper minus ac mi-
nus reperitur; Vt autem author est Polybius, vsque Latinam ipsę glandes emittuntur, nisi Sardi-
nia quoque (inquit) & huic vicina regio ferat; Verùm Thynni ipsi quo magis columnis propin-
quant ab exteriore delati pelago, eo amplius esca deficiente macerantur; Hęc in mari belua sē
per adest plurimū glande gaudēs, cuius cibo eximiè pinguescit; cùmque glandium fuerit vbertas,
[p] lib. 7. fol. 151. 17 *& Thynnorū fit ubertas*. Vt verò [p] Athenæus refert, *Polybius Megalopolitanus ubi de Lusitania regione narrat,*
quę est in Iberia; scribit libro trigesimo quarto, quod quercus ita profundè in mari sunt planta-
tę, vt Thynni earum glandes comedentes pinguescant; Quamobrem nullus fortasse aberraue-
[q] hist. lib. 6. ca. 17 rit, si marinos sues appellauerit Thynnos; Sunt enim velut Sues Thynni glandibus nutriti.
Quod proditum est deinceps ab Aristotele, [q] *Thunnos scilicet præ nimia pinguedine dehiscere, nec plus*
quā biēnio viuere posse, huiúsque rei argumētū à piscatoribus īde deduci, quod cū aliquādo Lima D
rię anno superiore defecissent, Thunni sequenti anno defecerint, quia Limariis Thunni proue- *In Aristote*
[r] lib. 9. cap. 15. *ctiores ætate anno putantur uno;* Quodque sic trāscribitur à Plinio, *Pinguescunt & in tantum, ut dehiscant; Vi* *lē & Pli-*
ta longissima his biennio, haud indubitāter verum esse videtur; cum nō solùm ipse Aristoteles (vt *nium ani*
supra citauimus) senioris Thunni ad quindecim talēta aucti meminerit, sed quotidiana *maduersio*
etiā experiētia Thynnos capi videamus, quos corporis magnitudine, squamarū crassitie
atque carnium duritie, biēnio multò prouectiores esse, fateri oporteat; Nec piscatorum
(quo vtitur) argumētum multum habet efficacitatis.

Quod in Sturionis historia, idem in hac Thynni nobis euenit, candide lector; vt foliis scilicet, quę ei cōscribēdę dereliquimus, tota cōprehēdi nō potuerit, & propterea, quod eius reliquū est, post Sturionis historię reliquū habebis, post vltimā scilicet huius nostri primi libri historiam.


P. 39.
N. G. ξιφίας.
L. Gladius.
V. Pesce Spada.

HISTORIA TRIGESIMA SEPTIMA, DE GLADIO

NOMEN.



PISCIS trigesimus nonus à Liguribus *Emperador*, Romæ & plerisque aliis Italiæ locis, *pesce Spada* appellatus (aduertendum tamen in nonnullis locis, non hunc nostrum qui rostro, sed alium ex Galeorum genere, *Vulpem* siue *vulpeculam* (de quo loco suo pertractabimus) vocatum, vt qui cauda ensem repræsentet, pesce spada vocari) Græcè [a] *à Mucronato rostro*, [b] *quod à Græcis* ξίφος *dicitur*, ξιφίας, [c] *ab Epicharmo*, (ni mendum sit) σκιφίας, [d] *à Strabone* γαλεώτης, à nonnullísque (Hesychio & Varino authoribus) βοςινδὺς vocatur. Verùm cum Strabo de Thunnis loquens, inquiat; [e] ἐκ δὲ τῆς θήρας αὐτῶν πιαίνεσθαι τοὺς γαλεώτας (οὓς καὶ ξιφίας λέγεσθαι) καὶ κύνας φασὶ, hoc est, *ex uenatione autem eorum pinguescere Galeotas (quos & Gladios appellari) & canes ferunt*; ab eo Galeotas vocari, tum Gladios, tum canes; [f] *Eustathius*, [g] *Hermolaus Barbarus*, [h] *& P. Gyllius arbitrantur*, quorum nos repudiamus sententiam; nam cum Canis à Gladio diuersus piscis sit (vt ex historia trigesima nona, Cani pisci dicata intelligi potest) haud credendum est, eundem piscẽ Galeotam. Gladium, & canem à Strabone appellari; sed potius verba illa (οὓς καὶ ξιφίας λέγεσθαι) id est (*quos & Gladios appellari*) parentesi includi, ipsáque sola ad Galeotas referri debent, ita vt eius sententia, γαλεώτης ξιφίας etiam dicatur; ex sequentibus veró καὶ κύνας φασὶ, hoc est, *et Canes inquiunt.* illud & Canes, non ad λέγεσθαι, id est appellari, sed solũ ad πιαίνεσθαι, hoc est, ad pinguescere, φασὶ verò, id est ferunt, tum ad πιαίνεσθαι, tum ad λέγεσθαι referendum est. A Latinus autem Græcam significationem secutis, *Gladius* vocatur, vt testatur Plinius, inquiens, [i] *Xiphiam, id est Gladium*; Eodémque authore, secundum Hermolai Barbari correctionem, Thomus Thurianus etiam dici videtur; nam cum in veteri Pliniano impresso codice, in piscium catalogo legatur. [k] *Turdus inter saxatiles nobilis, Tynnus Tranus, quem alij Xiphiam uocant*. Hermolaus, vt ipsemet testatur, sic emendauit. [l] *Turdus inter saxatiles nobilis Thomus Thurianus, quem alij xiphiã uocant*; Verùm si rem diligentius perpendamus, non solùm Hermolaus locum non emendauit (sed quod pace tãti viri dictũ sit) deprauauit etiã magis. Thynnus.n. corrigi debebat, & non Tomos, quando præter id quod nemo, Tomi nomine, pro pisce vsus est vnquam, si Tomos legatur, Thunnus piscis adeo notus, & celebris, in Pliniano catalogo non haberetur, Tranus deinceps cum verè mendosè legatur, eius loco non Thurianus, vt castigauit Hermolaus, sed Thoreneus restitui oportebat, ita vt hæc sit vera Plinii castigatio, Thynnus, Thoreneus, quem alii xiphiam vocant, quam castigationem nostram manifestissimè comprobant Hesychius & Varinus loco supra citato, dicentes, βοςινδὺς ξιφίας ἰχθύς.

[a] Ael. lib. 12. cap. 63.
[b] Ath. lib. 7. fol. 157.10.
[c] Ath. lib. 7. fol. 141.49.
[d] lib. 1. fol. 22.
[e] ibidem.
[f] fol. 1715.45.
[g] in castig. Plin. et corol. ca. 226
[h] lib. de nomin. pisc. cap. 113.
[i] lib. 32. cap. 2.
[k] lib. 32. cap. 11.
[l] in castig. Plin. et in coro. ca. 226

A — B

Eustathii, Hermolai, & P. Gyllij lapsus

Hermolaus notatur.

Plinij codex corrigitur.

DESCRIPTIO

Gladius [m] *rostro est mucronato*, quo quidem mucrone manifestè adeo à cæteris distinguitur piscibus, vt quiuis vel modico negotio eum ab aliis internoscere queat, vtranque enim maxillam rostratam habet, inferiorem tamen breuem & triangularem, superiorem verò magis osseam duriorem longissimam (bicubitalem nempe aliquando) atque ensiformem; quod testatur etiam Athenæus (Aristotelis testimonio, & si apud Aristotelem id nunquam legerim) his verbis [n] *Gladius, ut inquit Aristoteles, inferiorem rostri partem paruam, superiorem uerò osseam, magnam, æqualem reliquæ ipsius magnitudini habet*; Vnde Oppianus quoque ait. [o]

& Gladio superi fortissima dona Firmarũt mento iaculũ mucrone corusco
Aptarũt mẽbris, atque arma horrenda dederunt; Erectũ, tensũm, duraque in cote politũ. D

Scribítque & Aelianus, [p] *Sed quod magnam uel audientium, uel legentium admirationem moueat, in Mucronem rostrum procedit, & rectum porrigitur, sensimque & leniter in longitudinem & crassitudinem augetur, & cum ad certam magnitudinem peruenit, illius Mucro triremis rostro similis est*; Dentibus caret, vt supra citato etiã loco notauit Athenæus; Fauces officulis quibusdã horrent; Oculi arbiculati sunt; [q] *Branchiæ* (vt tradit Aristoteles) *octonæ & duplices*. In dorso pinnas duas gerit, superiorem magnam & prope caput, inferiorem exiguam propéque caudam; Corpore tereti est, à capite statim val-

[m] Plin. lib. 32. ca. 2.
[n] lib. 7. fo. 157.8.
[o] lib. 2. f. 127.60
[p] lib. 12. cap. 64.
[q] hist. lib. 2. ca. 13

de crasso, deinde ad caudam vsque tenuiori sensim facto; in cuius extremo ante caudæ
exortum, non secus quàm in Thynno, vtrinque eminentia quædam extuberat; Caudam
Thynni etiam instar falcatam habet; Non squamis, sed cute tegitur, manibus caudam ver
sus contrectata, læui; caput verò versus, aspera; Ventre est argenteo, tergore ex cinera-
ceo nigricante, [r] *Fellis uesica intestinis* (vt Aristoteles asseuerat) *committitur*, reliquæ partes inter- [r] *hist. lib. 2. ca. 15*
næ, ab internis Thũni partibus, de quibus superiore historia egimus, non differũt; Ad tãtã [s] *lib. 9. cap. 15.*
molẽ excrescit, [s] *ut* (Plinio authore) *crebrò Delphini magnitudinem excedat*. quãobrẽ & Oppian. cecinit [t] *lib. 3. f. 141. 6.*

Hic gladii immanes & vasto corpore degunt, Qui superant reliquos ingenti mole natantes.

Plinius [u] *Inter pisces maris peculiares Gladium* connumerat, pelagiúsque est, litus rarissimè adiens; [u] *lib. 32. ca. 11.*
vt Ouidius testatur his versibus.

A [x] Descripsit sedes varias natura profundi, Hippuri celeres, & nigro tergore Milui, [x] *in frag. fol. 36. 19.*
Nec cũctos vna voluit consistere pisces, Et pretiosus Helops nostris incognitus vndis,
Nã gaudẽt Pelago, quales Scõbríq; Bouésq; Ac durus xiphias ictu non mitior ensis:

Et Opp. [y] Innumeros addas istis, qui à litore lõgè Sũt celeres Thunni, qui pisces impetu vasto
Veliferos habitant fluctus tellure relicta, Pellunt, & Gladii diro mucrone potentes [y] *lib. 1. f. 109. 41.*

Aelianus verò vnus omnium veterum (quod sciam) non marinum solùm sed fluuiatilem
etiã Gladiũ facit, [z] *Eum iner Danubij pisces recensens*, subdẽsq; *Capitur in mari & Danubio, quod & salsa
& dulci aqua delectetur.* [z] *lib. 12. cap. 64.*

NATVRA, ET MORES.

Ferox & robustissimus piscis est, vt locis supracitatis Ouidius, inquiens.

Ac durus xiphias ictu non mitior ensis, & Oppianus dicens, *Et Gladij diro mucrone potentes*,

testati sunt; qui quidem Oppianus alibi hæc quoque de Gladii mucrone cecinit.

[a] Ferrea nõ solũ superare adamantina posset Hoc posset durã quéuis cõfringere cautẽ, [a] *lib. 2. f. 128. 4.*
B Spicula, duricie tanta se tollit ab ore, Tantus inest horror consurgit acumine tãtus,
Impetus, & vires tantas in vulnere mittit:

[b] *Ab hoc etiam mucrone naues per fossas mergi in oceano, ad locum Mauritaniæ, qui Cotta uocatur, non procul à Lyco flu
mine author est* (vt Plinius refert) *Trebius niger*; Eius præterea ferociæ Strabo quoq; testis est, Gla- [b] *lib. 32. cap. 2.*
dii nanque venationẽ pertractãs, hæc subdit, [c] *Contingit interdum & remigẽ in scapha per magnũ galeota
rũ Gladiũ uulnerari, & cũ instar apri beluæ uigeat impetus, asperrimè fit ipsa uenatio*; idẽ cõprobat Opp. inquiẽs [c] *lib. 1. fol. 23.*

[d] Cum sunt perfossi sua mẽbra tricuspide telo Sepe repellẽtes hostem mucrone carinã
Irati penetrant: [d] *lib. 3. f. 141. 14.*

Et Aelianus scribens, [e] *Maxima etiam cete propellit & ulciscitur, non quidem armis ex ferro confectis, sed natura
comparatis*; vt ii qui magnitudine processerunt, contra nauem mucronem in eam defigentes, ve [e] *lib. 12. cap. 64.*
nire audeant; Quidam gloriantur se spectauisse nauem Bithynę in litus expulsam, atque eiectam
vetustate aut vacuitate oneris, atque in eam Gladii caput inspexisse, cuius cum in nauem mucro
nẽ suũ defixisset, & nullis viribus ipsũ retrahere quiuisset, corpus colli neruis retẽtũ fuit & rostrũ
C *infixũ, ut à principio inciderat, remãsit*; Durũ autẽ adeo atq; robustũ mucronatũ, viuẽtis Gladii ro-
strũ, Gladio extincto inualidũ, & inefficacius reddi, opinatur Oppian. vt his versib. indicat,

[f] Cum Gladii gelidos dissoluit spiritus artus, Corruptus subitò languet fortissimus ensis,
Cũ domino pereunt vires, telũque relinquũt: [f] *lib. 2. fo. 128. 14*

Carne vescitur, vt Aelianus quoque asseuerat dicens, [g] *Neque modo cũ cibi inopia urgetur mucronati ro
stri incursu pisces interficit atque exest. sed etiam maxima cete propellit, & ulciscitur*, Strabonéq; (vt supra citaui [g] *lib. 12. cap. 64.*
mus) [i] atq; Eustathio autorib. *Thynnorũ qui gregatim præter Italiã acti elabũtur, & Siciliã attingere probibẽtur* [h] *lib. 1. fol. 22.*
uenatione pinguescit. nil tamẽ cũ edere priusquã mucrone trãsfixerit, author est Opp. his verbis. [i] *fol. 1715. 45.*

[k] Non viuũ quicquã, non quicquã morte peremptũ Trigones, Gladiíque vorãt ni spicula figãt
Antea, purpureo laniéntque cadauera telo, [k] *lib. 2. f. 128. 11.*

D Cum autem Plinius de pastinaca loquens scribat, [l] *Hanc tamen persequitur Galeos, idem & alios quidẽ
pisces, sed pastinacas præcipuè, sicut in terra serpẽtes Mustela, tãta est auiditas ipsius ueneni*, Gladius ab eo Galeos [l] *lib. 32. cap. 2.*
Strabonem, à quo Galeotis (vt diximus) vocatur, imitato, appellari videtur, [m] *Asilo, canis ex-* [m] *hist. lib. 8, ca. 19*
ortu (vt inquit Aristoteles) Thunni & Gladii agitantur, habent enim per id tẽpus sub pinna ceu
uermiculũ (quẽ οἶστρον id est Asilum uocant) effigie Scorpionis, magnitudine Aranei, infestat hoc tanto dolore, ut non minus [n] *lib. 7. f. 151. 13.*
interdum Gladius, quàm Delphinus exiliat, unde fit, ut uel in nauigia sæpenumero incidat; [n] Hoc (Aristolele citato) *confirmat
& Athenæus*; idemq; Plinius ex Aristot. mutuatus scribit his verbis; [o] *Animal est paruum, Scorpionis ef* [o] *lib 9. cap. 15.*
figie, aranei magnitudine; Hoc se & Thynno, & ei qui Gladius uocatur, crebrò Delphini magnitudinem excedenti, sub pinna

affigit aculeo, tantoque infeſtat dolore, ut in naues ſæpenumero exiliant; Verùm cum in Ariſtotele,loco proxime citato,*ut non minus interdum Gladius quàm Delphinus exiliat*,habeatur, in Plinio verò præcitato loco,in quo dubio procul Ariſtotelē tranſcribit,*crebrò Delphini magnitudinem excedenti*, legatur; aut Pliniū Ariſtotelici loci ſentētiā aſſecutū nō fuiſſe(quod magis ſuſpicor) aut mēdoſū locū eius eſſe, ad Ariſtotelicamqȝ cenſuram corrigendum arbitrari debemus; De eadem Gladii canicularibus diebus ab aſilo agitatione, hæc cecinit Oppianus, *Plinius notatur.*

[p]lib.2. fo.128, 45. [p]Dum canis ardenti turbatur ſydere cęlum,
Et Thunni,& Gladii diro vexantur aſilo
Qui fixus madidis illos contundit in alis,
Nō arcere queunt; nō hāc propellere peſtē
Incutit hęc celeres vires,ſtimulóſque feroces
Concitat,armātur rabie, furiūtque dolore,
Inuictóſque agitat peſtis furibūda natātes,
Exhorret vulnus, bacchantur in ęquore lato
Hi torti ſtimulis incurſant nauibus altis,
Et ſępe in terrā ſaliunt è gurgite vaſto.
In tanta voluūt luctantia membra dolore.
Et vitam in tanto mutant cū morte furore,

Cur autem ſub pinna potius quàm alicui reliqui corporis parti hæreat aſilus, in ſuperiore hiſtoria Thunno dicata,declarauimus. A

QVA ARTE CAPIATVR.

[q]Hex.Home.7. *[r]lib.1.fol.22.* Cum Gladii(vti diximus),[q]ac D.etiā Baſilius teſtatur,*immanes ſint & horribiles*, haud facilis iucūdáue eorum eſt captura,ſed periculoſa & atrox,[r]*Quæ circa Scilleum tractum (Strabone authore) ſic inſtituitur;*Manentibus in ſtatione frequentibus remorum duorūſcaphis, ſpeculator quidem cōmunis ſupernę inſtat,duos ſingulę ſcaphę tenent, alter remigat,alter haſtam hahens manet in prora;Cum primum verò ſpeculator ſupereminentiam Galeotę ſigno indicat, beluę verò ſupra mare pars tertia ęminens fertur ſcapha propius appellitur; Deinde iacto manu telo, vulnus incutit;tum euulſa ſine cuſpide de corpore haſta,quod telum ſanè eſt hamatum,vt educi facilè queat, aptéque infixo ei funiculo,appenſum ſauciatę acclinant belue, donec agitata ſuffugiéſque laſſetur,Tunc in terram ſubducūt,aut intra ſcapham accipiunt,niſi prorſus immenſum corpus exiſtat;Quód ſi in mare telū exciderit,haud ſanè perit,eſt nāque vel è quercu, vel ex abiete compactū,adeo vt querna grauitate demerſū; deinde in ſublime relatū facilè poſſit apprehendi,contingit autem interdū & remigē in ſcapha per māgnū Galeotarū Gladiū vulnerari, & cū inſtar apri *beluæ uigeat impetus,aſperrimè fit ipſa uenatio*,conſimilē Gladii capturā [s]Oppianus etiam ſcribit. B

[s]lib.3.fol.141.3. *[t]lib.3.fo.140.53* Capiuntur præterea hamis quoque,vt idem edocet.[t]Poſtremò & Retibus eos capi idem Oppianus author eſt his verbis.

[u]lib.3.fo.141.29 [u]Obliquis ſeptum linis dementia fortem
Interimit piſcem, ſalit atque euadere certat:
Contextas fraudes cedit,nec mente reuoluit,
Quopacto telo ſeſe componat in hoſtem
Territus in ſepto retis,totúſque remiſſus
Eſt animo donec miſerum per litora voluat
Piſcator gladiique caput diuerberat haſtis
Multis,& piſcis peragat crudelia fata:

[x]lib.11.cap.2. *[y]lib.3.fol.135.13* Verùm Aelianus ſcribens,[x]*Cum Thynni circumretiti tenentur, Neptuno malorū depulſori piſcatores uota faciūt, ne Gladius piſcis in captiuorum numero ſit, Nam ſæpe Gladius,qui iam ſit ætate confirmata, lacerato reti Thynnorum gregi irretito ad ſe exuendum ex laqueis facultatem dedit*,ſecus ſentire videtur, cui nos quoque ceu veriſimilia magis aſſerenti, aſſentimur, Poſtremò [y]*Gladios Hippuro falli & capi*,teſtatū reliquit Oppian. *Oppiani & Aeliani controuerſia* C

PRAESTANTIA, VT NVTRIAT, ET VT CONDIATVR.

[z]lib.12. cap.64. *[a]Atheu.lib.7.fo. 157.10.* Natu grādiores,non ſecus quàm reliqui cetacei piſces, durā atque inſipidā carnē habēt;Iuniores verò teneriores & ſapidiores ſunt; Vnde cū [z]*omni tempore teneros atque gratos eſſe teſtetur Aelianus*;de his minoribus intellexiſſe credēdū eſt; quippe qui ſapore vel nobilioribus piſcibus comparari poſſint; & ſi carnis teneritudine, atqȝ friandi facilitate cum ſalubrioribus nō ſint cōferendi,eam.n. duritie atqȝ mollitie mediocrē; friabilē verò haud multùm habēt;& propterea neqȝ admodū facile cōcoquuntur(concocti tamē multū nutriūt) neqȝ vndequaqȝ optimū ſuccū gignūt[a]. *Archeſtratus in Byzantio eū celebrem eſſe, caudaque maximè commendari teſtatur*, noſtro verò iudicio, & experientia, caput eius atqȝ abdomen partibus cæteris dubio procul præferri debēt; Elixus Gladius(quo etiā modo paratus ſuauior eſt) comedi cōſueuit; alicubi autem grandiores, non ſecus quàm Thunni, in fruſtra diſſecti ſaliri ſolent. D


P. 40.
N. G. Ζύγαινα.
L. Libella.
V. Ciambetta.

HISTORIA TRIGESIMA OCTAVA

DE LIBELLA

NOMEN.



HIC noſter quadrageſimus piſcis, quem Romæ *Ciambetta*, & in aliquibus Italiæ locis *peſce Martello*, in aliíſque *peſce Baleſtra* (eo quod ſua figura vtrumque repræſentet, aduertendum tamen eſt, non hũc A
ſed ſeptuageſimum ſextum noſtri ordinis, Romæ *peſce Baleſtra* vocari) ac Maſsiliæ *peis Iouzion* (quod capitis tempora ceu cornicula promineant, Iudæorum more, qui ſic olim Maſsiliæ induebantur) in Hiſpania verò *peis Limo*, & *Toilandalo* vocant; à Græcis ζύγαινα dicitur, ἀπὸ τοῦ ζυγοῦ. Nam cum ζυγὸς boum iugum, & libram ſiue bilancem, nec non librile tranſuerſum, ex quo lances dependent, ſignificet; his omnibus, ſui corporis forma ζύγαινα piſcis ſimillimus eſt. Cum verò nullus latinorum (quod quidem ſciam) eius meminerit, latino nomine caret. Quamobrem Theodorus Gaza in Ariſtotelis verſione, ζύγαιναν, *Libellam* interpretatus eſt. Verùm cum Libella fabrile inſtrumentum ſit ab Italis *Arcopendolo* vocatum, ad cuius ſimilitudinem nequaquam piſcis iſte accedit, Theodorum (ignorata nominis Libellæ proprietate) vti libra bilancem ſignificat, ita Libellam, paruam bilancem ſignificare ratum, ζύγαιναν, *Libellam* vertiſſe ſuſpicor; cum Libram potius, Libriléve, aut iugum vertere oportebat. Hunc autem piſcem noſtrum, Græcorum ζύγαιναν eſſe, præter id, quod ex eius figura, Græcam nomenclaturam egregiè æmulante, manifeſtè intelligitur; iјs etiam omnibus declaratur, quæ zygenæ à veteribus tribuuntur; vt quæ ei probè reſpondeant. Quamobrem à Petro Gyllio deficiendum eſt, quippe qui hunc piſcem noſtrum ab Ariſtotele non ζύγαιναν, ſed [a] σφύραιναν, à Theodoro verò non *Libellam* ſed *Malleum* appellari arbitratur; ea (vti opinor) coniectura ductus, quòd alicubi (vt diximus) *peſce Martello* vocetur, quódque malleo ſimillimus ſit; qua nos ceu leui & friuola reiecta, nonum noſtri ordinis piſcem σφύραιναν (vt octaua hiſtoria docuimus) hunc verò ζύγαιναν eſſe, procul dubio aſſeueremus. Quem vnà cum Theodoro, ne nomina nouare videamur, *Libellam* vocabimus.

B — *Theodorus notatur.*

Petri Gyllii error.

[a] *Lib. de nom. piſc. cap. 31.*

C

DESCRIPTIO.

Quemadmodum Gladius ſuo enſiformi roſtro, ita & Libella ſuo monſtroſiſſimo, ac præter aliorum piſcium ordinem fabrefacto capite, à piſcibus cæteris facillimè dignoſcitur; illud enim non rotundum, non roſtratum, non faſtigiatum, neque in latera compreſſum, quale in piſcibus reliquis eſſe ſolet; ſed (quod ei peculiare eſt) in latera extenſum atque tranſuerſum habet. Cuius quidem frons, anteriórve pars (quæ vtroque clauditur oculo) vti anterius in ſemicirculum ferè extuberat, ſic ita in aciem acuitur, vt dum celeriter piſcis natet, obuios piſces ſecare poſſe credatur. In medio extremæ vtriuſque lateralis partis, capitis, oculi ſunt magni, rotũdi, deorſum potius quàm in latus aut ſurſum ſpectantes. In vtraque præterea vltima frontis parte oculis proxima, oblongum inſculptum eſt foramen, auditui, olfactuíve, aut vtrique (vt arbitror) ſubſeruiens. Os ſubtus inferiore parte permagnum habet, dentibus validiſſimis, acutiſſimis, planis, in latuſque ſerræ modo vergẽtibus, triplicique ordine digeſtis, armatũ; linguam latam, humanæ haud abſimilem; branchias vtrinque in lateribus quinas & detectas, cæterorum Galeorum inſtar; in dorſo pinnas duas, vnam capiti proximam & maiorem, alteram prope caudam & minorẽ; Binaſque alias vtrinque, priores & maio- D

res ad branchias, posteriores verò & minores in medio ventre; post quas rursus alia vnica & parua prope caudam è regione alterius minoris in dorso existentis, imo ventri subest. Cauda pinnis duabus in æqualibus constat, quarum superior vertebris fulcitur, ac multò longior est; inferior verò vertebris caret, breuiórque extat. Corpore rotundo est & oblongo. Vnde iure ab Aristotele [b] *Inter longos pisces numeratur*. Non squamis sed corio tegitur; venter albus est, tergus verò cineraceum. [c] *Fellis uesica iecori adnectitur*, vt Aristoteles etiam notauit; pro spinis cartilagines habet. Quapropter sicuti cartilagineis piscibus annumerandus est, sic inter Galeos etiam reponi debet. Cum longi cartilagineique pisces, Galeodes vel Galei (vt historia trigesima nona declarabitur) com- A muni nomine appellentur. Ad tantam augetur magnitudinem, vt [d] à Galeno, à P. Aegineta, atque [f] ab Aeliano *Inter cete recenseatur*.

[b] Hist. li. 2. ca. 15.
[c] Hist. li. 2. ca. 15.
[d] Clas. 2. fo. 31. A
[e] Lib. 1. ca. 94.
[f] lib. 10. cap. 2.

LOCVS.

Libella vti cetaceus piscis est, ita etiam pelagius & non litoralis; quemadmodum Aelianus quoque testatur his verbis, [g] *Ad litora, aut minimè profunda loca, aut breuia, ex cetaceo genere nullum appropinquat, sed in alto & profundo uersantur. Eximia autem magnitudine existimantur, Leo, Libella, Pardalis, Physiter Pristis, Maltha belua inexpugnabilis, Aries vel ipso aspectu infestissimus, procul enim licet compareat maris procellas & tempestates ciet & agitat.* Idem comprobat & Oppianus inquiens.

[g] Lib. 10. cap. 2.

[h] In littus pauca exiliunt, quę corpore vasto
Sunt, hęc veliferis semper voluuntur inundis;
B Magno horrore Leo, post hos horrenda Sygena;
Antherę variç maculis, Ranęque furentes,
Atque Melanthion gentes, & dente timenda
Pristis, lętiferum Lamnę fędumque barathrum,
Mollicie nomen Maltę quę ferre videtur,
Cornu aries pugnax, & sacrum pondus hyenę,
Atque pudenda canum gens & furibunda propago.

[h] Lib. 1. fol. 112. 48.

Quamobrem cum haud longè à litore piscari soleant piscatores, eas perrarò, & minores solùm (vt quæ fortuitu ad litus adnatarint) capi videmus.

NATVRA ET MORES.

C Terribilis piscis est Libella, vt supracitato loco Oppianus etiam & [i] D. Basilius asseuerant; atque robustissimus, vt idem quoque Oppianus confirmat dicens,

[i] Hex. Hom. 7.

[K] Et quis vastus aper superabit robore Lamnam?
Qui tantùm fului pręstant virtute Leones?
Quantùm sub fluctu fertur pręstare Sygena.

[K] lib. 5. fol. 155. 40.


Non solùm enim pisces reliquos etiam magnos, atque natantes homines, si qui obuij occurrant, suæ frontis acie vulnerare ac subuertere, sed amplo etiam ore & valde denticulato dilaniare solet. Vnde qui piscãdi, aut quauis alia causa lõgius à litore per pelagus natant, non ab re eam exhorrescunt. Aeliano authore, [l] *cum sit aspectu infausto, infelicique, non est prospera nauigantibus.*

[l] Lib. 10. ca. 2.

VT SAPIAT ET NVTRIAT.

Vbi capitur Libella, vilissimus piscis habetur, eoque solùm infimæ plebis homines D vescuntur, nec in meritò cum Galeno etiam authore, [m] *durus & insuauis sit*. Et vt idem alibi scribit [n] *Non secus quàm reliqua cete, ex quorum numero est, duram & praui succi atque excrementitiam carnem habeat; Quapropter sale prius condientes, ipsis ut plurimùm utuntur; alimentum, quod ex ipsis in corpus distribuitur, ea salitura tenuius efficientes, eoque coctioni, & sanguini faciendo accommodatius; Nam recens horum caro ni ualde probè concoquatur, crudorum succorum copiam magnam in uenis congerit.* Hoc idem [o] Paulus quoque Aegineta, Galenum vt sui moris est sequutus, confirmat.

[m] Clas. 2. fo. 30. B. C.
[n] Clas. 2. fo. 31. A
[o] Lib. 1. cap. 94.


P. 41
N. G. κύων γαλεός.
L. Canis galeus.
V. Canosa.
P. 42
N. G. Ἀλώπηξ
L. Vulpecula
V. Pesce sorcie
R. 11
130


HISTORIA TRIGESIMA NONA, DE CARTILAGINEIS.



CVM quadragesimus primus piſcis noſter, atque plerique alij ſequentes, cartilaginei ſint; priuſquam eorum peculiares aggrediamur hiſtorias, de cartilagineorum natura generaliter pertractandum duximus. [a] *Cum itaque* (Ariſtotele teſte) *Animalium alia ſanguinea, alia uerò exanguia ſint; quemadmodum exanguia in quatuor prima* genera diuiduntur (In mollia, quę foris carne molli obducta ſolidum intus, modò ſanguinei generis, continēt, vt Loligines, Lolii, & Sepię; In cruſtata, quę cruſtis tenuibus operiuntur, & partem ſolidam
E foris, mollem verò & carnoſam intus continent atque durū tegmen non fragile ſed colliſile habent, vt Cancri, & Locuſtę; In teſtata, quę ſilicea teſta concluſa muniuntur, hoc eſt, quibus pars carnea intus, ſolida foris fragilis atque ruptilis, non colliſilis eſt, quale genus Concharum & oſtrearum eſt; Et in inſecta (quorum multa & varia ſunt genera) quę, vt nomen ipſum indicat, inciſuras parte ſui vel ſupina vel prona vel etiam vtraque habent; nec oſſeum quicquam diſcretum aut carneum, ſed quiddam inter hęc ipſa medium continent; quippe quę corpore pariter intus foriſque duro conſtent) Ita etiam ſanguineorum quamplurima genera ſunt, vt homo, equus, auis, piſcis, cetus, & denique omnia, quę aut perfecta pedibus carent, aut binis quaternis ve *pedibus ambulant*. Et vt idem præterea auctor eſt; [b] *ſanguinea omnia dorſi ſpina conſtant; cætera oſſa aliis* inſunt, aliis deſunt; Vt enim partes corporis quę habentur, ita oſſa quoque ad partes accommodata habentur. [c] Spina enim eſt, quod lōgitudinē ac rectitudinē cōtinet animalium. Sed cū corpus inflecti per animalis motū neceſſe, ſit ita conſtat; vt & vna ſit propter cōtinuitatē & multipartita propter vertebrarū diſtīctionē. [d] Eſt nāque vertebrarū cōpages à capite ad coxas
F exporrecta; [e] Ex qua cętera oſſa, in omnibus iis quę oſſa habent, oriuntur & continuantur; Nec ab re addidit in omnibus ijs, quæ oſſa habēt; nā vti dorſi ſpina in aliquib⁹ animalibus oſſea, in alijs ſpinea, in nō nullis verò cartilaginea eſt; ſic in illis oſſa, in alijs ſpinæ, ī his verò cartilagines ſunt, quæ ex ſpina enaſcūtur, aut ei cōtinuātur, atq; per corpus reliquū ad cæteras ſubſtinēdas partes diſtribuūtur. Quod quidē nō ſolùm verū eſſe, ſed qua etiā ratiōe factū ſit, edocet Ariſtoteles. Poſtq; enim declarauit sāguinea atq; viuipara aīalia ob robur quo pollēt, oſſibus cōſtare; ſubdidit; [f] *Sanguineis autē non uiuiparis na*tura aliquātū degenerat, vt volucribus, quāuis enim habeāt oſſa, tamē imbecilliora; Inter piſces, ſpinā, qui oua pariūt, habent; ſerpentibus etiā natura oſſium ſpinacea eſt, pręterquā magnis; robur enim eorū validiora exigit firmamēta; eadē qua & viuiparis ratione. At cartilaginea nomine, ſpinā ex cartilagine habēt, motū enim eorū eſſe molliorē neceſſe eſt; itaque fulcimēti genus nō rigidū ſed mollius eſſe oportuit; Adde quod terrenā omnē materiē ad eorū cutē cōficiēdā
G natura abſūpſerit; pluribus autē locis ſimul tantūdē exuperātię diſpēſare natura nō poteſt; quoniā etiā in viuiparo gēere oſſa cartilaginoſa cōplura habētur, ſcilicet in iis quibus expedit molle mucoſūque eſſe, quod ſolidū habetur, ratione carnis obductę; vt auribus ac naribus eueniſſe apertū eſt; prominētiora enim ſi rigida ſint, frangi celeriter poſſent. Natura verò eadem oſſis & cartilaginis eſt, quāquam pluris minoriſque ratione intereſt; quapropter neutrū pręciſum recreſcere poteſt. Vacāt medulla cartilagines terreſtriū aīalū diſcreta; quod enim in os diſcretū cōtinetur, id mixtū per totū facit, vt cartilago res mollis mucoſāque cōſtituatur. At in cartilagineo gēere, ſpina dorſi, quāuis cartilaginoſa, medullā habet; vicē eīm oſſis hęc pars tenet ī eo gēere. Quib⁹ quidē verbis, nō ſolúm cartilaginea reperiri aīalia, ſed eò etiā ab alijs sāguineis aīalib⁹ differre, quòd cū cætera aut oſſib⁹ aut ſpinis fulciātur, hæc cartilaginib⁹ ſtabiliūtur, manifeſtiſſimè patet. Aīaduerti aūt debet, quòd licet aīalia tū oſſa, tū ſpinas habētia, tū terreſtria tū aquatilia reperiātur [g] (*uti enim Delphinus īter aquatilia nō ſpinas, ſed oſſa; ita inter ter*
H *reſtria minores ſerpētes nō oſſa, ſed ſpinas habēt*) Cartilaginea tamē, aquatilia tātùm ſunt. Nullū enim hucuſq; terreſtre atq; ſāguineū aīal, cartilagineū vidim⁹. Quēadmodū autē cartilago à Græcis χόνδρος dicitur; ita etiā antiquit⁹ cartilaginea aīalia [h] χονδράκανθα, id eſt, cartilagineā ſpinā habētia, dicta fuere primùm. Deinceps veró σελάχη, σελαχώδη, & σελάχια, vocari cœperūt. Nā vt Plini⁹ teſtatur, [i] *Cartilaginea græcè in uniuerſū ſelache appellauit Ariſtoteles primus, hoc nomine eis impoſito; nos diſtinguere nō poſſumus, niſi cartilaginea appellare libeat*. Cur autē ſic appellata fuerint, Galen⁹ declarat ī quiēs, [k] *Cartilagineorū aīaliū cutis eſt aſpera, ac noctu ſplēdicās, ideoque nōnulli ἀπὸ τοῦ σέλας ἔχειν, hoc eſt, quia ſplēdorē habeāt, σελάχια ipſa aiunt fuiſſe nominata*. Latinè verò vt ex præcitato Plinij loco colligi licet, cartilaginea vocātur. Quorū plura gēera ſunt; ſed priuſq; ea diſtinguam⁹, ac de eorū vnoquoq; ſeorſū atq; gēeratim ptractem⁹; de ijs, quæ cōmuniter ipſis vel īſunt, vel à veterib⁹ tribuūtur, differēdū eſt. Ariſtotele igitur authore, [l] *Cartilaginea ſquamis carent, ſed aſpera cute muniuntur, quoniā ſpina cartilaginea conſtāt; terrenā portionem natura inde ad cutem tranſ=*

[a] Hiſt. Lib. i. cap. 4. 6. Lib. 4. cap. i.
[b] Hiſt. Lib. 3. cap. 7.
[c] De Part. Lib. 2. cap. 9.
[d] Hiſt. Lib. 3. cap. 7.
[e] De Part. Lib. 2. cap. 9. Hiſt. Lib. 3. cap. 7.
[f] De Part. Lib. 2. ca. 9 Hiſt. Lib. 3. cap. 7.
[g] Hiſt. Lib. 3 cap. 7. De Part. lib. 2. cap. 9.
[h] Hiſt. Lib. 3. cap. 7.
[i] Lib. 9. cap. 24.
[k] Clas. 2. fol. 31. A.
[l] Part. Lib. 4. cap. 13.

tulit, inque eius aſperitatem abſumpſit. Idem Galenus etiam loco ſupra citato aſſerit dicens; [m] *Cartilagineorum animalium aſpera eſt cutis.* Verùm ſicuti cartilaginea ſingula verè ſquamis carēt, ſic haud ea omnia aſpera cute operiuntur (& ſi reuera maximæ eorum parti id conueniat) Rana nanque marina, Torpedo, Paſtinaca, Aquila, Læuiraia, & Læuis muſtelus (vt in peculiaribus eorum hiſtorijs patebit) non aſpera, ſed læui cute teguntur. Vnde iuré alibi dixit Ariſtoteles; [n] *Cartilagineorum alia aſpera, alia læuia ſunt.* Et vt idem author eſt, [o] Sunt diſcrimina in animalibus; Aliis enim os ante & pronum eſt, aliis infra parte ſupina; vt Delphinis & cartilagineo generi. Quam ob rem hęc niſi conuerſa reſupinentur, cibum corripere nequeunt; quod natura non modò ſalutis gratia cęterorum piſcium feciſſe videtur (dū enim ſe ſe iſta conuertunt; mora intercidit, qua piſcis, quem inſectantur, euadere poſſit; nam omnia id genus rapina piſcium viuunt) verùm etiam ne nimis ſuam deuorandi auiditatem explerent; A cum enim facilius caperent, breui per immodicam ſatietatem perirent; Et pręterea cum roſtrū *eorū ſtructura tereti ac tenui ſit; facilè ſcindi in oris hiatū nō poteſt.* Verùm haud quaquā cartilaginea ſingula ſupina parte os habent; cùm Lampetræ, Ranæ marinæ, atque Squatinæ (vt in eorum hiſtorijs explicatur) non ſubtus in ſupina parte, ſed ante in extremo roſtro os ſit.

In Ariſtotelem animaduerſio.

Vt etiam ab Ariſtotele proditum eſt; [p] *Branchias detectas habet genus omne cartilagineū, cauſa eſt, quòd* cartilagine tum earum tegmenta conſtant. Genus autem hoc omne cartilagineam habet ſpinam; motus etiam cartilaginei generis lentus pigerque eſt; quoniam non ſpina aut neruo corroboratur. Contra genus ſpinatum celeriter fertur. Tegmentum autem quod branchias operiat, celeriter moueri oportet, cum brāchiarum natura quaſi ad ſpirandi vſum piſcibus data ſit. Quā ob rem in ſpinatis non modo tegmentum verùm etiam ipſi brāchiarū meatus contrahūtur *ut celerius agatur.* Et alibi idem tradidit [q] *Quæ tegumento carent, cartilaginea dico, iis ſi plana ſunt, parte inferiore, ſupinàque branchiæ habentur, ut Torpedini & Raiæ; ſed ſi oblonga ſint, eorum lateribus adhærent, ut in quouis muſtelino genere cernitur.* B Vt verò paulò infra ſubdidit; [r] *In muſtelino genere branchiæ duplices & quinæ utraque ex parte ſunt.* Quod quidem non ſolùm in muſtelis, ſed in planis etiam veriſſimum eſt. Scriptum quoque reliquit Ariſtoteles; [s] *Differunt non nulli mares cartilaginei generis à ſuis fœminis; eò quòd maribus bina quædam circa excrementi oſtium pendent, quibus fœminæ carent; ut perſpici in genere muſtelorum poteſt; in his enim, quod dixi, omnibus eſt.* Conſpiciuntur autem bina illa ex ano pendentia, non in muſtelis ſolùm, ſed & in planis etiā. Eodem teſte, [t] *Cartilaginei iecur duplicatum habere uidentur.* Et alibi, [u] *Iecur è uiſceribus adipeum non nullis conſiſtit, ut inter aquatilia cartilagineis; quorum iecinoribus colliquatis oleum facimus; ipſa tamen cartilaginea nullo diſcreto adipe carni, uentrìue adhærente pingueſcunt.* Vt præterea idem prodidit Ariſtoteles, [x] *Piſces qui oua pariunt, uuluas bifurcatas habent, atque inferius poſitas; cartilaginea uerò ea ſpecie potius habent, qua aues; ſed intereſt, quòd oua non iuxta præcordia omnibus, ſed infra non nullis per ſpinam conſiſtunt, unde aucta in altum transferuntur locum.* Et rurſus infra ſubdidit, [y] Omnia cartilaginea ſimul & oua parte ſuperiore circa pręcordia continent complura, alia minora C alia maiora; & inferiore animalia iam excluſa; vnde fit vt genus id piſciū ſępius in menſe & pariat & coeat; quippe quod non vniuerſa edere ſoleat, quę conceperit; ſed particulatim repetēs ſępe, & diu peragens; vt dum ſuperius oua contrahit, inferius concoquat atque perficiat. Alibi verò ſic teſtatum reliquit; [z] *Cartilagineorum nec fœminæ ſuos conceptus, neque mares ſuum ſemen* ſpargere viſuntur; cum generis non viuipari piſces fœminę oua, & mares ſemen ſpargere ſoleāt; cauſa verò eſt, quòd genus cartilagineum ſemine minime abundat; vuluas etiā fœminę ad ſeptū poſitas cōtinēt; ęque enim mares à maribus, & fœminę à fœminis differunt; ſunt enim cartilaginei *minus copioſi genitura.* Et alibi dixit; [a] *ſuperfœtant cartilaginea genera, & ferunt uterum menſibus complurimum* ſenis. Et cum tempus pariendi inſtat, repetunt litus & vada, pelago & alto relicto gurgite; ut *neque tepore careant, & progeniem tutius collocent.* Et vt rurſus alibi; [b] *cartilaginea & uiperæ cum intra ſe oua* generent, mox animal foras pariunt; perfectum generant ouum, ita enim ex ouo animal gignitur, ex imperfecto autem nullum. Non extra hęc pariunt oua, quia natura frigida ſunt, nō quia D *calida, ut quidam uolunt.* Idem, & alio loco teſtatus eſt dicens, [c] *Pariunt oua omnes qui ſquama conteguntur, animal omnes qui genere cartilagineo cōtinentur, excepta rana.* Quod ſic ex eo tranſcripſit Plinius, [d] Et cum cęteri piſces oua pariant, cartilagineum genus ſolùm, vt ea quę cete appellant, animal *parit; excepta, quam Ranam uocant.* Poſtremò vt ſupra etiam citauimus, teſte Ariſtotele, [e] *Cartilaginea omnia rapina piſcium uiuunt, nec cibum corripere queunt, niſi conuerſa reſupinentur.* Quod ſic tranſcribitur à Plinio, [f] *Omnia autē carniuora ſunt talia, & ſupina ueſcuntur, ut in Delphinis diximus.* Et ut idē teſtis eſt Ariſtoteles, [g] *Omne cartilagineum genus latet diebus frigidiſſimis.* Apud verò Athenæum [h] Diphilo authore, *cartilaginea omnia carnem concoctu difficilem habent, ſuccumque flatuoſum gignunt, aſſiduuſque & diuturnus eorum uſus uiſum hebetiorem facit.*

[m] Claſ.2.fol, 31. A
[n] Hiſt.lib.2.cap. 13.
[o] Part.lib.4.cap. 13.
[p] De part.lib.4. cap.13. Hiſt.lib. 2.cap.13. & lib. 1.cap.5.
[q] Hiſt.lib.2.cap. 13.
[r] Hiſt.lib.2.ca.13.
[s] Hiſt.lib.5.cap.5.
[t] Part.li.3.ca.7.
[u] Hiſt.li.3.ca.17.
[x] Hiſt.li.6.ca.10.
[y] Hiſt.li.6.ca.10.
[z] De gene.lib.3. cap.7.
[a] Hiſt.li.6.ca.11.
[b] De gene.li.1.ca. 10.li.3.ca.1. Hiſt.li.6.ca.10.
[c] Hiſt.li.2.ca.13. de gene.lib.3. cap.1.
[d] Lib.9.cap.24.
[e] De part.lib.4. cap.13.
[f] Lib.9.cap.24.
[g] Hiſt.lib.8.cap. 15.
[h] Lib.8 fol.177. 46.

CARTILAGINEORVM GENERA.

His ſic declaratis, iam cartilagineorum genera diſtinguamus. Cum igitur Ariſtoteles (vt ſupra etiam citatum fuit) dixerit; [i] *Quæ tegumento branchiarum carent, cartilaginea dico, iis ſi plana ſunt parte inferiore ſupinaque habentur branchiæ; ut in Torpedine & Raia; ſed ſi oblonga ſunt, eorum lateribus adhærent, ut in quouis muſtelino genere cernitur*; cartilagineos piſces in planos & longos partitus eſt. Qui autem, & quot ſint plani & cartilaginei, in hiſtoria quadrageſima quinta explicabimus. Nunc verò de longis (de quibus, priuſquam de planis, pertractamus) diſ-

E ſerere oportet. Longi igitur & cartilaginei piſces (nam longi quoque & ſpinoſi repe riuntur, vt illi ſunt, quos in libri huius principio exhibuimus) illi ſunt & dicuntur, qui cum ſpinarum vice cartilagines habeant, corpus non latum & planum (vt cartilaginei & plani) ſed longum & rotundum habent. Quorum et ſi non vnum, ſed multiplex (vt infra declarabimus) genus ſit; omnes tamen communi & generali vocabulo ab Ariſtotele modò [k] γαλεοὶ, modò [l] γαλεοειδεῖς, modò [m] γαλεώδη; à [n] Galeno verò γαλεοὶ, & γαλεώνυμοι, appellantur. Quæ nomina à figura, vel habitu muſtelæ terreſtris animalis, indita videntur; vnde & Theodorus muſtelos & muſtelinum genus vertit. Latinorum autem nullus (quod ſciamus) præter Plinium, horum piſcium meminit; Cum enim Ariſtoteles, Raia, Paſtinaca, atque Squatina recenſitis, ſubderet, [o] *Cartilaginea verò præter ea quæ numerauimus, ſunt Bos, Lamia, Aquila, Torpedo, Rana, omneque genus muſtelorum*;

F eandem ſententiam ſic tranſcripſit Plinius, [p] *planorum piſcium alterum genus eſt, quod pro ſpina cartilaginem habet; ut Raiæ, Paſtinacæ, Squatinæ, Torpedo, & quos Bouis, Lamiæ, Aquilæ, Ranæ, nominibus græcis appellant; quo in numero ſunt Squali quoque, quamuis non plani*; in quo quidem loco, ſicuti muſtelorum ſiue galeorum piſcium mentionem feciſſe Plinium certiſſimum eſt; ſic num Galei, Squali (vt in codicibus eius legitur) ab ipſo dicti fuerint, iurè dubitari debet. Nam cum Squalus [q] M. Varronis, [r] Columellæ, & [s] Plinij Valeriani Medici (qui ſoli, vt in hiſtoria decima ſexta declarauimus, eius meminerunt) teſtimonio, *certa quædam ſpecies piſcium ſit, fluuiatilis atque dulcis aquæ alumna*; haud rationi conſentaneum videtur, γαλεὸν piſciū genus, atque marinorum piſcium, Squalum vocari à Plinio. Adde quod cum alibi apud eundem Plinium legatur [t] *Sargi, Torpedo, Squali, circa æquinoctium pariunt*; ibi quoque

G Squali, pro Squatina, dubio procul mendoſè habetur; vt in hiſtoria noſtra quinquageſima manifeſtiſſimè monſtrauimus. Vnde & illud Ariſtotelis [u] καὶ πάντα τὰ γαλεώδη, id eſt, vt vertit Theodorus, omneque genus muſtelorum; non Squali, ſed græco ſeruato vocabulo, Galei vertiſſe Plinium; temporis verò tractu, deprauantibus ſcriptoribus, Galei in Squali (accedente etiam lapſus facilitate) perperam abijſſe; certè credimus. Eſt hic tamen animaduertendum (ne nominum decipiamur ſimilitudine) [x] γαλεὼς Straboni, [y] & *Galeos* Plinio, *non genericum ſed ſpecificum nomen eſſe; Gladiumque piſcem ſignificare*; vt in hiſtoria trigeſima ſeptima declarauimus. Galeorum autem plura eſſe genera (vt diximus) non ſolùm Ariſtoteles, Oppianus, Galenus atque Athenæus teſtantur; ſed illa etiam numerant. Ariſtoteles enim [z] σκύλιον, ſiue νεβρίον, ἀκανθίαν, ἀλώπεκα, λεῖον

H [a] ἀστερίαν & κύνα; [b] Oppianus κύνα, σκύμνον, λεῖον, ἀκανθίαν, ῥινὴν, ἀλώπεκα, & ποικίλον; [c] Athenæus, ἀστερίαν, ἀκανθίαν, λεῖον, ποικίλον, σκύμνον, ἀλωπεκίαν, & [d] γαλεὸν ῥοδιακὸν; Galenus verò γαλεξίαν; galeorum genera fecere; dequibus omnibus ſeorſum & generatim iam pertractabimus, ab ipſo γαλέου κυνὸς, id eſt, galeo cane, exordientes.

Plinii locus corrigitur.

[i] Hiſt. lib. 2. cap. 13.
[k] Hiſt. lib. 5. cap. 10.
[l] Hiſt. lib. 6. cap. xi.
[m] Hiſt. lib. 5. cap. 5.
[n] Claſ. 2. fol. 30, B
[o] Hiſt. lib. 5 ca. 5.
[p] Lib. 9. cap. 24.
[q] Lib. 3. de re ruſt. cap. 3.
[r] Lib. 8. cap 16.
[s] Lib. 5. de re med. cap. 43.
[t] Lib. 9. cap. 51.
[u] Hiſt. lib. 5. ca. 5.
[x] Lib. 1. fol. 22.
[y] Lib. 32. cap. 2.
[z] Hiſt. li. 6. ca. 10.
[a] Hiſt. lib. 6. cap. xi.
[b] Lib. 1. fol. 10. 25. græce.
[c] Lib. 7. fol. 147. 29.
[d] Lib. 7. fol. 147. 37.
[e] Claſ. 2. fol. 30. B

HISTORIA QVADRAGESIMA DE CANE GALEO.

CANVM PISCIVM GENERA, ET NOMENCLATVRAE.



VM de cane Galeo (in præsente historia) atque de Catulo (in quadragesima quarta) agendum sit; vt limatior reddatur pertractatio; commonere primùm oportet; Canum pisciũ non vnum, sed tria esse prima genera; vt Aelianus testatur inquiens; [a] *Canicularum marinarum tria sunt genera quarum maximæ quædam inter cete robustissima numerantur; ex reliquis duobus generibus, aliud Galeos, aliud centrina appellari solet; quod colore uarium est, Galeus nominatur; reliquum genus qui centrinas appellauerit, non errabit; eis innati sunt aculei duri, & aduersus omnia resistentes; quorum alter in capitis summo uertice, alter in cauda est, atque uenenatum quiddam habent. Postrema duo genera paruarum canicularum in cœno capiuntur.* Quod Oppianus etiam comprobat, sic Aeliani sententiam transcribens. A

[a] Lib.xi.cap. 8.

[b] Atque pudenda Canum gens & furibunda propago,
Diuisa in gentes ternas; hęc horrida visu,
Cum Cetis numerata furit per marmoris vndam;
Quę restant alię cœno merguntur in alto;
Pugnaces inter pisces centrina vocatur B
Altera, quòd stimulis credatur noxia nigris.
Tertia dicetur Galeorum nomine turba.
Ast galeis alias gentes numeramus, Acanthas
Lęuesque, & Catulos, Squatinas adiungimus istis
Vulpes,& Varios; cœno merguntur in alto.

[b] Lib.I.fol.112. 56.

Quorum authorum testimonio, primum Canum genus (vt patet) aliorum omnium ferocissimum atque maximum est; vnde inter Cete iurè connumeratur; ab eisque à [c] Strabone, atque à plerisque alijs, simpliciter generis nomine, κύων; à Theophrasto [d] καρχαρίας; à [e] Nicandro verò colophonio in linguis, non solùm καρχαρίας, sed λαμία etiam & σκύλλα vocatur. Cuius primi generis iconem, historiamque vniuersam, in secundo libro nostro (inter reliqua cete) exibebimus. Secundum ab aculeis, quibus horret, quosque Græci κέντρα appellant, κεντρίνης dicitur; cui historiam quinquagesimam tertiam dicauimus. Tertium ex Galeorum piscium est censu. Et licet Oppianus Aelianum transcribere videatur, haud tamen vterque vnum & eundem piscem, tertium Canum genus facere videtur. Aelianus enim, cum illud colore varium esse testetur; non nostrum quadragesimum primum piscem (cuius nunc pertractamus historiam) qui haud varius est, sed potius quadragesimum quintum verè varium atque ab alijs σκύλιον & σκύμνον appellatum, tertium Canum genus constituere videtur (vt in historia etiam quadragesima quarta declarabimus) Oppianus verò, cum suum tertiũ Canum genus, variũ non faciat atq;, ἀπὸ τοῦ σκύμνου, id est, à Catulo distinguat, vt ex verbis eius supra citatis, clarè constat, piscem nostrum quadragesimum primũ, & non quadragesimum quintum, tertium Canum genus facit. C D

[c] Lib.I.fol.22.
[d] Lib.4. de plan. cap.8.
[e] Athe.lib.7.fol. 155.12. Eust.fol.1714. 36.

PISCIS NOSTRI QVADRAGESIMI PRIMI NOMEN.

Noster itaque quadragesimus primus piscis, quem Romæ communi quibusdam etiam alijs Galeis nomine (Spinaci scilicet & Læui) *pesce palombo*, & propria nomenclatura *Canosa* nuncupant; Massiliæ verò *pal*, & Græci nostri temporis σκυλλόψαρο appellant; tertium Canum genus est Oppiani; quem vti loco supra citato, simpliciter Galei nomine vocauit; sic alibi, vt eum, tum ab alijs galeis, tum à reliquis duobus Canum ge-

neribus diſtingueret, Canem galeum appellauit, inquiens, [f] *γαλεοί τε κύνες, καὶ φῦλα κελαινῶν κεντροφόρων*, hoc eſt. Et galei canes, & gentes nigris aculeis armatæ; & non vt vertit Lippius, *Et galei & Catuli*. Ariſtoteles verò cum neque primū, vt in hiſtoria carchariæ dicata (quæ libro noſtro ſecundo habetur) neque ſecundum Canum genus, vt in quinquageſima tertia hiſtoria declaratur, cognouerit; hunc eundem piſcem noſtrum ſimpliciter *κύνα* vocauit, ſcribens, [g] *Muſteli igitur genuſque omne muſtelinum, ut Vulpecula & κύων*, id eſt, Canis, *& plani, ut Torpedo, Raia, Læuiraia, Paſtinaca, modo quo diximus, gignunt animal, cum intra ſe oua pepererint.* Nec eſt, vt dicamus, aut primum, aut ſecundum, potius quàm tertium canū genus, ab eo *κύνα* vocari; quando canis eius, vt ipſius verba demonſtrant, ex galeo-

[f] Lib. 4. fol. 44 40. græce.

Lippii lapſus.

[g] Hiſt. lib. 6. cap. 11.

E rum ſit numero; primum verò & ſecundum canum genus, galeis non adnumerentur. Nec etiam iure aſſerere poſſumus (vt alicui videri poſſet) *Σκύλιον*, cuius pouló ante mē tionem fecerat Ariſtoteles, *κύνα* ab eo appellari; cum ipſe ſynonymis vti nominibus non conſueuerit. Vnde cum Ariſtotelis *κύων*, ab eius *σκύλιου*; Oppiani verò *κύων γαλεός*, ab ipſius *σκύμνου* diſtinguatur; non ab re hunc piſcem noſtrum, illorum *κύνα γαλεόν* eſſe aſſeueramus; quando præter id, quòd tum Romana, tum Græca vulgaris eius nomenclatura id efficaciter admodum innuunt (vulgò enim vt diximus, Romæ Canoſa, & à Græcis noſtri temporis *σκυλλόψαρο* vocatur) ſi hunc, canem galeum non fecerimus; neque vllus alius piſcis, qui canis galeus cenſeri poſſit, proferri; neque aliud nomen, ex illis, quæ à veteribus tributa ſunt galeis piſcibus, huic adaptari poterit; cum

F ea omnia ſuis accommodata ſint piſcibus; vti in peculiaribus eorum hiſtorijs patet. Huius autem piſcis, & ſi Ariſtoteles, atque Oppianus (vt declarauimus) meminerint, Latinorum tamen nullum mentionem eius feciſſe ſcimus. Nam cum Virgilius dicat; [h] *Ah timidos nautas canibus laceraſſe marinis*; non de cane noſtro galeo, ſed de primo canum genere intelligit; vt in Carchariæ hiſtoria declarabitur, atque ex verbis eius cōijci poteſt. Plinium verò caniculæ mentionem facientem, non hunc noſtrum canem galeum, ſed primum etiam canum genus, caniculam nuncupare; certiſſimum eſt. Primùm enim [i] *Caniculam ipſam inter cete atque marinas beluas connumerat*; ad quam molem hic piſcis noſter non excreſcit. Scribit præterea, [K] *Canicularum maxima multitudo circa eas* (ſcilicet ſpongias, de eis enim loquitur) *urinantes, graui periculo infeſtat; ipſi ferunt & nubem quandam craſeſcere ſuper capita, planorū* piſcium ſimilem, prementem eos, arcentemque à reciprocando; & ob id ſtilos pręacutos lineis

[h] Aegloga 6.

[i] Lib. 32. cap. 11.

[K] Lib. 9. cap. 46.

G annexos habere ſe ſe; quia niſi perfoſſę ita non recedant, caliginis & pauoris, vt arbitror, opere. Nubem enim & nebulam (cuius nomine id malum appellant) inter animalia haud vllam comperit quiſquam. Et cum caniculis atrox dimicatio; Inguina & calces omnemque candorem corporum appetunt. Salus vna in aduerſas eundi, vltroque terrendi; pauet enim hominem ęquè ac terret. Et ſors ęqua in gurgite, vt ad ſumma aquę ventum eſt, ibi periculum anceps, adempta ratione contra eundi dum conetur remergere; & ſalus omnis in ſociis, funem illi religatum ad humeris eius trahunt, hunc dimicans, vt ſit periculi ſignum, lęua quatit, dextra apprehenſo ſtilo in pugna eſt; modicus aliàs tractus. Vt prope carinam ventum eſt; niſi pręceleri ui repente rapiant, abſumi ſpectant; Ac ſępe iam ſubducti, è manibus auferuntur: ſi non trahentium opem, conglobato corpore in pilę modum, ipſi adiuuere. Protendunt quidem tridentes alii, ſed monſtro ſolertia eſt nauigium ſubeundi, atque ita è tuto pręliandi. Omnis ergo cu*ra ad ſpeculandum hoc malum inſumitur.* Quæ haud quaquam huic piſci noſtro tribui poſſunt;

H quippe qui neque tam ferox & audax eſt, neque præceleri adeò rapina vti poteſt; cum os ſupina parte habeat. Et propterea (Plinio etiam authore) [l] *non niſi ſupinus ueſcatur, cæterorum cartilagineorum, atque Delphini inſtar*; cuius Delphini, ſic idem alibi teſtatum reliquit, [m] *Ac niſi multùm infra roſtrum os illi foret medio penè in uentre, nullus piſcium celeritatem eius euaderet; ſed affert moram prouidentia naturæ; quia niſi reſupini atque conuerſi non corripiunt.* Poſtremò cum Theophraſtus de rubro mari pertractans, inquiat; [n] *Mare hoc beluis refertum, pluresque Carcharias* (ſiue vt vertit Theodorus, caniculas) *habet; in tantùm, ut nare tutum non ſit*; hunc eius locum tranſcribens Plinius Carchariam interpretatus eſt caniculam, dicens; [o] *Caniculis referta; ut uix proſpicere è naui tutum ſit, remos plerunque ipſos inuadentibus.* Quam ob rem cum hic piſcis noſter, *κύων γαλεός*

[l] Lib. 9. cap. 24.

[m] Lib. 9. cap. 8.

[n] Lib. 4. de Hiſt. plan. cap. 8.

[o] Lib. 13. cap. 25.

græcè appellatus, latino nomine careat; nos græcam imitantes nomenclaturam, *Canem galeum* eum vocabimus.

DESCRIPTIO.

Etsi canis galeus, tum galeorum, tum canum genere, cum Catulis conueniat; corporis tamen forma, colore, atque magnitudine, reliquis galeis similior est quàm Catulis. Rostrum enim acutum habet & rotundum; oculos mediocres, & oblongos; & post eos bina foramina, vtrinque vnum, auditui inseruientia. Os in supina parte extat, valde denticulatum; & ante ipsum, duo alia foramina olfactui dicata, in sculpta sunt; vt in capitis Icone seorsum expicta, videre est. Branchias quinas vtrinque & detectas in lateribus habet; quas binæ pinnæ, vtrinque scilicet vna, sequuntur; aliæque rursus duæ supina parte, ex vtroque nempe podicis latere vna, exoriuntur. Præter quas, maribus (vt in historia trigesima nona explicatum est) duæ appendices, vtrinque vna, ex podice pendent. In dorso binæ etiam singulares pinnæ eriguntur, prior & maior, in eo ferè medio; posterior & minor, caudæ proxima; è cuius regione altera etiam singularis imo ventri hæret. Cauda in geminam & inæqualem pinnam degenerat; superior nanque pars eius maior, inferior verò minor est. Corpus totum oblongum est & rotundum; à podiceque in extremam vsque caudam sensim gracilescit. Non squamis sed corio tegitur. Ventre est albo, corpore reliquo cinereo. Vētriculum magnum habet, & intestina etiam ampla; hepar bifidum, & pallidum; cui fellis vesica subnectitur; splenem verò subrubrum. Ad multam magnitudinem excrescit; ita vt aliquando centenas etiam libras excedere soleat.

A

B

LOCVS ET PARTVS.

Maris peculiaris piscis est canis galeus; in dulci enim aqua nusquàm (quód sciamus) reperitur. Cœnosa potius quàm saxosa maris loca incolit. Vnde Oppianus (vt supra etiam citauimus) dixit. Quæ restant aliæ cœno merguntur in alto. Oua, vitellis ouorum galinæ, simillima gignit; quæ, neque vinculo vllo, vtero alligantur; neque vllo testaceo inuolucro teguntur. Et propterea piscis iste, σκύλιον, siue Catulus, esse non potest; quando teste Aristotele (vt quadragesima quarta declaratur historia) [p] *Catuli oua testaceo quodam contineantur*. Ex huiusmodi autem ouis, in ventre canis galei fœtus non solùm gignuntur, sed nutriuntur etiam atque augentur; donec demum foras perfecti excludantur. Parit enim animal; vt testis est Aristoteles, inquiens (vt supra etiam citauimus) [q] *Musteli igitur genusque omne mustelinum, ut Vulpecula, & canis; & plani, ut Torpedo, Raia, Leuiraia, Pastinaca; modo quo diximus, gignunt animal cum intra se oua pepererint*; atque Oppianus, scribens; [r] *At Canis, atque Aquilæ, & quæcunque selachia dicunt.*

C

Et Delphini ponti princeps, Vituliquè marini,
Hi pariunt fœtus, fœtus æquare parenti.
Posses, optatę cernunt cum tempora lucis.

[p] Hist lib.6.cap. 10.
[q] Hist.lib.6.cap. xi.
[r] Lib.1 fol.117. 27.

NATVRA ET MORES.

D

Gregalis piscis est canis galeus; atque carne vescitur; nec solùm vt reliqua cartilaginea carniuorus est, sed multò etiam magis; quippe qui pluribus & maioribus armatus dentibus, atque robustior sit. Vnde neque etiam maioribus, ne dum minoribus, piscibus parcit; quinimo ubi maximè excreuerit, natantes etiam homines aggreditur. Et cum Aelianus scribat, [s] *Canicula marina simul atque pepererit, nulla mora interposita, suos par=*

[s] Lib.xi.cap. 9.

nulos simul cum ea natantes habet; si quis verò eorum timeat ingreditur rursus per genitalia in ventrem matris, ubi timor abierit, is prodit, tanquàm rursus editus; de cane galeo intelligendum est, vt testis est Oppianus, sic prædictum Aeliani locum transcribens;

[t] Et canis æquoreus fœtus, mirabile dictu, — [t] Lib.1.fol.119.6.
Custodit, Catuli teneri post terga sequuntur.
Fœtibus est scutum genitrix, illosque tuetur,
Sed cum formidant (pelago sunt multa timenda)
Accipit in ventrem natos, iterumque recurrunt,
Vnde prius lapsi fuerant, & ventre teguntur.
E Et quamuis partus fuerit cruciata dolore,
Vt mater lęto perpessa est omnia vultu;
Atque iterum charos fœtus in viscera condit,
Atque parit rursus, cum respirare timore
Cęperit, & tutas speculetur marmoris vndas.

Quòd Oppianus autem hîc canem galeũ, & non Carchariam, canem appellet; ex eò clarè patet, quòd fœtus suos intra se recipere, carchariæ nemo, galeis verò tũ Aelianus, tũ Aristoteles tribuit. ille enim scribit, [u] *Mustelus marinus cũ timet de suis, eos recipit intra seipsum, ac rursus eadẽ uia eosdẽ reuomens, iterum uiuos & incolumes parit.* Hîc verò inquit; [x] *Cæteri Musteli fœtus suos & remittunt & recipiunt intra seipsos; quòd idem & squatinæ, & torpedines faciunt; sed spinax unus ex Mustelis, recipere prolem spinæ impedimento non potest; neque uerò Pastinaca, & Raia, ex planis recipiunt, propter caudæ asperitatem. Rana etiam suam non recipit sobolem; tum capitis magnitudine, tum aculeorum impedimento.* Et licet A-F ristoteles neque causam neque viam receptus proferat; vtrunque tamen supracitati authores explicant; solius enim timoris causa, atque in vuluam eos intra seipsos recipiunt. Præterea cum testatum etiam reliquerit Aelianus, [y] *Piscandarum paruarum caniculaxrum ratio hæc est; album piscem illecebram ad eas captandas demittunt; ex his si qua capiatur, cæteræ omnes hoc uidentes, in captam insiliunt; ac eam, nisi repellantur, hamo ex profundo extractam, ad nauem usque insequuntur. Inuidia quadam hoc eas facere existimares; quasi illa quæ capta est, sibi uni escam aliquam prædata alicunde esset; atque ex ipsis nonnullæ in nauem insilientes, sæpe sua sponte capiuntur*; id quoque de cane galeo intelligendum esse, indicat Oppianus, sic præcitatum Aeliani locum transcribens.

[u] Lib.12.cap.62.
[x] Hist.lib.6.cap.10.
[y] Lib.xi.cap.8.

[z] Atque canes galei pereunt, atque agmina ponti, — [z] Lib.4.fol.147.12.
Quę stimulis feriunt; seruant dum pignus amoris,
Auxiliumque ferunt perituris fœdere certo;
Piscator properat qua cœni est alta vorago,
G Et manibus longis hamum demittit in vndas;
Cui super affixus piscis candore nitenti;
Ex templo ad Catulum furtim mucrone reuulsum
Ardentes currunt socii, nauemque sequuntur;
Agmina tunc figes insana tricuspide telo,
Tunc circunducta retis capientur in aluo.
Non dant terga fugę, nisi tractum fune sodalem
Cernant, tunc vnà fortes occumbere tentant.
Non aliter mœsti veniunt ad funera patres,
Defuncti nuper nati, tractique dolore,
Cum gemitu plangunt pectus, nec busta relinquunt
Nec tristes cupiunt proprias remeare sub ędes.
Hęrent impliciti tumulo, frustraque laborant;
Et cupiunt vnà cum nato claudere vitam;
H Sic isti nunquam conuulsum ad funera piscem
Destituunt, donec casu moriantur eodem.

VT SAPIAT ET NVTRIAT.

Insuauem & duram carnem habet canis galeus; & propterea ægrè con-
coquitur, atque vilis vbique habetur, nec nisi à pauperibus
plebeisque hominibus comedi solet; elixum enim,
cum eo intinctu, quem (propterea quòd
allio conficiatur) alliatum vo
cant, mandunt.

A

HISTORIA QVADRAGESIMA PRIMA DE VVLPECVLA.

NOMEN.



ISCIS noster quadragesimus secundus, qui Romæ atque
plerisque alijs locis, ob longam atque falcatam caudam, *pesce spa
da*, vocatur (aduerti tamen debet, Gladium etiam piscem, vt B
qui rostro ensem ræpresentet, *pesce spada* vocari, vt in trigesima
septima diximus historia) à Græcis Ἀλώπηξ & Ἀλωπεκίας; à La-
[d] Lib. 8.fol.177. 41. tinis verò Vulpes & Vulpecula appellatur. Et Propterea quòd
(vt author est apud Athenæum Diphilus) [d] *gustu similis sit terrestri ani
mali; hoc nomen obtinuit*. Eundem præterea (authore Archestrato apud Athenæum) κύνα
πίονα, id est, *canem pinguem uocant Syracusani*; quam sententiam infra citabimus, & excutie-
mus. Hunc autem piscem nostrum, Vulpem esse; haud inconsultò asseueramus;
quando præter id, quod omnia Vulpi pisci à veteribus attributa, ei respondent; nisi
hunc Vulpem faciamus, neque vllum alium ex galeis proferre piscem, quem Vul-
pem esse arbitremur; neque huic aliud nomen, ex his, quæ galeis veteres indide-
runt, aptare possumus. Credere enim quinquagesimum sextum piscem nostrum,
Vulpem esse (vt non nulli opinantur) erroneum est; vt in historia quinquagesima ter C
tia declarabimus.

DESCRIPTIO.

[b] Hist. Lib. 6. cap. 10. Vt in trigesima etiam nona citauimus historia, [b] Aristotele, [c] Oppiano, atque
[d] Athenæo authoribus; *Vulpes piscis ex galeorum genere est*. Rostrum enim acutum habet; os
[c] Lib. 1. fol. 10. 25. græcè. mediocre, acutissimis dentibus munitum, & vt galei reliqui, in supina parte positum;
& si non adeò infra rostrum, vt in cæteris galeis esse solet. Oculis, foraminibus audi-
[d] Lib. 7. fol. 147. 29. tui & olfactui inseruientibus, branchijs, atque pinnis; cum cane galeo (de quo supe-
riore pertractauimus historia) conuenit. Corpore autem & cauda, tum à cane galeo,
tum à galeis alijs differt. Corpus enim crassius atque breuius, caudam verò longio- D
rem multò habet, quàm reliqui. Ita vt cauda eius (quæ, vt diximus, falcata & quo-
dammodo ensiformis est) corpus reliquum magnitudine non solùm æquet, sed supe
ret etiam; in cuius quidem caudæ exortu, supina parte, pinnula conspicitur. Cute
tegitur. Ventre est candido; dorso verò cineraceo. Ventriculũ habet amplum; inte
stina lata, iecur in duas fibras diuisum, & pallidum; cui fellis commissa est vesica; &
splenem subatrum. Non minus quàm canis galeus augetur; adeò vt aliquando non
secus quàm ille, vel ad centenas libras excrescat.

LOCVS, ET PARTVS.

[c] *Inter peculiares maris pisces*, *Alopecias connumeratur* à Plinio, & iurè; cum in solis salsis aquis nascatur & degat. Loca autem maris cœnosa potius quàm saxosa, & litoribus remota potius quàm eisdem proxima, incolit. Aristotele autem teste, [f] *Oua ad præcordia continet super mammas; quibus ut descenderint, iam absolutis, fœtus innascitur*. Vnde eodem authore; [g] *Vulpecula, quemadmodum & reliqui cartilaginei tum longi, tum plani, gignit animal cum intra se oua pepererit*. Et cum natis fœtibus timet, vt testis est Athenæus, [h] *eos in os suscepit, rursusque emittit; metu scilicet transacto*.

[c] Lib. 32. cap. xi.
[f] Hist. lib. 6. cap. 10.
[g] Hist. lib. 6. cap. xi.
[h] Lib. 7. fol. 147. 36.

NATVRA, ET MORES.

Soliuagus piscis est, & propterea non gregatim, sed singulares capi conspiciuntur. Carniuorus est; & satis ferox; piscibus enim vel grandioribus vescitur. Astutus etiam E est, vt testatum reliquit Aristoteles his verbis. [i] *Qui autem centipeda appellatur ubi hamũ deuorauerit, euomit foras sua interiora, donec hamum eiiciat; tum recipit intro, ac valet eadem, qua ante salubritate, Appetitus his quoque nidorulentulorum vt terrestribus est; mordet nõ ore, sed tactu totius corporis, similiter vt quę Vrticę vocantur. Pisces qui Vulpes nuncupantur cum se de glutisse hamum senserint; sibi opitulantur, vt centipedę; longius nanque sese efferentes hami li neam abrodunt; capiuntur enim locis non nullis hamo multiplici gurgite pręalto & fluctuoso.* Quod sic transcripsit Plinius, [K] *Scolopendræ terrestribus similes, quas centipedas uocant, hamo deuorato omnia interanea euomunt, donec hamum egerant; deinde resorbent. At Vulpes marinę simili in periculo glutiunt amplius usque ad infirma lineæ, quæ* (vel, vt à quodam castigatũ scimus quam) *facilè prærodant*. Idemque prodidit & Oppianus, inquiens,

[i] Hist. Lib. 9. cap. 37.
[K] Lib. 9. cap. 43.

[l] Ast amię celeres, et Vulpes fraude reuinctę
F Pręueniunt summas morsu confringere setas.
Hinc piscatores plumbum de cuspide nectunt,
Plumbum, quod pisces cruciaret dente remoto.

[l] Lib. 3. fol. 134. 27.

Vnde cum Aelianus scribat; [m] *Quemadmodum Vulpes terrena animal fraudulentum existimatur; ita etiam marinę Vulpi machinatio quędam, atque solertia ad declinandas insidias, attributa est. Principio enim ad hamum non accedit; aut simul vt hunc deuorarit; statim tamquàm vestem inuertens, & interiora sua euomit; & ad hunc modum ferrum expellit.* Vulpi ab eo tribui, quod centipedi tribuerat Aristoteles; ea potius ratione factum suspicor, quòd ipse Aristotelis locum non rectè intellexerit, quàm quod Vulpi etiam id conuenire, experimento obseruauerit. Nam cum dixerit Aristoteles, Vulpes (vt paulò etiam supra citauimus) cum se deglutisse hamum senserint, sibi opitulantur vt G centipedæ; non debet intelligi, quòd eodem astutiæ modo vtantur; sed quòd simili in periculo (vt interpretatus est Plinius) vtraque constituta, vtraque suo astu ad euitandum hamum vtitur.

Aeliani lapsus.

[m] Lib. 12. cap. 60.

VT NVTRIAT.

Marina Vulpes duram, excrementitiam, atque concoctu difficilem carnem habet; & non solùm insipidam, sed etiam virosam; grauem enim adeò, atque ferum odorem resipit, dum manditur; vt verè terrestris Vulpis saporem redolere videatur. Vnde huic pisci Vulpis nomen [n] Diphilo apud Athenæum authore (vt supra etiam citauimus) inditum est. Et propterea vbique vilis, atque plebeius piscis existimatur; nec nisi ab infimæ plebis hominibus in cibum admitti solet. Quamobrem cum Archestratus, apud Athenæum inquiens,


[n] Lib. 8. fol. 177. 41.

In Archestratum animaduersio. H

[o] Accedens Rhodios mustelum corripe Vulpem
Vel moriturus; vbi nolunt tibi vendere, furto
Corripe; quem Siculi pinguem dixere canem; mox
Iam perfer quodcunque tibi fera fata dedere;


[o] Lib. 7. fol. 147. 43.

& sapidissimam & pinguem, marinam Vulpem facere videatur; aut apud Rhodum solùm eiusmodi esse Vulpem marinam; aut, præter aliorum antiquorum morem (quod magis credimus) alium ab hoc nostro piscem, tenerum, & pinguem, Vulpem ab eo vocari, arbitrandum; quando hic noster (qui verè vt monstrauimus, veterum Vulpes est) reliquis locis omnibus, ingrati & ferini saporis sit; atque omnis pinguedinis, & teneritudinis expers.






P 47
N. G. γαλεος ἀκανθίας.
L. Mustellus Spinax.
V. Scazone.


P. 44.
N. G γαλεὸς λεῖος
L Mustelus læuis
V pescie Palombo.

HISTORIA QVADRAGESIMA SECVNDA

DE MVSTELO SPINACE.

NOMEN.



ISCIS quadragesimus tertius, qui Romæ à nonnullis (communi Galeis quoque alijs nomine) *pesce Palombo*, ab alijs verò (peculiari ei nomenclatura) *Scazone*, à Venetis *Azio*, à Liguribus *Aguseo*, à A
Massiliensibus *Aquilat*, & à Gallis *Chien demer* appellatur; à Græcis (ob duos aculeos, quibus tergus eius horret) γαλεὸς ἀκανθίας dicitur. Latino autem nomine caret, propterea quòd apud nullum veterũ Latinorum, aliqua eius reperitur mentio; vnde Theodorus Gaza γαλεὸν ἀκανθίαν in Aristotelis versione, græci vocabuli ratione seruata, primus omnium Mustelum Spinacem conuertit; quem nos quoque sequuti, hunc perpetuò Spinacem Mustelum vocabimus.

DESCRIPTIO.

Spinax ex Galeorũm genere est, vt [a] Aristoteles, [b] Oppianus, atque [c] Athenæus testati sunt; B
[a] Hist. li. 6, ca. 10. Et licet tũ ad Canis galei (de quo in historia quadragesima egimus) tum ad læuis Mu-
[b] Lib. 1. fol. 113. 3. steli (de quo in sequente pertractabimus historia) figuram proximè admodum acce-
[c] Li. 7. fol. 147. 30. dat; ab vtroque tamen manifestissimis internoscitur notis, vt procedente historia declarabimus. Rostro autem est acuto, oculis mediocribus & oblongis, post quos duo insculpta sunt foramina auditui dicata; os habet in supina parte, magnis & acutissimis dentibus armatum; quibus dentibus à læui Mustelo differt, quippe qui edentulus est. Et ante os alia gemina apparent foramina olfactus gratia fabrefacta. Brãchiæ in lateribus vtrinque quinæ, & detectæ sunt. Et pinnæ etiã vtrinque binæ, vna scilicet ad branchias, altera verò ad podicis latus; præter eas autem duas pinnas, quæ tum maribus tum fœminis ex podicis lateribus ortæ sunt, maribus (vt trigesima nona, ex Aristotelis sententia, notauimus historia) ex eisdem podicis lateribus duæ pendent appendices. C
Ab ano autẽ (quod centrinæ etiã accidit, vt in historia quinquagesima tertia diximus) nulla alia imo ventri pinna hæret; qua quidem nota non solùm à cane, & à læui Mustelo, sed à Galeis etiam aliis differt; quando in aliis omnibus inter podicem & caudam imo ventri singularis pinna commissa conspiciatur. In dorso pinnæ duæ, aliorum Galeorum instar, eriguntur; hoc tamen ab illis omnibus distinguitur, quòd huius vtraque dorsi pinna, anteriore parte, aculeum longum, triangularem potius quàm rotundum, album, robustissimum, atque ad caudam inclinantem, annexum habet; quibus duobus aculeis non solùm armatur, atque à galeis cæteris differt (nisi & centrina, quippe quæ duobus etiam ferè consimilibus aculeis horret, galeis annumeranda sit) sed Aristotele
[d] Hist. lib. 6. cap 10. teste, [d] *ab eisdem etiam* (vt supra diximus) *ἀκανθίας siue spinax dicitur*. Cauda in bifidam & inæqualem pinnam degenerat; cuius superior portio maior est quàm inferior. Corpus D
teres est; Corio tegitur; Venter albicat, dorsum verò cinereum apparet. Ventriculus magnus est. Intestina ampla. Hepar bifidum & subflauum, ex quo fellis vesica pen-
[e] Lib. 7. fol. 147. 34. det; Lien rubens. Et authore Athenæo, [e] *hoc peculiare est Spinaci, ut cor habeat pentagonum*. Sed re vera, id Galeis omnibus commune est. Neque ad Canis galei, neque ad Vulpeculæ molem augetur. Nunquam enim viginti libras implet.

LOCVS, ET PARTVS.

Maris peculiaris piſcis eſt Spinax. In fluminibus enim neque naſcitur, neque ad ea ê mari adnatat. Lutulenta atque litori proxima loca amat. Et in omni ferè mari reperiri ſolet, præter quàm in Euripo Pyrrhæo, vt teſtis eſt Ariſtoteles, inquiens; [f] *Muſteli etiam & Spinaces in eo mari* (id eſt in Euripo Pyrrhæo, de ipſo enim loquebatur) *nequaquam gignuntur*. Ex quo forſan loco, illud &, expungi deberet (& ſi in omnibus Græcis, quæ vidimus, exemplaribus legatur) quando Spinaces à Muſtelis ſeparare videatur; quos tamẽ ex Muſtelorum genere eſſe, Ariſtoteles, Oppianus, atque Athenæus (vt ſupra etiã citauimus) expreſſè teſtãtur. Vt præterea idem Ariſtoteles author eſt [g] *Spinaces Muſteli, ſic à Spina, quam habent, nuncupati, oua ad præcordia continent ſuper mammas, quibus ut deſcenderint, iam abſolutis, fœtus innaſcitur*. Vnde poſtea vt reliqua cartilaginea animal pariunt.

A

[f] Hiſt. lib. 9. cap. 37.

[g] Hiſt. lib. 6. cap. 10.

NATVRA ET MORES.

Carniuorus eſt Spinax, vt cartilaginei piſces reliqui; atque gregalis; & propterea ſæpiſſime vnà plures captos videmus. Et vt teſtatum reliquit Ariſtoteles, [h] *Cæteri muſteli fœtus ſuos & emittunt et recipiunt inter ſeipſos, quod idem et ſquatinæ & torpedines faciunt; ſed Spinax unus ex muſtelis recipere prolem ſpinæ impedimento non poteſt*. Cur autem, & qua parte, cartilaginei piſces ſuos fœtus recipere conſueuerint, declarauimus in hiſtoria quadrageſima.

B

[h] Hiſt. lib. 6. cap. 10.

VT NVTRIAT.

Duram carnem habet Spinax, atque inſipidam; non tamen virus redolentem, vt Vulpecula. Et propterea haud prorſus vt illa, à menſis arceri ſolet. Nam & ſi nobiles eum, ceu durum atque inſuauem piſcem aſpernentur, plebei tamen & pauperes eo non abſtinent; ipſum nanque vili pretio mercati, elixum, illo intinctus genere, quod alliatum appellant, mandunt.

HISTORIA QVADRAGESIMA TERTIA DE MVSTELO LAEVI.

NOMEN.



HIC piscis noster quadragesimus quartus, qui Romæ (non secus quàm Asteria, vt sequente dicemus historia) peculiariter *pesce Palombo* vocatur (nam Canis galeus, atque Spinax, vt superioribus historiis diximus, communi, & non peculiari nomine, *pesci Palombi* appellantur) γαλεὸς λεῖος à Græcis dicitur; ob id vt opinor, quòd non aspera, vt reliqui ferè galei, sed læui tectus sit cute. Latinum autem nomen adeptus non est, propterea quòd nullus Latinorum, eius mentionem fecit. Vnde Theodorus Gaza in Aristotelis versione, λεῖον γαλεόν, Læuem mustelum interpretatus est; quem nos quoque sequentes, hunc piscem læuem mustelum nuncupabimus. A

DESCRIPTIO.

Λεῖον γαλεόν, siue læuem mustelum, ex galeorum numero esse, non solùm nominis ratione, sed veterum etiam testimonio comprobatur. [a] Aristoteles nanque, [b] Oppianus, atque [c] Athenæus, *Inter cæteros galeos pisces* (vt trigesima nona citauimus historia) *læuem etiam mustelum connumerant*. Nec ab re cum cartilagineus piscis sit, & teres, galeisque reliquis similis; cani verò galeo, atque stellari mustello simillimus. Et licet rostro, brãchiis, pinnis, cauda, corporis forma, colore, atque interaneis, cum eis prorsus conueniat; ab vtroque tamen internoscitur. Et à cane primùm ore differt; nam cum canis galeus denticulatum os habeat; Læuis mustelus edẽtulus est; dentiũ vice asperas solùm maxillas habẽs. Deinde corio; læuiori enim hic quàm ille corio tegitur. Postremò magnitudine; nam cum canis galeus vltra etiam centenas libras excrescere soleat; Læuis mustelus vix ad viginti peruenit vnquam; à stellari verò solis albis ac rotundis maculis, quibus stellaris dorsus pingitur, quibusque læuis prorsus caret, distinguitur; vt sequẽte etiam declarabimus historia.

[a] Hist. li. 6 ca. 10.
[b] Lib. 1. fol. 13. 4.
[c] Lib. 7. fol. 147. 29.

B

C

LOCVS ET PARTVS.

Marinus piscis est mustelus læuis, cœnosis, & litori proximis locis degit. Et vt testis est Aristoteles, [d] *Oua per uuluam mediam, ut caniculæ, gestat; quæ postea in utrunque uteri sinum descendunt; mox animal gignitur, umbilico hærente ad uuluam, ita ut ouo absumpto, partus non aliter quàm in quadrupede contineri uideatur, adhæret umbilicus ille prolixus, capite altero ad partem uuluæ inferiorem, ueluti acetabulo annexus, altero ad medium fœtum, quà in parte iecur est. Secundæ membranæque singulæ fœtus singulos, modo quadrupedum, continent. Caput prolis in utero nouæ adhuc partem spectat superiorem, auctioris iam & perfectioris inferiorem uersus transfertur.*

[d] Hist. lib. 6. ca. 10.

D


NATVRA ET MORES.

Reliquorum cartilagineorum instar, carniuorus est læuis mustelus; & cum dentibus careat, maxillarum asperitate pisciculos atterit, & mandit. Fœtus suos timentes vulua recipit, ac intra se recondit, timore verò transacto, rursus foras incolumes emittit. Quod canis etiam galeus facit, vt in historia quadragesima latissimè explicauimus. Gregalis piscis est læuis mustelus; vnde sæpissime vnà plures captos videmus.

VT SAPIAT, ET VT NVTRIAT.


Dura & insuaui carne est. Quamobrem vilis & plebeius piscis vbique habetur. Et cum nobiles eum non dignentur, infimæ solùm plebis hominibus cibus esse solet, à quibus elixus, cum illo intinctu, quem alliatum vocant, comeditur.

P. 45.



Maior Catulus.

P. 46.



G. σκύλιον.
L. Catulus.
V. Pesce Gatto.

HISTORIA QVADRAGESIMA QVARTA.

DE CATVLO PISCE.

NOMEN.



PISCIS quadragesimus quintus noster, quem Romæ *scorzone*, Massiliæ *Guat aughier*, & Galli *Rousſetes* appellant; atq; quadragesimus etiam sextus, Romæ *pesce Gatto*, Massiliæ *Gatusio*, & à Gallis (non secus quàm prior) *Rousſetes* vocatus; ab Aristotele ἀπὸ τοῦ σκυλακίου (per sincopē facto nomine) [a] σκύλιον, id est, *Catulus*, vel *paruus canis*, vel *Canicula* vt vertit Theodorus, vocatur. Eodémq; Aristotele authore, [b] νευρίος etiam (vel ut legunt alij νεβρίος) hoc est, *Hinnulus appellatur à quibusdam*. Ab [c] Oppiano, atq; [d] Athenæo, σκύμνος, id est, leonis Catulus dicitur; ab Aeliano uerò (vt quadragesima declarauimus historia) [e] *Galeos* nuncupari, tertiúmq; Canū genus constitui uidetur. Et si, vt ibidē diximus, Aristoteles atq; Oppianus, non hos, sed quadragesimum primū piscem nostrum, genus tertium Canum faciant. Latinorum autem neminem horum piscium mentionem fecisse scimus. Non hos enim, sed Carchariā (vt quadragesima explicauimus historia) marinum canem uocauit Virgilius, inquiens, [f] *Ah timidos nautas canibus lacerasse marinis*. [g] Plinium uerò Caniculæ mētionem facientem, non hos nostros pisces, sed Carchariam ipsum, Caniculam appellare, eadem quadragesima historia declaratum est. Vnde sicuti Theodorus, [h] ubi Theophrasti καρχαρίαν, Plinium imitatus, *Caniculam* vertit, laudari debet; sic cum Aristotelis σκύλιον, *Caniculam* etiam interpretatus est; reprehendi potest, quando Plinius, vt diximus, non σκύλιον sed καρχαρίαν *Caniculam* vocauerit. Et propterea nos, hos pisces nostros, σκύλια, νευρίους, & σκύμνους vocatos; non *Caniculas* vt Theodorus, sed *Catulos* (ne homonymis vtamur) appellabimus. Quòd autem hi pisces, σκύλια, siue νευρίοι, siue σκύμνοι sint, procedēte historia manifestabitur. Quòd verò σκυλίων etiam duo genera, siue duas differētias fecerimus, haud temeritatis damnādi sumus; si nemo Veterum hanc notauerit distinctionem. Nam vti illi, tum in indagādis, tum in conscribendis animalibus, diminuti ferè semper fuere; sic nos, cum ea quæ σκυλίοις tribuuntur, horum nostrorum piscium utriq; æquè conuenire uiderimus; eorum utrumq; σκύλιον esse, iurè dixim⁹. Verùm vt alter ab altero distinguatur; priorē (eò quòd magis excrescat) maiorem; alterum uerò minorem Catulum uocabimus.

a Hist. lib. 6. cap. x. & 11.
b Hist. lib. 6. cap. x.
c Lib. 1. fol. 113.
d Lib. 7. fol. 147. 4. 30.
e Lib. 11. cap. 8.
f Aeglo. 6.
g Lib. 9. cap. 46.
h Lib. 4. de plant. cap. 8.

Theodorus notatur.

A B C

VTRIVSQVE CATVLI DESCRIPTIO.

Cum vtriusque nostri catuli idem nomen sit, atque eadem naturá; cumque vterque ad alterius quoque corporis similitudinem proximè admodum accedat, eis vtrisque vnam & eandem dicare historiam statuimus. In qua quæ eorum vtrique conueniunt, simpliciter; quæ verò ad alterutrum spectant, peculiariter; notabuntur. *Est igitur Catulus* [i] Aristotelis, [k] Oppiani, atque [l] Athenæi testimonio (vt trigesima etiam nona historia citauimus) *Ex galeorum piscium numero*. Vnde (cæterorum Galeorum instar) rostrum habet acuminatum; caput rotundum; oculos oblongos, & nigricantes; os in supina parte; branchias in lateribus, vtrinque quinas, & detectas; ad easq;, pinnas binas, vtrinque scilicet vnam; & rursus duas alias ad podicem, vnam etiam vtrinque. Ex cuius quidem podicis lateribus, præter has duas pinnas, duæ etiam in maribus pendent appendices; quibus fœminæ carent. Post podicem autem imo ventri alia vnica subnectitur pinna. In dorso etiā duæ singulares pinnæ erigūtur; sed multò inferius quàm in Galeis reliquis; posterior nāque caudæ proximior est, prior verò post dorsum mediū extat; cum in alijs Galeis, vel in ipso vel ante ipsum dorsum medium, conspici soleat. Cauda in duas inæquales pinnas degenerat; quarum vna superior, altera uerò inferior est. Corpus oblongum est, & rotundum Cute tegitur aspera, & maximè si manus à cauda caput versus deducatur;

i Hist. Lib. 6. cap. 10.
k Lib. 1. fol. 113.
l Lib. 7. fol. 147. 4. 29.

D

Venter est subalbidus. Dorsum & latera maioris subnigricant, nigerrimisque atque latissimis maculis insigniuntur; minoris verò leuissimè subrubentia sunt, atque liuentibus & minoribus notis cōspersa. Vnde Massarius atque Gyllius hos pisces non σκύλια sed ἀστερίας esse crediderūt; & si falsò vt infra mōstrabimus. Aelianus verò (vt ī historia quadragesima citauimus) cum[m] κῦνα γαλεὸν *sive tertium canum genus, colore uarium esse* dicat, hos, ut ibidem diximus, tertium canum genus facere videtur. Magnitudine quoque differunt; nam cum maior ad cubitalem excrescere soleat mensuram, minor nunquā ferè cubitum implet. Ventriculus magnus est; Intestina etiam ampla sunt; Hepar pallidum, in fibras duas diuisum, quarum dextræ fellis vesica hæret; Splen subniger; Vulua bifida.

Massarii & Gyllii error.

m. Lib. xi. cap. 8.

E

LOCVS ET PARTVS.

Catulus, marinus piscis est; nec vllibi (quòd sciamus) flumina subit. Minor in cœnosis litoribus; maior uerò in saxosis maris locis degit. Et vt testatum reliquit Aristoteles, [n] *In medio uuluæ circa spinam oua adhærentia habet; quæ cum accreuerint, absoluta feruntur per uuluam bifurcam annexamque ad præcordia; quo modo & cæteris generis eiusdem in utramque partem transferuntur. Habet tam eius quàm cæterorum mustelini generis uulua, paulò à præcordiis inferius ueluti mammas albidas; quæ non nisi grauidis habentur. Catuli & Raiæ testacea quædam gerunt, in quibus humor ad oui similitudinem consistit; figura eius testæ similis tibiarum ligulis est; meatusque fiunt capillamentorum specie in testis; sed Catulis quos aliqui ab hinnulo, nebrios mustelos appellant, fætus, rupta dilapsaque illa testa proueniunt.* Quod quidem ouum, cum vterque noster depictus piscis gignat; eorum utrumque Catulum esse, vel hoc vno argumento manifestissimè probatur; cum Raijs atque Catulis eiusmodi testaceum ouum peculiare sit; cuius etiā figuram inter Catulorum Icones appingendam curauimus. Vnde eodem authore, [o] *non secus quàm musteli reliqui, atque cætera cartilaginea, cum intra se oua pepererint, animal pariunt catuli.* Et vt idem testis est; [p] *cum cæteri musteli bis anno pariant, solus catulus semel parit, & in uere.*

n Hist. Lib. 6. cap. 10.

F

o Hist. Lib. 6. cap. 11.

p Hist. Lib. 6. cap. 11

NATVRA ET MORES.

G

Vterque Catulus carne vescitur; quemadmodum & reliqui cartilaginei; vt trigesima nona diximus historia. Maior soliuagus, minor verò gregalis esse creditur; propterea quòd ille ferè semper singularis; hic verò vnà cum alijs plerisque sui generis, capi soleat.

VT NVTRIAT.

Non solùm duram atque uiscidam, sed virus etiam resipientem carnē habet Catulus; & propterea vel infimæ plebis homines eum aspernantur, atque ferè nusquā in cibum admitti solet.

H

DE MVSTELO STELLARI, SIVE VARIO NOMEN, DESCRIPTIO, ET NATVRA.

Cum præter galeos pisces, quorum hactenus historias conscripsimus, atque Icones exhibuimus; [q] ἀστερίας etiā (vt in trigesima quoq; citauimus historia) ab Aristotele Galeis annumeretur; cumque ἀστερίας dici videatur, propterea quòd maculosus sit; [r] Massarius, atque [s] Gyllius, quadragesimum quintum, & quadragesimum sextum

q Hist. Lib. 5. cap. 10. Lib. 6. cap. 11.

piſcem noſtrum (quos nos Catulos eſſe monſtrauimus) ἀστερίας eſſe teſtati ſunt; ea ratione ducti, quòd hi valde maculoſi appareant. Verùm cum ouum teſtaceo quodã
[t] Hiſt. Lib. 6. cap. x. inuolucro, figura tibiarum ligulis ſimili, contectum ([t] *quale ouum tum Catulorum, tum Raiarum eſſe, notauit* Ariſtoteles) non niſi hi noſtri ex galeis piſcibus habere reperiantur; hos Catulos, & non ἀστερίας eſſe (vt ſupra etiam diximus) fateri oportet. Nec ob id γαλεὸς ἀστερίας proferri non poterit: nam cum galeorum piſcium, qui Romæ peculiari nomenclatura *peſci palombi* uocantur, duo ſint genera, ita inter ſe conſimilia; vt cum rebus omnibus prorſus conueniant, ſolis quibuſdam albis atque rotundis maculis (quibus unius tergus conſpergitur, alterius verò penitus caret) diſtinguantur; ſicuti genus illud, quod maculis caret, γαλεὸν λεῖον, id eſt, *Muſtelum læuem* eſſe, in hiſtoria quadra A
geſima tertia docuimus, ſic alterum maculis conſperſum, Ariſtotelis ἀστερίας eſt. Qui
[u] Hiſt. lib. 5. cap. x. [x] Hiſt. lib. 6. cap. xi. quidem ἀστερίας (vel vt vertit Theodorus [u] *ſtellatus*, aut [x] *ſtellaris*) ab Oppiano γαλεὸς ποικίλος hoc eſt *Muſtelus varius* vocatur. Cuius hîc nos iconem nõ exhibuimus, ꝓpterea quòd tum internis tum externis partibus ſimillimus adèo Læui muſtelo eſt (quippe qui ſolis dorſi maculis, vt diximus, ab eo internoſcatur) vt facillimè ex illius expicta icone,
[y] Lib. 1. fol. 113. hic etiam cognoſci poſſit. Oppiano autem authore, [y] *Varius muſtelus in cæno degit*. Et
[z] Hiſt. lib. 5. cap. x. vt teſtatum reliquit Ariſtoteles, [z] *non nulli ex muſtelorum genere bis menſe putantur parere, uidelicet qui ſtellati appellantur; quòd ideo uidetur, quia oua eorum non ſimul perficiuntur.*
[a] Hiſt. lib. 6. cap. xi. Et vt idem alibi tradidit, [a] *ſuperfœtant cartilaginea genera; & ferunt uterum menſibus quùm plurimùm ſenis; ſed ſæpiſſime qui ex muſtelis ſtellares uocantur, quippe qui menſe bis pariant; initium autem coitus menſe* B
[b] Lib. 7. fol. 147. 36. *ſeptembri eſt.* Vt verò author eſt Athenæus; [b] *Muſtelus uarius fœtus ſuos intra ſe maximè recipit & emittit.* Et vt apud eundem teſtis eſt Hiceſius
[c] Lib. 7. fol. 147. 28. [c] *Galeorum melior & tenerior eſt Aſterias*; ſed re vera neque ſuauior neque tenerior eſt Læui muſtelo; & propterea vt ille vilis piſcis cenſetur, eodemque modo paratur & comeditur.



N· G·Βάτραχος ἁλιάς
L·Rana piſcatrix
V·Martino peſcatore

DE PLANIS CARTILAGINEIS.

Cartilagineis longis piſcibus expeditis, iam ad cartilagineos planos aggrediamur; priùs qui plani ſint piſces declarãtes, deinceps verò de vnoquoq; plano cartilagineo ſeorſum pertractantes. Plani igitur piſces ſunt, qui non in ventrem & dorſum, ſed in latera compreſſi, latera ipſa in tenuem & latam extremitatem degenerantia habent. Vnde ſicuti tota eorum figura depreſſa & plana efficitur, ita eorundem dorſi ſpina non in dorſum & ventrem (vt in piſcibus reliquis) ſed in latera ſuas pinnulas, ſeu apophyſes tranſmittit. Natantque hi non erecti (vt piſces cæteri) ſed proſtrati atque iacentes. Et propterea vti à Plinio (ob figuræ forſan æqualitatem) [a] *Plani* vocantur; ſic à Columella (eò quòd proſtrati natent) proſtrati & cubantes appellantur; inquit enim; [b] *Neque eſt eadem lacus poſitio, quæ recipit cubantes; atque eadem præbentur cibaria & proſtratis piſcibus, & erectis; nanque Soleis ac Rhombis & ſimillimis animalibus, humilis in duos pedes piſcina deprimitur in ea parte litoris, quæ profluo receſſu nunquam deſtituitur.* Eſt autem planorum piſcium duplex genus, quidam enim ſpinoſi ſunt, vt Rhombi Soleæ ac Paſſeres; quidam verò cartilaginei, vt Raiæ Squatinæ Torpedo & cõſimilia. Vnde cũ Plinius dixiſſet, [c] *Marinorum alii ſunt plani, ut Rhombi Soleæ ac Paſſeres;* iurè paulò infra ſubiunxit; [d] *Planorum piſcium alterum genus eſt, quod pro ſpina cartilaginem habet, ut Raiæ Paſtinacæ Squatinæ Torpedo.* Quamobrem nos de planis ſpinoſis in ſecundo libro noſtro pertractaturi, hîc de planis cartilagineis diſſeremus. Et cum ea, quæ omnibus cartilagineis planis communia ſunt, in hiſtoria noſtra trigeſima nona cartilagineis dicata, abunde ſatis explicata ſint; iam de vnoquoque planorum cartilagineorum ſeorſum agamus; ab ipſa Rana piſcatrice exordientes.

[a] Lib.9.cap.20 & 24
[b] Lib.8 cap.17
[c] Lib.9.cap.20
[d] Lib.9.cap.24

A B

HISTORIA QVADRAGESIMA QVINTA.

DE RANA PISCATRICE.

NOMEN.



ISCIS noſter quadrageſimus ſeptimus, quem Romæ *Martino piſcatore*, in Liguria *Peſce peſcatore*, in Sicilia *Lamta*, Maſſiliæ *Baudroy*, in Luſitania *Emxarrocco*, & alicubi *Diauolo marino* appellant; græcè βάτραχος ἁλιεύς, latinè verò Rana piſcatrix & Rana marina vocatur. Sicuti autem Ranam vocari arbitror, propterea quòd aliquam paluſtris Ranæ, & maximè recens natæ, ac priuſquam cauda ſiue poſterior pars in poſteriores pedes degeneret, ſimilitudinem gerat; marinam verò eò quòd in mari degat; ſic [e] *Piſcatricem, ob piſcandi ſolertiam,* qua (vt infra docebimus) vtitur, *appellatam eſſe* teſtatur Aelianus.

[e] Lib.13.cap.1

C

DESCRIPTIO.

[f] Ariſtotele [g] Plinio [h] atque Athenæo authoribus, *Ex planorum cartilagineorum ſunt numero Raiæ, Paſtinacæ, Squatinæ, Torpedo, & quos Bouis, Lamiæ, Aquilæ, Ranæ nominibus Græci appellant;* de quibus pertractaturi, à piſcatrice ſiue marina Rana (nam eam & non paluſtrem fluuiatilémve, inter planos cartilagineos Ariſtoteles atque Plinius connumerant) exorſi ſumus. Piſcatrix itaque Rana [i] *caput longè grandius reliquo corpore habet*, idque *aculeatum, valdeque aſperum* (ob quamplurimos, quibus horret, aculeos) orbiculatumque & depreſſum. Os illi, vti & Squatinæ, non in ſupina parte cæterorum planorum cartilagineorum inſtar, ſed in anteriori roſtro eſt, vaſtumque, ac præ piſcibus cæteris non ſolùm eiuſdem magnitudinis, ſed paulò etiam grandioribus maximè hians; dentibuſque permultis magnis acutiſſimis in os inclinantibus atque vtranque maxillam ac

[f] Lib.5.cap.5.
[g] Lib.9.cap.24
[h] Lib.7.fol.143.cap.53.
[i] Gene. Lib.3.cap.3. & Aelia. lib.13.cap.2

D

fauces ambientibus armatum. Maxillæ non exporrectæ, sed retusæ potius ac semicirculares sunt; quarum tamen inferior paulò prominet. Magnam & latiusculam linguam habet; oculos etiam amplos in capitis vertice potius quàm in temporibus collocatos. Ante quos geminæ setæ rigidæ albæ in quendam veluti rotundum penicillum desinentes dependent. Quas [k] *fila capilli speciem referentia, postremis rotundis quibusdam præpilatis* Aristoteles; [l] *Eminentia uerò sub oculis cornicula* Plinius, [m] ac *paruam ex rostro albicantem carunculam* Oppianus appellat. In quem autem vsum eas fabrefecerit natura, infra vbi piscatricis Ranæ enarrabuntur mores, declarabimus. Et sicuti oris situ ab alijs planis cartilagineis discrepat, sic etiam & branchijs; [n] *Eas nanque neque detectas, neque supina parte, cæterorum planorum cartilagineorum more, sed in lateribus ac intectas, non tamen spineo operimento, ut quæ non cartilaginea sunt, sed cuticulari habet*, vt annotauit etiam Aristoteles. A capite illico cauda sequitur rotunda, [o] *breuis et carnosa; quod enim latitudo eius parte priore minus carnosa est, ideo natura quantum corpulentiæ priori ademit tantū posteriori et caudæ addidit*. Quæ quidē cauda in pinnam rotundā & crassiusculā desinit, [p] *Pinnas præterea lateribus accommodatas infra gerit, propter amplitudinem partis superioris*. Vtrinq; enim in lateribus, vbi cauda capiti annectitur, pinna vna membranacea satisque crassa exorta est, alteraque in superiore caudæ parte non admodum lata, sed longiuscula erigitur. Membranaceæ verò quædam pinnulæ singula tum capitis, tum caudæ latera æquis interuallis ambiunt. Cute (capitis demptis aculeis) lubrica & molli, inferna parte subalbida, superna verò ex nigro flauescente tegitur. Estque totius piscis figura haud oculis grata; vnde Oppianus ait,

> [q] Est turpis visu mollissima corpore Rana,
> Os aperit latum.

Ventriculum habet carnosum; appendices paucas; intestina plurima, gyris multis conuoluta; hepar in fibras diuisum, subrubeū; fellis vesicam longo meatu ex hepate pendentem, [r] *Intestinis* (vt Aristoteles quoque asseuerat) *annexam*; splenem subatrum; vuluam bifidam, atque valde longam, anfractibusque circunductam. Pedalis & cubitalis vbique ferè, alicubi verò aliquando tricubitalis etiam Rana marina reperitur.

k Hist.lib.9.cap.37
l Lib.9.cap.42.
m Lib.2.fol.121.55
n Hist.lib.2.cap 13 vbi in latino pro Rana, mendosè legitur Raia.
o Arist.de Part.lib.4.cap 13
p Arist.de part. li. 4 cap.13
q Lib.2.fol.121.51.
r Hist.lib.2. cap.15 vbi Raia, pro Rana mendosè legitur in latino.

PARIENDI RATIO.

Rana etsi cartilaginea sit, oua tamen & non animal parit; vt Aristoteles edocet scribens, [s] *pisces haud omnes parere oua, dictum iam est; genus enim cartilagineum animal generat, reliqua oua pariunt, sed nec cartilagineis quidem fœtus sine ouo; pariunt enim intra se oua & augent, at que excludunt; præterquàm Rana*. Quod Plinius etiam ex Aristotele his transcripsit verbis, [t] Et cum cęteri pisces oua pariant, cartilagineum genus solum, vt ea quę cete appellant, animal parit; *excepta quam Ranam uocant*. Idem alibi non solùm testatur Aristoteles, sed causam etiam reddit inquiens, [u] *Cartilaginea perfectum intra se ouum pariunt; mox animal foras edunt, uno excepto*, quam Ranam vocant; hęc enim vna foras ouum perfectum parit. Causa natura corporis est, caput enim longè grandius reliquo corpore habet, idque aculeatum, valdeque asperū; quamobrem nec postea suos catulos intra se recepit; nec principio animal parit. Capitis enim ma*gnitudo & asperitas ut aditum, sic exitum impedit*. [x] Quod ab Aeliano quoque confirmatur. Et licet paucæ reperiantur Ranæ, non tamen ob id, eam parcè fœtificare credendum est; cum res secus habeat, vt Aristoteles declarat dicens, [y] *Rana inter cartilaginea fœtificat numerosiùs, uerùm quòd de facili pereunt, hinc efficitur, ut appareant paucæ*. Qualia autem oua gignat, Aristoteles non solùm loco supracitato (vbi eam foras perfectum ouum parere dixit) sed infra etiam hæc subdens explicat, [z] *Cum cartilagineorum ouum cute molli operiatur*, quòd enim frigidiora quàm aues sint, nequeunt partem circundantem indurare, ideo ouum vnū Ranarum solidum, durumque est, vt foris seruetur. Cęterorum humida sunt natura, & molli; *operiuntur enim intus corpore suæ parentis*. Idem Aelianus etiam supracitato loco cōprobat. Vbi præterea pariat, & quo modo, ipse Aristoteles refert, vni supracitatorum locorum hæc subnectens, [a] *Edit enim hæc oua simul uniuersa & iuxta terram*. Vbi aduertendum in la-

s Hist.lib.2.cap.13.& lib.6.cap.x vbi rursus pro Rana Raia mendosè legitur, in latino, & Gen.lib.3.cap.1
t Lib.9.cap.24
u Gene lib.3.cap.3
x Lib.13.cap.2
y Hist.lib.6.cap.17 hic quoque in latino pro Rana, Raia mēdosè habetur.
z Gene.lib.3.cap.3.
a Hist.lib.6. cap. 17.

tino impresso non vniuersa, vt in græco, sed diuersa mendosè legi. Postremò qualis eius ex ouo sit generatio idem demonstrat, alteri supracitatorum locorum subdēs. Aristotelis locus corrigitur.

b Gene. lib. 3. cap. 3. [b] *Ortus ex ouo idem Ranis, quæ extra perficiuntur, & iis quæ intus.*

NATVRA, ET MORES.

Soliuaga est Rana, & non gregalis. Propterea plures vnà nunquam captas videmus. Carne vescitur. Verùm cum pigra sit, neque pisces, quibus alatur, assequi possit; ad solertiam conuersa eos astu deceptos capit; vt Aristoteles testatus est scribens, [c] Rana his, quę gemina ante oculos suos dependent, quorum fila capilli speciem referunt, sed postrema rotūdis quibusdam pręmilātur; quasi escę causa additis; his inquam, vbi locis arenosis aut fæculentis obturbato solo se absconderit, piscatur attollens illa sibi pendentia fila; dum enim pisciculi occurrunt, & capita machinamenti pensilis pulsant, ipsa subtrahens fila allicit, *donec eos suum in os adducat*. Quod Plinius quoque confirmat dicens, [d] *Nec minor solertia Ranæ, quæ in mari piscatrix uocatur; eminentia sub oculis cornicula turbato limo exerit, assultantes pisciculos* (vel *assultantibus pisciculis*, vt nos corrigendum credimus) *attrahens, donec tam propè accedant, ut assiliat.* Idem asseuerat & Cicero, [e] *Ranæ autem marinæ*, inquiens, *dicuntur obruere sese arena solere, & moueri propè aquam, ad quas quasi ad escam pisces cum accesserint, conficiuntur atque consumuntur*. Hoc demum testatum reliquere [f] tum Aelianus, tum Oppianus; sunt autem hi Oppiani versus. A

c Hist. lib. 9. cap. 37. d Lib. 9. cap. 42 e Lib. secun. de Natu. Deorum 186. f Lib. 13. cap. 1 g Lib. 2. fol. 121. 52. — Plinij locus castigatur.

[g] Est turpis visu, mollissima corpore Rana,
Os aperit latum, cui sunt alimenta dolosis
Artibus, in cœno putri deiecta recumbit,
Occuliturq́ue luto, sed parua caruncula Ranę
Albicat ex rostro, tetrum quę spirat odorem.
Rana latet, cœno pars supereminet atro,
Escam pisciculi credunt, prędamq́ue capessunt;
Illa trahit placido motu, piscesq́ue sequuntur,
Non veriti occultam fraudem, labuntur in ora
Fallacis Ranę, & pigra merguntur in aluo.
Sic puer insidias auibus molitur opertas,
Ante fores grana aspergens, & limine in ipso
Intendit casses. At illos sęua cupido
Pascendi in laqueos pellit, datur vnde regressus
Nullus, & in cœnam properata morte trahuntur;
Exitii ignaros pisces sic Rana maligna
Decipit, imbelles magno deglutit hiatu.

B

C

h Hist. lib. 9. cap. 37 i Hist. lib. 9. cap. 37

Quòd autem Rana hoc piscandi astu pisces fallat, [h] *Argumentum hoc*, vt inquit Aristoteles, *adduci potest, quod sæpius habens in uentrem Mugilem capitur uelocissimum piscem, cum tardissima ipsa sit quodque Rana quæ caruerit præpilatis uillorum illis capitibus, macilentior capitur*. Cum præterea in latino Aristotele habeatur, [i] *obruunt arena sese & Aselli & Raiæ & Passeres & Squatinæ, cumque nullam sui corporis partem intectam reliquerint, uerberant radiolis sui oris, quos piscatores uirgulas uocant, quas pisciculi cum aspexerint, adnatant quasi ad algas, quibus uesci soliti sunt*; In græcis verò omnibus codicibus tum impressis, tum manuscriptis (quos vidimus hucusque) βάτραχος, & non βάτος legatur, arbitratus sum primùm (haud paruam tot græcis codicibus fidem habendam esse ratus) latinum codicem mendosum esse; & Ranæ, loco Raiæ restituendum; Verùm cum deinceps animaduerterem, paulò supra in eodem capite Aristotelem (vt superius citauimus) eādem machinationem Ranæ attribuisse; ne ab eo eodem loco idem frustra repeti videretur, græcos forsan potius codices (quos vidi) mēdosos esse, Theodorumq́ue in vetusto aliquo exemplari βάτον & non βάτραχον legisse, suspicari cœpi. Et cum demum in Plinij locum incidissem, in quo hanc eandem Aristotelis sententiam transcribit, ab eo admonitus, in præcitato Aristotelis loco, Raiæ vt latini co- D

Aristotelis locus emendatur.

dices habēt, & non Ranæ siue βάτραχος, vt in græcis exemplaribus legitur, legēdum esse clarè cognoui. Quò autem manifestior res fiat, eadem Plinij verba adducamus. Cum is igitur (vt supra etiam citauimus) dixisset, [k] *Nec minor solertia Ranæ, quæ in mari piscatrix vocatur, eminentia sub oculis cornicula turbato limo exerit, assultantibus pisciculis attrahens, donec tam propè accedant, ut assiliat.* Statim subiungit, *Similiter squatina & Rhombus additi pinnas exertas mouent specie uermiculorum; item quæ uocatur Raia.* Nec est vt contendat aliquis in Plinio quoque Raia, pro Rana mendosè legi. Nam si verba eius perpendamus, id non esse rationi cōsonum, manifestum fiet; præter id enim, quòd nugatoria admodum reite ratione repetijsset, *item quæ uocatur Rana*; cum statim supra explicatissima oratione id Ranæ tribuerit; illa etiam dictio item, Ranam legi posse prohibet; nam cum etiam, vel similiter significet, aliquod nouum, & non repetitum eam sequi debet. Nec obijci etiam oportet, cum Raijs nulli in ore aut circa os sint radioli vel virgulæ, præcitato Aristotelis loco Raiæ non esse legendum, sed Ranæ; vt quæ setas siue fila capilli speciē referentia supra os habeant. Nam neque in Asellis, neque in Passeribus, neque in Squatinis (quos omnes æquè atque Raias oris sui radiolis verberare testatur Aristoteles) hi manifesti sunt oris radioli vel virgulæ.

k Lib.9.cap.42.

E

Aristoteles notatur.

VT NVTRIAT, ET QVIBVS MEDEATVR.


F

Mucosam, excrementitiam, insulsam, virus resipientem, & mali succi carnem habet. Quamobrem haud immeritò vbique ab omnibus ferè vel etiam plebeis hominibus, ceu indigna vt ea nutriantur, negligi & reici solet. Plinio teste. [l] *Ranarum marinarum ex vino & aceto decoctarum succus contra venena bibitur, & contra Ranę rubetę uenenum & contra Salamandras.* Cum idem præterea author sit, [m] *Strumas utiliter pungi piscis eius, qui Rana in mari appellatur, ossiculo de cauda, ita ut non uulneret; idque faciendum quotidie, donec percurentur;* cumque in Ranæ cauda, vt quæ cartilaginea sit, nullum prorsus ossiculum reperiatur; mendosum locum hunc (ne falsum dicam) esse arbitror.

l Lib.32.cap.5.

m Lib.32.cap.8.

In Plinium animaduersio.


P 43
N. G. νάρκη.
L. Torpedo.
V. Occhiatella.

HISTORIA QVADRAGESIMA SEXTA DE TORPEDINE

NOMEN.



CVM quadragesimus octauus piscis [a] *contactu suo* (vt infra latiùs mõstrabim⁹) *torpentia membra reddat*, iurè à Græcis νάρκη, & à Menãdro [b] νάρκα (*& si nemo alius Veterum per .α. eo nomine usus est*, vt testatur Athenæus) à Latinis verò *Torpedo* appellatur. νάρκωσις enim torpor est, & debilitatio corporis. Et ob id etiam à Venetis *Sgramfo*, à Liguribus *Tremorize*, à Massiliensibus *Dormiliose*, & à Gallis *Torpille* dicitur. Romæ autem eò quòd in dorso quinque nigricantes
E notas, oculis simillimas depictas habeat, *Ochiatella* vocatur. Aduertendum tamen (ne homonymia decipiamur) Romæ alium piscem Ochiata vocari, Melanurũ scilicet, vt ĩ historia Sexagesima dicem⁹.

[a] Aelia. lib. 12. ca. 50.
[b] Lib. 7. fol. 156. 48.

DESCRIPTIO.

Planus & cartilagineus piscis est Torpedo. quemadmodum [c] Aristoteles, [d] Plinius, [e] Galenus, [f] atque Athenæus notarunt. Cuius corpus (si caudam dempseris) vti planum & valde depressum, ita etiam orbiculare est; vt Aristoteles quoque testatur his verbis, [g] *Et utroque sui corporis semicirculo, quasi geminis pinnis notat*. Capitis nullum ferè vestigium apparet, in superiore tamẽ parte, anterius oculos habet exiguos; & paulò post oculos, foramina duo oculis grandiora, semper patula, in palatũque peruia, Parte verò inferiore os paruum, tenuibusque dentibus munitum, linguáq; prorsus carens conspicitur; ante quod, olfactus gratia bina insculpta sunt foramina. Eadem inferiore parte
F [h] *Branchias detectas, & utrinque quinas habet*. In vtroque enim ventris latere quina branchiarum orificia, parua, semicircularia, tenuíque quadam cuticula ferè contecta, conspiciuntur. Præterea hac eadẽ inferiore parte, in caudæ exortu podex extat. Posterior corporis pars in caudam carnosam & breuẽ, in latiusculámq; pinnã desinentem degenerat; & si Aristoteles [i] *Torpedini non secus quàm Pastinacæ spinosam siue rigidã & longã caudã tribuat*. [k] *Duas iuxta caudam pinnas gerit*; vtrinq; scilicet ad caudæ exortum vnã, crassiusculam & semicircularem. Imedio verò superioris partis caudæ, aliæ duæ eriguntur pinnæ, vna superior & maior, altera inferior & minor. [l] *Partes quæ ad caudam sunt, medijs partibus sunt corpulentiores. Nam partes mediæ uidentur in se ipsis habere uelut cartilaginem quandam tabidam*. Molli & lubrica cute tegitur. Venter subalbidus est; Dorsum verò subflauum. Quod quidẽ dorsum in nonnullis Torpedinum (& si nemo Veterum id notauerit vnquã) quinæ maculæ
G rotundæ nigricantes, oculósq; egregiè ræpresentantes & pentagoni figura collocatæ; In alijs verò aliæ minores, sed plures, albicantes, & nullo ordine digestæ, depingũt; cũ in reliquis, subflauum dorsum his omnibus maculis careat. Magnũ & carnosum habet ventriculum; Intestinum verò breue & amplum; Hepar pallidum, in dextram & sinistram diuisum fibras. Fellis vesica, quæ pro piscis mole satis magna est, [m] *iecinori committitur*; dextræ enim fibræ annexa, in sinistram etiam meatus, siue venulas quasdam immittit. Lien paruus est, & subrubens; Vterus oblongus & bifidus. Haud multùm excrescit, nullã enim hucusq;, quæ senas excesserit libras, vidimus. Et si [n] Aristoteles & [o] Plinius. *grandem Torpedinem, quæ fœtus intra se circiter octoginta haberet, iam uisam esse*, referant.

[c] Hist. lib 2. cap. 13. Lib. 5. cap. 5. lib. 6. cap. xi.
[d] Lib. 9. cap. 24.
[e] clas. 2 fol. 31. A
[f] Lib. 7. fol. 157. 1. lib. 8. fol. 177. 43.
[g] Part. lib. 4. cap. 13.
[h] Hist. lib. 2. cap. 13.
In Aristotelem animaduersio.
[i] Part. lib. 4 cap. 13.
[k] Part. Lib. 4. cap. 13.
[l] Gal. clas. 2. fol. 31. A
[m] Hist. Lib. 2 cap. 15.
[n] Hist. Lib. 6. cap. 10.
[o] Lib. 9. cap. 51.

LOCVS ET PARTVS.

H Omnes, qui de Torpedine loquuti sunt, eam marinam solùm fecerũt, vno dẽpto Athenæo, qui fluuiatilem etiam, [p] *Nili scilicet accolam*, eam esse asseuerat. In cœnosis locis victitat, vt author est Oppianus his verbis.

[q] Ast alii cœno turpi, fœdáque palude
Pascũtur, Batidésque, Boũ gen⁹ vsque proteruũ
Difficilis Trygon, Torpedo nomine vero
Et Clarię, Psettę, Scepani, Triglis, Asellus
Atque lacertorũ gentes, quę putrida pascunt,
Inter cœnosas voluentes corpora sordes.

Plinióq; teste [r] *terra quidem, hoc est, uado maris ex cauato condi per hyemes Torpedinẽ tradũt*. Quod [s] Aelianus quoq;, [t] atq; Athenæus, Theophrasti testimonio confirmant, dicentes, *Theophrastus in eo libro quem inscripsit de latentibus, dicit, ob frigus Torpedinem in terra se abdere.* [u] Aristotele autem, [x] Plinióq; authoribus, *parit autumno circa æquinoctium*. Et vt tum [y] hic, tum [z] ille testantur, *intra se, uti & reliqua cartilaginea, parit oua præmollia, in alium locum uteri transferens, atque ibi excludens*. Vnde quem

[p] lib. 7. fol. 155. 49.
[q] lib. 1 fol. 108. 28
[r] Lib. 9. cap. 16.
[s] Lib. 12. cap. x.
[t] Lib. 7 fol. 156. 50.
[u] Hist. lib. 5. cap. xi. lib. 6. cap. xi.
[x] Lib. 9. cap. 51.
[y] Lib. 9 cap. 51.
[z] Hist. lib. 6. cap. x.

[a] Hex. homi. 7 [b] Lib. 7. fol. 157. 2. [c] Hist. Lib. 6. cap. 10.

admodum [a] D. Basilius, [b] atque Athenæus Aristotelem citans, inquiunt, *Catulos parit.* Aristotelisque authoritate, [c] *fœtus suos (non secus quàm Squatina & Musteli) & emittit, & recipit intra se ipsam; ut quidem iam uisa sit* (vti supra etiam citauimus) *torpedo grandis, quæ fœtus intra se circiter octoginta haberet.*

NATVRA ET MORES.

[e] Part. Lib. 4 cap. 13. [f] Hist. Lib. 9. cap. 37. [g] Lib. 9. cap. 42. [h] Lib. 2 fol. 121. 28. [i] Lib. 2. fol. 121. 40. [k] Lib. 9. cap. 42. [l] Lib. 2. fol. 121. 23. m.

Vt Aristoteles docet [e] *torpedo duas iuxta caudam pinnas habet; pro reliquis, latitudine utitur; & utroque sui corporis semicirculo, quasi geminis pinnis natat.* Vnde *pigra est*; vti [f] Aristoteles, & [g] Plinius notarunt; atque expressius multò narrauit Oppianus his versibus;

[h] Hæc grauis & mollis, sunt nullæ in corpore pigro
Vires, & nimiùm premitur grauitate; natantem
Non credas, liquidis ita clam subrepit in vndis;
Et paulò pòst [i] Hæc celeri properat quanuis tardissima gressu.

Quamobrem cum piscibus vescatur, eosque præ sua tarditate capere nequeat; ea vi vtitur, quam sibi à natura datam nouit; quemadmodum Plinius testatur, inquiens, [k] *nouit Torpedo uim suam*; & Oppianus his verbis, A

[l] Cui desunt vires, cui desunt spicula, magnum
Ingenium natura dedit; se fraude tuetur,
Atque dolis magnum piscem fortemque trucidat,
Turpe veneficium tenero sub corpore sentit
Natura Torpedo datum, proprium quoque membris,

Claudianus verò hisce
[m] Quis non indomitam miræ torpedinis artem
Audit, & emerito signatas nomine vires?

[n] Hist. Lib. 9 cap. 37. [o] Lib. 9. cap. 42. [p] Lib. 7. fol. 157. 2. [q] Lib. 2. fol. 121. 36.

Quæ autem ea vis sit; & qua, ea vtatur, arte; sic declarat Aristoteles, [n] *Torpedo pisces quos appetit, afficit ea ipsa, quam in suo corpore cōtinet, facultate torpendi; atque ita retardatos præ stupore capit, & vescitur. Abdit se in arena & limo, tum pisces qui adnatantes obtorpuerint, corripit; quam rem plerique cōspectam à se retulerunt.* Hoc Plinius etiam confirmat. [o] *Nouit* inquiens, Torpedo vim suam; ipsa non torpens, mersaque in limo se occultat; piscium qui securi supernatantes *obtorpuere corripiens.* Ex Aristoteleque idem sic transcribit Athenæus [p] *Torpedo ut ait Aristoteles*, venatur pro nutrimento suo pisciculos, eos torpefaciens & immobiles reddens. Idem demum his versibus cecinit Oppianus, B

[q] Dona deum, & proprios membris cognoscit honores
Porrecta in flaua distendit corpus arena
Immota exanimi similis; cui piscis inhæret
Oppressus torpore graui, somnoque solutus.
Hæc celeri properat quanuis tardissima gressu,
Semineces lacerat pisces; & sæpe natantes
Offendit tactu viros, cursumque moratur;
Perculsi torpore graui, victique rigore,
Atque fugæ immemores sunt, immemoresque viarum.
Hæc manet, auxilio cassos opibusque trucidat.
Et velut obscuris terrent simulachra figuris
In somnis homines, quatiuntur membra pauore,
Cor salit & frustra tentant contendere cursu,
Et frustra properare fugam, nam vincula dura
Impediunt visu pauidos, somnoque grauatos.
Tales Torpedo meditatur piscibus artes.

[r] Hist. Lib. 9. cap. 37. [s] Lib. 9. cap. 42. [t] Lib. 2. de Nat. Deor. [u] Lib. 3. fol. 134. 31.

[r] Aristotele autem, [s] Plinioque authoribus, *hac solertia & astu pisces ipsos uenari Torpedinem; eo argumento cognosci potest; quòd ipsa piscium tardissima, Mugilem velocissimum omnium in ventre habens sæpius capiatur.* Hac eadem sua facultate non solùm pisces piscatur; sed ab aliena etiā iniuria se defendit; quod Cicero, [t] *tutantur*, inquiens, *se torpore Torpedines*; testatur; atque Oppianus his verbis,

[u] Callida Torpedo propria non fallitur arte;
Hæc diro magno plagæ confecta dolore
Corpore contractat fœdo pendentia fila
Per setas, calamumque doloror percurrit, & hæret
Tensæ piscantis dextræ, pestemque reliquit
Nominis assimilem, tenues cecidere relapsi
E manibus calami; tali torpore tenetur. C

[x] Hist. Lib. 9. cap. 37. [y] in Menone. [z] Clas. 3. fol. 16. D. [a] Lib. 7. fol. 156. 51. [b] Lib. 32. cap. 1. [c] Lib. 12. cap. 50.

Quamobrem tum pisces, [x] *tum homines ab ea torpidos fieri certum est, ut* Aristoteles quoque testatum reliquit. Et quòd præterea maiore dignum est admiratione, non solùm ut [y] Plato, & [z] Galenus asserunt, *tangentibus appropinquantibusue torporem inferre solet*; sed ut refert Athenæus, [a] *authore Teophrasto in libro de iis, quæ morsu, aut iactu uenenum infundunt; uim etiam suam emittit, per hastam & fuscinas; eas manibus amplexos, torpidos efficiens.* Quod Plinius quoque cōprobat, inquiēs, [b] Torpedo etiam procul & è longinquo, vel si hasta virgaue attingatur, quanuis prævalidos lacertos, *Torpidos; & quanlibet ad cursum ueloces pedes, alligatos reddit.* Idem tum Oppianus loco proximè citato confirmat, tum Aelianus his verbis, [c] *à sapientibus uiris accepi, quod siquis rete, in quo capta fuerit Torpedo, attigerit, torpescit.* Eam viuam stupefaciendi facultate præditam esse; extinctā verò illa eadē priuari, præter id quòd re ipsa experimur (vti enim viuæ cōtactu, torpescunt membra; sic demortuam citra omnem torporem contrectamus atque comedimus) authorum etiam testimonijs comprobari videtur; inquit enim Aelianus, D

[d] Lib. 12. cap. 50. [e] Clas. 5. fol. 85 G. [f] Lib. 7 in Narce. [g] Lib. 1. serm. 2. fol. 116. cap. 185.

[d] Si quis Torpedinem viuam in vas imposuerit, & marinam aquam infunderit, eamque aquam quis ex vase in hominis aut manum aut pedem infunderit, membra hęc non dubitanter obtorpescunt. Quod Galenus adhuc magis explicat his verbis, [e] *Torpedinem totam capitis dolores sanare*, capiti admotam, sedemque euersam coercere, à quibusdam est proditum. Verùm ego cum vtrunque essem expertus, neutrum verum comperi. Eam igitur cum cogitassem viuam esse applicandam, cui caput doleret (posse enim fieri, vt hoc medicamen anodynon sit, ac dolore liberet similiter aliis, quę sensum obstupefaciunt) ita habere comperi. Putoque eū qui primus est vsus, *tali quapiam motum ratione, experiri aggressum.* Cui subscribunt [f] Paulus, & [g] Aetius, idem ex eo

trāſcribētes; Præterea nō manifeſta ſolùm, frigiditate nempe, ſed cæca etiā qualitate, eam ſtupefacere; tum ratiōe, tū authoritate cōprobatur. Cū nanqȝ viua, ea facultate polleat; mortua verò, eadem orbata ſit; clariſſima ratione intelligitur; eam ſtupefaciendi vim, non à manifeſta qualitate, frigiditate ſcilicet; quæ multò maior in mortua (extincto natiuo calore) dubio procul reperitur; ſed à cæca & nobis incognita (cuius viuens ſolùm particeps eſt) emanare. Quod Galeni quoqȝ confirmatur teſtimonio; qui cum Torporis cauſas enarrans, inquiat, [h] *Torpor uerò, qui ex tam motus quàm ſenſus difficultate eſt compoſitus; in toto corpore, & maximè in artubus, manifeſtè uidetur à frigore, & compreſſione neruoſorum corporum, incidere. Ad hæc etiam à Torpedinis marinæ contactu*; ſi Torpedinem frigiditate ſolùm ſua torporem inferre arbitratus eſſet; cum primo loco, torporis cauſam, frigiditatem poſuerit; fruſtra rurſus tertio loco, ac ceu tertiam cauſam ipſius torporis, Torpedinis contactum ſtatueret. Poſtremò vt refert Athenæus, [i] *Diphilus Laodiceus, in libro de Theriacis Nicandri, ſcribit; non totum hoc animal, ſed partem eius quandam torpefacere*. Cui non ſolùm ſubſcribere, ſed partem etiam eam explicare, videtur Oppianus his verſibus.

h Clas. 3. fol. 16. D.

E

i Lib. 7. fol. 157. 3.

k Lib. 2. fol. 121. 31.

[k] At duo ſe tollunt diſtenta per ilia rami,
Qui fraudem pro robore habent, piſcemque tuentur;
Quos ſi quis tractat, perdit per membra vigorem;
Sanguine concreto, rigidos nec commouet artus.
Soluuntur ſubitò contracto in corpore vires.

In Diphilū, & Oppianū animaduerſio.

Verùm cum hi rami, ſiue radij (vt magis græca vox ſonare videtur, κερκίδες enim ab eo vocātur) nulli in Torpedine appareāt (niſi ſemicircularia eius latera, κερκίδας, id eſt radios, vel ramos vt vertit interpres, ab ipſo impropriè admodū appellari credamus) cumqȝ reliqui ſcriptores omnes (vt qui nunquā alicui tantùm Torpedinis parti illā vim ineſſe notauerint) Torpedinem totā torporē inferre arbitrari videātur; nos quoqȝ non aliquam tātùm partem eius, ſed ipſam totam torpefaciendi facultate præditam eſſe, cenſemus.

F

VT SAPIAT, VT NVTRIAT, ET VT CONDIATVR.

Galeno authore, [l] *Inter ipſa cartilaginea, Torpedo & Paſtinaca carnem habēt mollē, & iucundā, & mediocriter per uentrē ſubeuntem, nec concoctu difficilem. Nutriūt item mediocriter, ceu alia quoque omnia, quæ carne molli ſunt prædita.* Et vt alibi ſcribit, [m] *Sola Cartilagineorum Torpedo & Turtur laudantur; poßisque nonnunquam in ſaxatilium penuria, ijs uti.* Et vt rurſus alio loco aſſerit, [n] *Saxatilibus piſcibus Aſelli, his uerò Solea & Torpedo ſubſtitui poſſunt.* Atqȝ vt poſtremò alio itē loco teſtatur, [o] *Ex Cartilagineis Torpedo ferè ſola conueniens eſt & commoda Epilepticis.* Athenæo autē referente, [p] *Hiceſius exiguum eam in cibo præbere ſuccū tradit; & cartilagineū quoddam in ſe cōtinere, quod ſtomacho ualde ſit gratum.* [q] *Platoque gratū cibum Torpedinē eſſe inquit.* Vt verò idē citat Athenæus, [r] *Dephili teſtimonio concoctu difficilis eſt; præter partes eas, quæ circa caput exiſtūt; quæ teneræ, ſtomacho gratæ, & concoctu faciles ſunt; Aliæ uerò minimè.* Quod vti verū eſſe experimur, ſic Galeno minimè aduerſari cenſemus; quippe qui ſicuti Torpedinis (vt ſupra etiā in deſcriptione citauimus) partes medias, cartilagineas & molles, inferiores verò & ad caudā exiſtētes, magis carnoſas eſſe teſtatur; ita illas, teneriores cōcoctúqȝ faciliores, has verò, minus teneras neqȝ adeo cōcoctu faciles eſſe innuit. Athenæus, [s] *ſuauiſſimā Torpedinem Niliacā eſſe aſſeuerat.* Apud eundē, [t] *Diphilus paruas meliores eſſe teſtatur.* Vt verò ſcribit Plinius, [u] *Huius iecori teneritas nulla præfertur.* Athenæo autē referēte, [x] *Archeſtratus Torpedinem in oleo & uino cum benè olentibus herbis, & modico caſeo trito incoquendam eſſe inquit.* Et apud eundem, [y] *Diphilus ſimpliciter elixas celebrat.* Galenus, ſi ea, in attenuante victus ratione, vti volumus; [z] *cum beta trita aut albo iure, porrū prolixius miſcēdo, & piperis portiunculā, parandā eſſe,* docet. Noſtris verò temporibus, ſi nulla tuendæ valetudinis habenda ſit ratio, frixa & arancij mali conſperſa ſucco, ſuauior multò exiſtimatur.

l Clas. 2. fol. 31. A.
m Cla. 2. fol. 44. A.
n Clas. 7. fol. 51. F.
o Cla. 7. fol. 176. D.
p Lib. 7. fol. 176. 49.
q Lib. 7. fol. 156. 45.
r Lib. 8. fol. 177. 43.

G


s Lib. 7. fol. 155 49.
t Lib. 8. fol. 177. 45.
u Lib. 9 cap. 42.
x Lib. 7. fol. 157. 5.
y Lib. 8. fol. 177. 45.
z Clas. 2. fol. 44. A

H

QVIBVS MEDEATVR.

Dioſcorides author eſt, [a] *Torpedinem marinam capiti admotam diuturnos eius dolores; parique ratione, uniuſcuiuſque noſtri corporis partis cruciatus uehementiam lenire, procidentemque anum appoſitam coercere.* Quod Galenus, Paulus Aegineta, atqȝ Aetius locis á nobis ſupracitatis, ex eo trāſcripſerūt; id (vt diximus) addentes, ea viua vti oportere, Plinio teſte, [b] *Pſilotrum eſt Torpedinis cerebrū cum alumine illitum 16 Luna.* Aelianus verò Pilorū etiā ortū, eam impedire poſſe refert, inquiēs, [c] *Torpedinis carnes in aceto putrefactæ, & mēto aſperſæ, priuſquā quis pubeſcat fugā pilorū facere dicuntur.* Vt plinius præterea ſcribit, [d] *Fel Torpedinis uiuæ genitalibus illitum uenerem inhibet.* Et authore libri ſecundi de remediis paratu facilibus, Galeno aſcripti, teſte, [e] *Fel Torpedinis epotum genitalis membri erectionē uetat.* Poſtremò ſcribit Plinius, [f] *Mirum & quod de Torpedine inuenio, ſi capiatur cum luna in libra fuerit triduòque aſſeruetur ſubdio, faciles partus facere poſtea quotics inferatur.* Eodē authore, [g] *Aluum emollit Torpedo in cibo.* Nec non, [h] *Lieni medetur impoſita.*

a Lib. 2. cap. 15.
b Lib. 32. cap. 10.
c Lib. 11. cap. 50.
d Lib. 32. cap. 10.
e Clas. 7. fol. 162. E.
f Lib. 32 cap 10.
g Lib. 32. cap. 9.
h Lib. 32. cap. 9.


P. 49
N. G. Τρυγών.
L. Pastinaca.
V. Bruco
144

HISTORIA QVADRAGESIMA SEPTIMA. DE PASTINACA.

NOMEN.



A ISCIS noster quadragesimus nonus, Romæ *Brucho*, Venetijs *pesce Palombo*, in Liguria *Ferrazza*, in Sicilia *Bastonaga*, Burdegalis *Tarironde*, à Gallis (ob similitudinem quam cum Rais habet) *Raia*, & à Dalmatis *Lacizza* vocatus; à Græcis τρυγὼν dicitur; propterea quod (vti arbitror) colore, & latitudine sua expansas alas referente, Turturem auem, τρυγόνα græcè appellatam, imitetur. Vnde[a] & à D. Ambrosio τρυγὼν piscis, *turtur* vocatur;[b] à Plinio verò,[c] & à Cornelio Celso (quos in hoc, vnà cum Theodoro Gaza, magis sequi debemus) *Pastinaca marina* dicitur. Ob id forsan, quod suæ caudæ colore, rotunditate, atque longitudine, ad radicis pastinacæ similitudinem proximè admodum accedat.

[a] Hex.5.cap.10. [b] Lib.9. cap.48. [c] Lib.6.cap.7.

DESCRIPTIO.

Planus & cartilagineus piscis est Pastinaca, vt[d] Aristoteles,[e] Plinius,[f] atque Galenus etiam B asserunt. In superiore corporis parte anterius (secus quàm in Torpedine & Raia) aliquod capitis vestigium cernitur, capiti palustris Ranæ non absimile; in quo tamen non nisi oculi oblongi & grandiusculi consistunt; statimque post eos, bina foramina, vtrinque vnum, oculis grandiora, semper patula, in palatumque (Torpedinis instar) peruia. Pars reliqua oculis anterior, cum maximè extenuetur, in carnosum rostrum acuitur. Inferiore parte os habet paruum & edentulum; viceque dentium asperiores maxillas; & ante os foramina olfactui inseruientia; post illud verò in medio ferè ventre, quinas (Torpedinis more) vtrinque branchias; pauloque infra circa caudæ exortum, anum. Totius corporis figura non orbicularis, vt Torpedinis; sed (Raiæ instar) quatuor laterum est; sicuti enim anterior & posterior pars eius, sic & latera in acutum desinunt; tenuibusque atque quamplurimis lateralibus strijs insignitur. Po-C steriori parti cauda annectitur,[g] *spinosa siue rigida, atque longa. Incrementum enim huius partis ad piscis latitudinem transit*; teste Aristotele. Super quam caudam paulò post eius exortum, ac priusquam maximè extenuetur, osseus aculeus, longus, acutissimus, atque vtrinque serratus eminet; quem Radium appellat plinius, inquiens,[h] *Sed nullum usquam execrabilius quàm radius super caudam eminens trygonis, quam nostri Pastinacam appellant, quincunciali magnitudine*. Cuius cum Nicander, Dioscorides, Oppianus, atque alij veterum meminerint (vt infra, vbi de eius venenositate agemus, explicatius mõstrabimus) mirari iure possumus, cur eius quoque mentionem non fecerit Aristoteles; nisi forsan cum is dicat.[i] *Neque uerò Pastinaca & Raia ex planis prolem recipiunt, propter caudæ asperitatem*; de illo Radio illum intellexisse velimus; cum nulla alia pastinacæ caudæ asperitas insit. Circa caudæ exortum vtrinque pinna vna orbicularis enascitur; etsi[k] Aristoteles,[l] & Plinius, *Pastinacam pinnis carere testentur*.
D Læui & molli cute tegitur; Ventre albicat; Dorso verò liuet. Ventriculum paruum habet; quem intestinum amplum sequitur; quod non multò post tenuius factum, rursusque paulò deinceps dilatatum, sic ad podicem vsque defertur. Iecur pallidum est, in duas diuisum fibras, in dextram latiorem atque maiorem, & in sinistram breuiorem & minorem. Iecinori fellis vesica commissa non est, sed quidam solùm fellis meatus à iecinore ad intestina deducuntur. Ad denas aliquando libras auctam pastinacam vidimus, maiorem verò nunquàm; ad quam neque vbique, neque crebrò excrescit magnitudinem.

[d] Hist.lib.1. cap.5. [e] Lib.9.cap.24. [f] Clas. 2. fol. 31.A [g] Part.lib.4. cap.13. [h] Lib.9.cap. 48. [i] Hist.lib.6. cap. 10. [k] Hist.lib.1. cap. 5. [l] Lib.9.cap.20.

LOCVS ET PARTVS.

Vt Aristoteles tradit,[m] *pelagius piscis est pastinaca, sicuti & reliqua cartilaginea*. Oppianus verò[n] eam in cœnosis locis, haud longè à litore, vitam degere, his versibus narrat.

[m] Hist.lib.8 cap. 13. [n] Lib.1.fol.108. 28.

n Lib. 1. fol. 108. 28.

[n] Aſt alii cœno turpi fœdáque palude
Paſcuntur, Batidéſque, Boum genus vſque proterum,
Difficilis Trigon, Torpedo nomine vero.

o Hiſt. Lib. 5 cap. 3. p Hiſt. Lib. 5 cap. 5. q Hiſt. Lib. 6. cap. 11. r Ibidem.

Vt præterea Ariſtoeles etiam ſcribit, [o] *Habet in quod meatus contingat, & quo per coitum adhæreat.* Eodemque authotre, [p] *Non ſolùm admotis ſupinis partibus, ſed etiam tergo fœminæ, ſupinis maris ſuperpoſitis coit.* Paritque circa litora; nam vt idem alibi docet, [q] *Repetunt Cartilaginea litus & uada, pelago, & alto relicto gurgite, cum tempus pariendi inſtat; ut neque tepore careant, & progeniem tutius collocent.* Eodemque teſte, [r] *Animal gignit cum intra ſe prius oua pepererit, uti & cætera, cartilaginei generis.*

NATVRA, ET MORES.

s Hiſt. Lib. 1. cap. 5. t Lib. 9. cap. 20. u Lib. 13. cap. 6.

[s] Ariſtotelis, [t] atque Plinij teſtimonio, *cum Paſtinaca* (vt ſupra etiam citauimus, *pinnis careat, ipſa latitudine natat*; adiuuantibus (vti nos arbitramur) & illis pinnis, quas ei ad caudæ exortum in eſſe diximus. Vt verò ſcribit Aelianus, [u] *cum natandi eſt cupiditate affecta, natare poteſt; cum rurſus uolandi ſtudio tenetur ſurſum uerſus ſublimis uolat.* Quod tamen haud nos veriſimile cenſemus; grauis adeo atque ad volandum inepta videtur. Carniuora eſt; verùm cum pigra adeo ſit, vt piſces, quibus veſcatur, aſſequi non valeat; ad teli vſum confugit, quo à natura armata eſt; vt Oppianus teſtatur inquiens. A

Aelianus notatur.

x Lib. 2. fol. 127. 60.

[x] Trygoni, & Gladio, ſuperi fortiſſima dona
Aptarunt membris, atque arma horrenda dederunt.

Et paulò infra,

y Lib. 2. fol. 128. 9.

[y] Naſcitur extrema cauda penetrabile telum
Trygoni, ſunt telo vires, tetrúmque venenum. B

z Hiſt. Lib. 9. cap. 37. a Lib. 9. cap. 42.

Qua autem ratione & aſtu in venandis piſcibus, eo telo vtatur; Ariſtoteles innuit tantùm; aſtutiam, & modum, quo ſe in arena & limo abdit Torpedo, exequutus, hæc ſubdens, [z] *Paſtinaca etiam ſeipſam occultat, ſed non ſimili modo.* Plinius verò explicatè magis his verbis docet, [a] *Paſtinaca latrocinatur ex occulto, tranſeuntes radio (quod telum eſt ei) figens*; quod & Oppianus aſſerere videtur, dicens.

b Lib. 2. fol. 128. 21.

[b] Non viuum quicquam, non quicquam morte peremptum
Trygones, Gladiique vorant, ni ſpicula figant
Antea, purpureo lanientque cadauera telo.

c Hiſt. Lib. 9. cap. 37. d Lib. 9. cap. 42. e In Theriaca. f Lib. 9. cap. 48. g Lib. 32. cap. 2. h Lib. 13. cap. 5. i Lib. 13. cap. 6.

[c] Ariſtotelis [d] atque Plinij authoritate, *argumentũ eſt huius ſolertiæ, quod ipſa piſcium tardiſſima Mugilem uelociſſimum omnium, in uentre habens, ſæpe capiatur.* Quàm autem non piſcibus ſolùm, ſed hominibus etiã animalibuſque reliquis, atque ipſis quoque arboribus pernicioſus, & peſtifer, huiuſmodi ſit paſtinacæ radius; multorum veterum teſtimonijs clariſſimè comprobatur. Nicander nanque [e] *Trigon* (inquit) *maleficus dolore hominem adficit, cum oblongis* ſagenis defatigatum piſcatorem aculeo ſuo ceciderit. Si etiam ramis arboris infixus fuerit, tum arbor ea fit obſcurior ignobiliórque, ſiquidẽ ab huius ictu, ceu ſolis ęſtu eius radices perditę, vnà cum foliis flacidę redduntur & areſcunt. Homini verò caro putredine imminuitur. *Ferunt quòd olim Vlyſſes triſti marino tali ſtimulo punctus interierit.* Plinius verò (vt ſupra etiam citauimus) ſcribit, [f] *Nullum uſquam execrabilius quàm Radius, ſuper caudam eminens Trigonis (quam noſtri Paſtinacam* appellant, quincunciali magnitudine. Arbores infixus radici necat; arma vt telum per *forat ui* (aut vti nos ex alio corrigimus, vt) *ferri & ueneni malo*; & alibi, [g] *Nihil eſt uſquam uenenatius* quàm in mari Paſtinaca, vt pote cum radio eius arbores nacari dixerimus. Aelianus præterea hæc tradit, [h] *Ex omnibus beſtijs, infeſtiſſimo ac periculoſiſſimo aculeo Paſtinaca prædita* eſt, cuius rei teſtimonio eſt, ſi eum quis in arborem uirentem & florentem infixerit; non longo interuallo emarceſcere differt; ſed potius è veſtigio exſiccatur; id ipſum facit in animali*bus, nam ſi quod contigerit, necat.* Et paulò poſt, [i] *Paſtinaca aculeum (cuius ate mentionem feci) mortiferũ* habet, vt vel celeriter nõ modo homines, ſed etiam animalia alia perdere queat, quod quidẽ ipſum vt non admirabilitatem facit, certè id ſtupẽdam admirationem habet; quod ſi ad maximam arborem, & vegetam; & ſummè virentem, aculeum admoueas, & defigas; non multò poſt admittit folia, quę poſtquam defluxerunt, totus truncus ſimilis eſt arboribus, ſolis ar- C D

doribus exsiccatis æstate, cum est maxima siccitas. Et rursus paulò etiam post, [k] *Pastinaca sæpe aculeo* mortem infert; Leonides Bysantinus hominem piscium naturam & discrimina ignorantem è reti, ait, Pastinacam arripuisse; putabat infęlix ille Rhombũ esse; simulq; vt ille rapuisset, in sinum suum abdidisse, clamqúe subduxisse; tanquam quiddam lautum & pretiosum nactus fuisset; vbi Pastinaca ex compressione dolere cępisset, aculeo eum, qui se deripuisset, confixisse, atque infęlicis furis viscera perdidisse; furem autem prope Pastinacam proiectum iacuisse. postremò sic de eius radio cecinit Oppianus. k Lib.13.cap.7

[l] Nil tam pestiferum, sęuo nil vulnere maius l Lib.2.fol.128.17.
Trygonis; quęcunque viri mauortia tela
E Sunt fabrefacta manu, vel dura incude polita,
Spicula quę à Persis nigro sunt tincta veneno,
Nec tales faciunt plagas, nec vulnera tanta;
Trygonis viuę quantùm est horrenda sagitta.
Est nobis audire timor, vel dicere versu.
Indomitas seruat vires Trygone perempta,
Inuictumqúe tenet robur; non corpora solùm
Mortalis capit ista lues, sed saxa peredit;
Et virides lędit ramos, si cominus illos
Attigerit; pereunt plantę, ramiqúe virentes;
Germina vere nouo contacta labe necantur,
Arboreiqúe cadunt autumni tempore fętus,
F Si radix sęuo fuerit Mucrone notata.
At primò virides labuntur stipite frondes,
Siccatur truncus, fluit & velut ęgra labascit
Arbor, corrupti languent cum robore rami.
In iaculo mater donauit dędala Circe
Telegono nato telum, vt prosterneret hostes.
Hic Ithacę appulsus magni genitoris abegit
Armenta, & clarum belli virtute parentem
Letifero incautus misit mucrone sub orcum
(Hunc quęrens Ithacę lustrabat pascua lętę)
Emensum terra, & mille pericula ponti,
Et passum duros longo sub Marte labores,
Et multa expertum Trygon mactauit Vlissem.
Atque ducem solo prostrauit vulnere tantum.

G Vnde cum nullibi huius radij venenũ Piscatoribus incognitum sit; vbique ij captis Pastinacis caudam statim abscindunt; ne rei huius ignari, Pastinacam temere contrectantes, eius radio, tanto vitæ discrimine, lædantur. Et licet cartilagineorum nõnulli (vt in historia quadragesima diximus) in metu fœtus suos intra se recipiant, & trã facto metu eos emittant; teste tamen Aristotele (vti supra etiam citauimus) [m] *Pastinaca propter caudæ asperitatem, prolem non recipit*. Vt Plinius testatum reliquit, [n] *Hanc persequitur Galeos, idem & alios quidem pisces, sed Pastinacas præcipuè, sicut in terra serpentes Mustela. Tanta est auiditas ipsius ueneni*. Qui autem piscis à Plinio hoc loco Galeos appelletur, in historia trigesima septima explicauimus. Ridiculam eius capturam narrat Aelianus, [o] *Cum Pastinacam* (inquiens) subnatantem piscator intuitus fuerit, ridiculum quiddam in piscatoria saltat; & ad tibiam, quã tanquam illecebram fert, canere incipit; hęc ex ea re magnam lętitiam, voluptatemqúe cępit. Etenim (sicut ferunt) aures habet tum musicę, tum saltationis oculos intelligentes; atque hac permulsione illecta sensim ad summam aquam effertur; interea cum is qui cantu & saltatione illecebras egregiè machinatur; alter quispiam piscatorio captu imprudẽtẽ subducit. H m Hist.lib.9.cap.37. n Lib.32.cap.2. o Lib.13.cap.8.

VT SAPIAT, ET VT NVTRIAT.

Quanuis adeo venenato armata sit radio; non ob id tamen à ciborum censu prorsus submouenda est; abscissa enim (vt diximus) cauda, vbique ferè venalis habetur, atque in cibos admittitur. Verùm vilis & plebeia vbique etiam existimatur; etsi scribat Galenus, [p] *Inter ipsa cartilaginea Torpedo & Pastinaca carnẽ habent mollem & iucundam, & mediocriter per* ventrem subeuntem, nec concoctu difficilem: Nutriunt item mediocriter, ceu alia quoque *omnia, quæ carne molli sunt prædita*. Et alibi [q] *sola cartilagineorum Torpedo & Pastinaca*, siue vt vertit inter- p Clas. 2. fol. 31. A q Clas. 2. fol. 44. A

pres Turtur, *Laudantur possisque nonnunquã in saxatilium penuria ijs uti; satius tamen fuerit eas præparari cum beta trita, aut albo iure, porrum prolixius miscendo, & piperis portiunculam.* Hanc præterea edulem non solùm esse, sed grati etiam saporis, Plinius quoqȝ testis est; quomodo ea in cibi vsum

[r] Lib. 32. cap. 5. præparanda sit edocens his verbis, [r] *Cibi causa extrahi debet è dorso Pastinacæ quicquid simile est croco, caputque totum. Et hanc modicè collui in cibis; quia saporis gratia perit;* per id autem, quod croco simili in Pastinacæ dorso esse dicit Plinius, nil aliud profectò intelligit, quàm brãchias ipsas croco verè similes.

DE SIGNIS ICTVS RADII PASTINACAE, ET REMEDIIS. A

[s] Lib. 6. cap. 45. Vt Dioscorides scribit [s] *Pastinacæ ictum comitantur dolores inextricabiles, neruorum distentiones, molestiæ,* Lãguores, & alienatio mentis, obmutescentia, oculorũque caligines, locus & partes propin quę circuitu nigrescunt, sensu tactus erepto; & si quis eleuat, saniem pullam & crassam, graue *olentemque reddit.* Aetio verò authore; [t] *Qui ab ipsa percussi sunt, his uulneris locus manifestè apparet; sequi*

[t] Lib. 13. cap. 37. tur autem dolor pertinax & totius corporis stupor; acutum enim & firmũ habet aculeũ, quo vehemẽtissima vi in altũ impulso nerui sauciãtur, quapropter in aliquibus mors de repẽte totũ *cõuellẽs corpus comitatur.* Eius venenati ictus nullũ remediũ esse arbitratur Aelian⁹, inquiẽs, Aelianus ab aliis discrepat.

[u] Lib. 13. cap. 5. [u] Ab omni medicina inuictus existit Pastinacę aculeus; etenim primùm vt pupugit, statim interficit; neque enim alius quisquam; neque vulneratrix ipsa medicinam facere potest. Secus tamen sentiunt quam plures alij, aduersus huiusmodi ictũ præsidia conscribentes. Dioscoride nanqȝ authore; [x] *Quæcũque contra Viperarum morsum ualent, ei quẽ Pastinaca percusserit*

[x] Lib. 6. cap. 45.
[y] Lib. 3. cap. 35. *medentur.* Et vt idem alibi tradit; [y] *Foliorum ramorumque saluiæ decoctum epotũ eidem ictui prodest.* Quod B

[z] Lib. 22. cap. 25. Plinius quoque ex eo (vti loca conferenti clarè patebit) his verbis trãscrispit; [z] *Folia* habet cotonei mali effigie, sed minora & candida; quę cum ramis decoquuntur; Menses ciet &

[a] Lib. 28. cap. 10. *urinas, & Pastinacæ marinæ ictus sanat.* Plinius præterea testatur, [a] *Contra pastinacã, & omnium marinorum ictus, uel morsus, Coagulum leporis, uel hædi uel agni, drachmæ pondere ex uino sumi.* Alibi verò inquit,

[b] Lib. 32. cap. 2.
[c] Lib. 32. cap. 5
[d] Lib. 32. cap. 5. [b] *Percussis uerò ab ea medetur, & Galeos quidẽ, sed & Mullus ac Laser.* Et rursus alibi, [c] *Auxiliatur item Mullus contra Pastinacam, illitus sumptusue in cibo.* Et postremò paulò post, [d] *Pastinaca contra suum ictum remedio est; cinere suo ex aceto illito uel alterius.* Aetius verò loco supra citato, præter plurima quæ

[e] Lib. 13. cap. 37. ad Pastinacæ ictũ refert præsidia, quæqȝ longũ esset recensere, Scribit etiã; [e] *Narrant* quidam, si quis caudam Pastinacę quę ictum intulit, auferat; & in arborem, maximè quercum *suspendat ac figat; ipsam quidem arborem arescere, ægrum autẽ sanari.* Et postremò ibidẽ subdit; *aut succi fici guttas quinque, cum tribus serpilli granis bibendas præbe.* Quod Paulus Aegineta cõprobat, dicẽs,

[f] Lib. 5. cap. 21. [f] Pastinacę ictibus auxiliantur lactis ficulnei guttę quatuor aut paulò plures, cum cicutę, serpilli tribus aut quatuor; & quę ad viperas commemorata sunt. C

QVIBVS MEDEATVR.

[g] Lib. 2. cap. 19. Et si illis, quos suo radio percusserit, pestifera (vt dictũ est) sit; nonnullis tamẽ affectibus ipsam salutarem experimur. Dioscoridis nanqȝ testimonio, [g] *Pastinacæ radio, qui à* cauda eius exiliens prominet retrouersis squamis, dentium cruciatus sedantur; frãgit enim eos *& extrahit.* Vbi notandum est, quòd cum squamis prorsus careat tum Pastinaca tũ eius In Dioscoridẽ

radius; per retrouersas squamas nil aliud (vti arbitror) intelligere potest Dioscorides, quàm illius radij dẽtes; quibus (vti in descriptione diximus) totus vtrinqȝ serratus est; & si satis impropria huiusmodi sit locutio. Celsus præterea & Plinius non solũ hunc radium idem præstare testantur; sed quo etiã pacto ad id eo vtẽdum sit, edocẽt. animaduersio. D


[h] Lib. 6. cap. 9. Ille enim de dolore dentium agens, inquit, [h] *Plani piscis, quem Pastinacam nostri,* τρυγόνα *Græci* vocant; aculeus torretur, deinde conteritur, resináque excipitur, qua dente circũdata, hunc

[i] Lib. 32. cap. 7. *soluit.* Hic verò de dentium etiam dolore pertractans, scribit; [i] *Pastinacæ quoque radio scarifica* re gingiuas, in dolore utilissimũ; Cõteritur is, & cum elleboro albo illitus, dentes sine vexa-

[k] Lib. 32. cap. 8. *tione extrahit.* Et vt etiã tradit Plinius; [k] *strumas Pastinacæ radio pungi, ita ut non uulneret, prodest; id faci*

[l] Lib. 32. cap. 10. *endũ quotidie donec percurẽtur.* Eodẽ teste; [l] *Partus adiuuare & faciles facere Pastinacæ radius adalligatus ũbilico*

[m] Lib. 32. cap. 10. *estimatur, si uiuẽti ablatus sit, ipsamque denuo in mare demissa.* Et rursus vt idẽ author est; [m] *Pruritũ scabiẽque* nõ hominũ modo, sed & quadrupedũ efficacissimè sedat iecur pastinacę decoctũ in oleo.


P. 50
G. Αετὸς.
N. L. Aquila.
V. Aquilone.

HISTORIA QVADRAGESIMA OCTAVA DE AQVILA

NOMEN.



ISCIS in ordine noſtro quinquageſimus, quem Romæ *Aquilone*, Neapolitani *Aquila*, Ianuēſes *Peſce ratto*, Aquitani *Tareſrauke*, & alicubi *Peſce Roſpo* appellant; græcè *Αετὸς*, latinè verò *Aquila* dicitur. Hunc autem piſcem noſtrum veterum Aquilam eſſe, non ſolùm Romana ac Neapolitana vulgaris nomenclatura latinum nomen æmulata indicat; ſed ex eò etiam intelligi poteſt quòd cartilagineus & planus piſcis eſt; cuiuſmodi Aquila piſcis ab omnibus eſſe dicitur; quódqȝ nihil Aquilæ à veteribus tribuitur, quod huic non reſpondeat. Ad hoc accedit, quòd ſuis expanſis alis volantem Aquilam imitatur, vnde à Græcis *Αετὸς* à latiniſque Aquila dici videtur. Nec propterea quòd proximè ad Paſtinacæ accedat ſimilitudinem, eius differentia ſiue ſpecies altera (vt falſò arbitrantur nonnulli) cenſeri debet; quando (vt infra monſtrabimus) manifeſtis adeo notis ab ea diſtinguitur, vt diuerſa ſpecies ſtatui, atque Aquila appellari iurè poſſit & debeat.

A

DESCRIPTIO

B

Cartilagineus & planus piſcis eſt Aquila, vt veteres etiam teſtati ſunt ſcriptores; Ariſtoteles enim cum [a] *Raiæ Paſtinacæ atque Squatinæ meminiſſet*; ſubdidit, [b] *Cartilaginea verò præter ea quę numerauimus ſunt Bos, Lamia, Aquila, Torpedo, Rana, omneque genus Muſtelorum.* Quam quidem ſententiam ſic tranſcripſit Plinius, [c] *Planorum piſcium alterum genus eſt quod pro ſpina cartilaginē habet, vt Raię, Paſtinacę, Squatinę, Torpedo, & quos Bouis, Lamię, Aquilę, Ranę nominibus Gręci appellant; quo in numero ſunt Squali quoque, quanuis non plani.* In quo Plinij loco, Squali medoſè legi, & Galei reſtituendum eſſe (vt in noſtra etiam decima ſexta, & trigeſima nona hiſtoria notauimus) luce clarius patet. Nam illud Ari ſtotelis, *καὶ πάντα τὰ γαλεώδη*, id eſt, vt vertit Theodorus, *omneque genus muſtelorũ*, græco ſeruato vocabulo, Galei & non Squali interpretatus eſt Plinius, vt in prædictis hiſtorijs demōſtrauimus. Eandem præterea Ariſtotelis ſentētiam citauit & Athenæus ſcribēs; [d] *Ariſtoteles autem in quinto de hiſtoria animalium cartilaginea eſſe inquit Paſtinacam, Bouē, Lamiã, Aquilam, Torpedinē, Ranam, & Galeos omnes.* Poſtremò Oppianus quoque Aquilam carti lagineã facit, dicens, [e] *At canis atque Aquilæ & quæcunque ſelachia dicunt.* Licet autem reliqui plani & cartilaginei piſces aut ferè nullum, aut modiculum capitis veſtigium habeant, Aquilæ tamē caput expreſſum exertumqȝ eſt, atqȝ Bufonis capiti ſimillimũ. Vnde a b aliquibus *peſce Roſpo* (vt diximus) vocatur. In quo oculi ſatis magni, rotũdi, atqȝ promi nentes conſpiciuntur; & poſt eos, bina magna atque patula foramina (non ſecus quàm in aliis planis & cartilagineis) inſculpta ſunt. Anterior capitis pars non in acutum, ſed in rotundum roſtrum deſinit. Os habet ſupina parte mediocre & valde denticulatum. Latera vti latiora, ita etiam magis acuta ſunt quàm in Paſtinaca; ita vt expanſas volantis Aquilæ alas egregiè æmulari videantur. In caudæ exortu vtrinque vna parua & rotunda pinna exorta eſt. In maribus verò ex vtroque podicis latere, qui circa caudæ principium extat, vna appēdix (vti in Raijs maribus etiam diximus) pendet. Caudam multò tenuiorem atque longiorem habet quàm Paſtinaca; vnde forſan alicubi (vt dictum eſt) *peſce Ratto* appellatur, quia murinam caudam habere vi-

a Hiſt. lib. 5. cap. 5. — *b Hiſt. lib. 5. cap 5.* — *c Lib. 9. cap. 24.* — *Plinij locus reſtituitur.* — *d Lib. 7. fol. 143. 52.* — *e Lib. 1. fol. 117. 27.*

C

D

deatur. In caudæ dorso paulò post principium, pinnulla vna parua primùm erigitur, ab hac verò deinceps aculeus osseus longus acutissimus atque vtrinque serratus eminet. Nec si caudam huiusmodi aculeo, Pastinacæ instar, armatam habeat; Pastinacæ species, & non Aquila (vt nonnulli contendunt) existimari debet; quãdo haud dedecet consimili radio vel aculeo diuersas piscium species munitas esse. Neque etiam obijciendum est, apud nullum veterum scriptorum legi, Aquilæ caudam radio armari; nam cum veteres nil aliud de Aquila pisce testatum reliquerint, quàm quòd plana & cartilaginea est, atque duram carnem habet; quid obsecro mirum est? si caudam eius radio munitam esse, non notauerint. Quinimo (quod longè maius est) ne-
E que etiam radij in Pastinacæ cauda eminentis, cuius quamplures alij veterum mentionem fecerunt, vnquam (vt in historia quadragesima septima monstrauimus) me minit Aristoteles. Læui & molli cute tegitur, inferiore parte, alba; superiore verò, liuida. Ventriculum habet mediocrem, intestina satis magna, iecur subflauum, lienem subatrum. Quæ in Romano foro piscario conspici solent Aquilæ, depictæ iconis magnitudinem non excedunt; Audiuimus tamen alicubi ad trecentas etiam libras excrescere consueuisse.

LOCVS ET PARTVS.

F

Marinus piscis est Aquila, & lutulentus; in cœnosis enim maris locis victitat. Et vti [f] cartilaginea reliqua (dempta Rana) animal gignunt, cum intra se prius oua pepererint; sic Aquila etiam catulos parit, vt Oppianus testatur his versibus; [f] Hist. lib. 6. cap. xi.

> At Canis atque Aquilę & quęcumque selachia dicunt, [g] Lib. 1. fol. 117. 27.
> Et Delphin ponti princeps, Vitulique marini,
> Hi pariunt fœtus; fœtus ęquare parenti
> Posses optatę cernunt cum tempora lucis.


NATVRA, ET MORES.


G

Aquila tum pinnulis, quæ circa caudæ exortum sunt; tum latitudine sua, qua pinnarum vice vtitur, natat. Soliuagus piscis est; atque carniuorus. Et cum os subtus in ventre (vt diximus) habeat; non nisi supinus vescitur. Vnde tum ob id, tum quia haud admodum celer est; cum pisces, quibus vescatur, haud facilè assequi possit, astu eos venatur. Nam Pastinacæ instar latrocinatur ex occulto, trãseuntes radio caudæ figens. Quem quidem radium, non secus quàm Pastinacæ (vt superiore historia diximus) perniciosum atque pestiferum non solùm piscibus, sed & hominibus esse arbitrantur. Vnde vbique capitis Aquilis, non minus quàm Pastinacis, cauda statim à pis
H catoribus abscindi solet; ne eius radio, temere eas pertractantes lædantur.

VT SAPIAT, ET VT NVTRIAT.

Non solùm insuauis, sed ingratus adeo palato piscis est Aquila; vt vbique vilis habeatur; eamque non solùm nobiles, sed infimæ etiam plebis homines aspernari soleant. Galenus Philotimi testimonio, [h] *Ipsam inter duræ carnis pisces iure connumerari*, asserit. Et propterea ægrè etiam admodum concoquitur. [h] Clas. 2. fol. 30. C.


N. G. βάτος. L. Raia. V. Raia


P. 52.
N. G. Λειόβατος.
L. Læuiraia.
V. Mucosa.

HISTORIA QVADRAGESIMA NONA DE RAIIS

DE RAIARVM GENERIBVS.



ANte nominum institutionem, descriptionemque corporis; quò clarior nostra Raiarum historia reddatur, de earum differentijs pertractandum duximus. [a] Aristoteles igitur, [b] atque Galenus, *duo tantùm Raiarum genera fecerunt; primum* βάτον, id est, *Raiam; Alterum verò* λειόβατον, hoc est, *Læuiraiam appellantes*. [c] Athenæus deinceps his duobus generibus *tertium addidit, quod* βατίδα ἀστερίαν, *Raiam scilicet stellarem vocauit*. Nec si plures Raiarum differentiæ reperiri videantur; in prædictis assignandis generibus diminuti cēsendi sunt illi; quando non solùm ad tria Athenæi genera, sed ad illa etiam bina Aristotelis atque Galeni, omnes facilè reduci possint. Nam cum Raiæ omnes aut aspera, aut læui cute intectæ sint, quæcunque asperam cutem habent, quouis modo illa aspera sit (multifariam enim, vt infra declarabimus, Raiarum exasperatur cutis) simpliciter βάτοι, id est, *Raiæ*; quæ verò læui cute teguntur, λειόβατοι, hoc est, *læuiraiæ* appellantur. Cum præterea Raiæ nonnullæ dorsum (vt infra latiùs explicabimus) notis quibusdam depictum habeāt; has stellares Raias vocauit Athenæus. Verùm cum hæ quoque aut aspera, aut læui intectæ sint cute (vtrumque enim accidit) vel ad Raiarum, vel læuiraiarum genus reduci debent. Et propterea vti Athenæi laudanda est diligentia; quippe qui paulò exactiore vsus sit diuisione; sic Aristoteles, & Galenus, cum eam fecerint geminam partitionem, quæ necessariò Raias omnes complectitur; damnandi ceu diminuti nō sunt. Quibus sic declaratis, ad Raiarum nomenclaturam iam accedamus.

E

F

[a] Hist.lib.6.cap.xi.
[b] Clas.2.fol.31. A
[c] Lib.8. fol.177. 42.

NOMEN RAIAE.

Piscis, quem Romæ (ob lapideos aculeos) *Perosa* siue *Petrosa*, Massiliæ (eò quòd aculeis clauos imitantibus horreat) *Clauellade*, in Gallia *Raie bouclee*, & Germani *Rocchen* appellant; à Græcis βάτος & βατὶς dicitur. Propterea quòd caudam & dorsum recuruis aculeis, agrestis rubi instar, quem Græci βάτον dicunt; armatum habeat. Et licet [d] βάτον, & βατίδα, tanquàm diuersos pisces numerare videatur Athenæus; solo tamē sexu differunt; mas enim βάτος, fœmina verò βατὶς vocatur; vt ex Aristotele colligi potest; quippe qui [e] *ubi de illis agit, quæ æquè mari & fœminæ Raiæ conueniunt*, βάτου; vbi verò [f] *de ouorum figura, pariendique ratione pertractat*, quæ ad solam Raiam fœminam spectant, βατίδος nomine vtitur. Cum præterea [g] βότιν, & βοτάνην *inter pisces recenseat Sophron*, apud Athenæum, an ijdem sint cum prædictis, vel diuersi; neque ipse explicat, neque facilè est diuinare. βάτος autem, & βατὶς, à Latinis (non solùm nomenclatura, sed significatione etiam Græca posthabita) Raia appellatur. Huius autem Raiæ Iconem non appinximus, propterea quòd ex depictis stellaris, atque læuiraiæ Iconibus, facilè cognosci possit.

In Athenæum animaduersio.

G

[d] Lib.7.fol.143.45. &.49.
[e] Hist. lib 1. cap.5. lib.2.cap.13. Lib.5.cap.5. lib.6. cap.xi. De part. lib.4.cap.13.
[f] Hist.lib.6.cap.xi.
[g] Lib.7.fol.144.1.

NOMEN LAEVIRAIAE.

Quinquagesimus secundus piscis noster; quem Romæ (eò quòd Muco sordida eius sit cutis) *Mucosa* siue *Bauosa*, Massiliæ verò (à lecti straguli similitudine) *Flassade* appellant; λειόβατος à Græcis vocatur; Latinè verò *Læuiraia* dici potest; & si nemo veterum Latinorum Læuiraiæ meminerit. Dicitur autem λειόβατος, propterea quòd dorsum eius cute læui tegatur, aculeisque careat. Nec obijciendum est; simul stare non posse, læuem esse, aculeisque carere; & βάτον vocari; cum βάτος piscis (vt supra monstrauimus) ob recuruos aculeos, quibus, rubi instar horret; dicatur. Nam & si dorsum huius piscis eiusmodi aculeis careat, eisdem tamen munita est cauda. Vnde cū aculeatam ac horridam caudam habeat, dorsum verò læue, iurè λειόβατος à Græcis,

H

h Lib.7.fol.155.51.

Suspitio mendi in Athenæo

à nostris verò Læuiraia vocatur. Sed cum in Athenæo [h] *λειόβατον*, *ῥίνην* etiam vocari legatur, mendum certè suspicor; cum *ῥίνη* piscis sit ab hoc diuersus, & aspera cute tectus; vt in historia quinquagesima habetur.

NOMEN RAIAE STELLARIS.

i Lib.8.fol.177.42.

Non solùm piscis noster quinquagesimus primus, qui Romæ dum minor est *Arzilla*, maior verò factus *Raia* vocatur; sed & qui Massiliæ *Mirallet* dicitur; nec non quiuis alius ex Raiarum genere, cuius dorsum maculis quibusdam insignitum apparet, ab Athenæo [i] *βάτις ἀστερίας* appellatur; à nostris verò Stellaris Raia vocari potest.

DESCRIPTIO RAIAE.

A

k Hist.lib.1.cap.5.li.5.cap.5.lib.6.cap.x.
l Lib.9.cap. 24.
m Clas.2.fol.31.A
n Lib.7.fol.143.46.&.52.

Raia ex cartilagineorum & planorum piscium est numero; vt [k] Aristoteles, [l] Plinius, [m] Galenus, atque [n] Athenæus testantur. Valde enim depressus piscis est, & ferè quadrangulus; nam vti anterior & posterior pars eius, atque vtrunque latus plurimùm extenuantur; ita etiam in acutum desinunt. Pars tamen anterior haud æquè in omnibus acuitur; in Læuiraia nanque (vt figura nostra. 52. indicat) prominentior atque acutior multò est. In superiore autem parte anteriùs, in qua modicum apparet capitis vestigiū, oblongos oculos habet; & post eos, magna duo foramina patula semper & in palatum peruia. Parte inferiore os est, nonnullis earum denticulatum, alijs verò edentulum; sed vice dentium, asperioribus maxillis instructum. Ante os, bina olfactui deseruientia foramina, insculpta sunt. Præterea vt Aristoteles prodidit, [o] *Branchias detectas, & vtrinque quinas, supina etiam parte habet*. Postremò hac eadem inferiùs podex conspicitur; qui in fœminis Raijs muliebri pudendo consimilis videtur. A podice statim cauda exoritur, in omnibus longa satis, atque teste Aristotele [p] *aspera*, aculeis scilicet quamplurimis robustis atque incuruis horrida. In caudæ dorso duæ pinnulæ; & aliæ etiam duæ paruæ & orbiculares (non secus quàm in Pastinaca) circa caudæ ortū vtrinque scilicet vna, exoriuntur. Et si Aristoteles eam pinnis carere testetur, inquiens, [q] *Cartilaginei quoque generis aliqua pinnis carent, videlicet quæ plana sunt, et caudam habent, ut Raia, & Pastinaca; suaque latitudine natant*. Et alibi, [r] *Raia & similes pro pinnis extrema sui corporis latitudine natant*. Nec ad probandum ab Aristotele quoque pinnas Raiæ tribui, Aristotelis locus citandus est, in quo habetur [s] *βάτος δὲ ἔχει καὶ ὅσα τὸ πλάτος μὴ ἔχει ἀπολελεπτυσμένον*, id est, vt vertit Theodorus, *Raiam tamen pinnas habere videmus & quæcunque suam latitudinem nō colligunt in mucronē*; quando locus iste mendosus sit; & non *βάτος*, sed *βάτραχος* legi debeat; vt manifestissimè ī historia quadragesima quinta declarauimus. Maribus præterea Raijs, vti in nostra quinquagesima secunda figura videre est, ex lateribus ostij excremētorum duæ pendent appendices. Vnde iurè testatum reliquit Aristoteles, [t] *differunt nonnulli mares cartilaginei generis à suis fęminis; eò quòd maribus bina quędam circa excrementi ostium pendent; quibus fæminæ carent*. Venter siue pars inferior læuis & alba est; dorsum verò siue superior pars omnibus ex cineraceo (& si non æquè, nam aliquibus magis, aliquibus verò minus) flauescit. Nonnullæ autem illud non solùm flauescens, sed notis etiam quibusdam insignitum habent; quod multifariam contingit; in aliquibus enim albæ paucæ & maiores; in alijs albæ etiam sed plures & minores; in nonnullis verò binæ tantùm nigricantes rotundæ atque oculos præseferentes, haud absimiles ijs, quibus Torpedo pingitur, conspiciuntur notæ. Et vti colore, ita etiam læuitate & asperitate superioris partis Raiæ differunt; nanque non minus quàm inferior, superior etiā pars læuis apparet in aliquibus, in alijs verò aspera existit; vt Aristoteles etiam de piscium cute pertractans testatur inquiens [u] *Cutis alijs squamata (etenim squama prærigiditate tenuitateque desistens summa corporis occupat) alijs aspera, ut squatinæ Raiæ & reliquis generis eiusdem; alijs lenis, sed paucissimis*. Differunt præterea & variè admodum aculeis quoque; nam & si omnibus, non tamen æquè aculeata est cauda; in nōnullis enim triplici aculeorū ordine, in alijs verò simplici duntaxat armata videtur. Et rursus vti nonnullæ præter caudam, nullam aliam partem aculeatam habent; ita in aliquibus non cauda solùm, sed dorsi etiam spina aculeis instructa est; in alijs verò tota etiā prona siue superior pars aculeis horret;

Margin notes beside the text above:

o Hist.lib.1.cap.5.lib.2.cap.13.

B

p Hist.lib.6.cap.x.

Aristoteles notatur.

q Hist.lib.1.cap.5.
r De parti.lib.4.cap.13.

s Hist.lib.1.cap.5.

C

Aristotelis locus corrigitur.

t Hist.lib.5.cap.

D

u De Part.lib.4.cap.13.

& in quibuſdam demum ſupina quoque pars aculeata conſpicitur. Suntque aculei ipſi in nonnullis frequentiores, in alijs verò rariores; atque in aliquibus maiores & validiores, in alijs verò minores & imbecilliores. Ventriculum habent mediocrem, inteſtina craſſa, hepar ſubflauum, cui fellis hæret veſica (vt [x] *in Læuiraia notauit* Ariſtoteles) ſplenem verò ſubatrum. Satis excreſcere ſolent Raiæ; bicubitales enim aliquando vidimus, audiuimusque alicubi multò maiores reperiri. Et vt teſtatum reliquit Aelianus, [y] *non maiores argolico Clypeo Raiæ gignuntur in India, haud longè à litore.* [x] Hiſt.lib.2.cap.15. [y] Lib.13.cap.4.

LOCVS, COITVS, ET PARTVS.

Marinus piſcis eſt Raia, [z] *Inter piſces maris peculiares* à Plinio; [a] *Inter eos uerò, qui in cœnoſis maris locis uictitant, connumeratus* ab Oppiano. Vt autem coeat edocet Ariſtoteles, inquiens, [b] *Plani cartilaginei iidemque habentes caudam, ut Raia Paſtinaca, & reliqua huiuſcemodi; non ſolùm admotis ſupinis, ſed etiam tergo fœminarum ſupinis marium ſuperpoſitis, modo cauda impedimento nullo ob craſſitudinem ſit, coeunt*; atque Plinius hunc Ariſtotelis locum ſic tranſcribens, [c] *Plani piſcium quibus cauda non obeſt, aculeique; ut Raiæ & Paſtinacæ; in coitu ſuperueniunt.* Vbi animaduerti debet in vulgatis plinianis codicibus mendoſè legi, *plani piſcium, quibus cauda non eſt, aculeatique, ut teſtudines in coitu ſuperueniunt.* Nec ſolùm cum Raia, [d] *ſed cum Squatina etiam Raia coire creditur* Ariſtotele Authore. De quo quidem promiſcuo coitu, in hiſtoria quinquageſima prima pertractauimus. Et vt idem teſtis eſt, [e] *Caniculæ & Raiæ teſtacea quædam gerunt, in quibus* humor ad oui ſimilitudinem conſiſtit; figura eius teſte ſimilis tibiarum ligulis eſt; meatuſque fiũt capillamentorũ ſpecie in teſtis. Sed caniculis fœtus; rupta dilapſaque illa teſta proueniũt; *Rays cum pepererint, rupta teſta, excluditur fœtus.* Quæ omnia veriſſima ſunt; vt in noſtra trigeſima nona hiſtoria declarauimus. Quamobrem ut rurſus alibi Ariſtoteles prodidit, [f] Raia, & Leuiraia gignunt animal, cum intra ſe oua pepererint. [z] Lib.32.cap.xi. [a] Lib.1.fol.105.29. [b] Hiſt.lib.5.cap.5. [c] Lib.9.cap.51. [d] Hiſt.lib.6.cap.xi. [e] Hiſt lib.6.cap.x. [f] Hiſt.lib.6.cap.xi.

E Plinij locus corrigitur. F

NATVRA ET MORES.


Carniuora eſt Raia; & ſupina veſcitur; propterea quòd os ſubtus in vẽtre habeat. Gregalis eſt. Et teſte Ariſtotele [g] *Hyeme latet.* Et licet in impreſſis græcis codicibus hoc non legatur, in Theodori tamen traductione, atque in vetuſto manuſcripto habetur. Vt præterea in Ariſtotele vertit Theodorus, [h] *Obruunt arena ſeſe & Aſelli, & Raiæ, & Paſſeres,* & Squatinę, cunque nullam ſui corporis partem in tectam reliquerint, verberant radiolis ſui oris, quos piſcatores virgulas vocant; quas piſciculi cum aſpexerint, adnatant quaſi ad algas; *quibus ueſci ſoliti ſunt.* Et vt apud Plinium legitur, [i] *Squatina & Rhombus abditi pinnas exertas mouent ſpecie uermiculorum; Item quæ uocatur Raia.* Sed num Raia legi, vel Rana potius in vtroque reſtitui debeat, in hiſtoria quadrageſima quinta diſputauimus. Oppiano autem authore, [k] *Raia hamo infixa, haud ſponte trahentem ſequitur; ſed plurimùm reluctando, ſæpe hamo ſoluta (piſcatore dolente) effugit.* [g] Hiſt.lib.8.cap.15. [h] Hiſt.lib.9.cap.37. [i] Lib.9 cap.42. [k] Lib.3.fol.134.23.

In Ariſtotelem animaduerſio. G

VT NVTRIAT, VT SAPIAT, ET QVIBVS MEDEATVR.

Raiæ non ſolùm noſtris ſed antiquis etiam temporibus viles fuerunt. Vnde apud Athenæum, [l] *Dorion cuidam Raiam optimum piſcem eſſe aſſerenti, non ſecus quàm ſi quis elixum comederet palliũ, reſpondit.* Galenus verò [m] *Raiam & Læuiraiam duriores eſſe, & concoctu difficiliores, atque copioſioris alimenti, quàm Torpedo & Paſtinaca* prodidit. Quamobrem cum apud eundem Athenæum, ſcribat Diphilus, [n] *Et Raia ori grata, Raiaque ſtellaris tenerior & boni ſucci; atque Læuiraia aluo difficilior et uirus olens*; vti Raiam minus inſuauem, Raiam verò ſtellarem minus duram ac minus mali ſucci, quàm Læuiraia (quæ re vera omnium deterior eſt, [o] *& ſi carnem albam habeat,* vt apud Athenæum *Epænetus in re coquinaria aſſeuerat*) eſſe, ei aſſentiri poſſumus & debemus; ſic neque Raiam ſuauem, neque Raiam ſtellarem teneram boniq́ue ſucci eſſe; concedendum eſt; quando omnes inſuaues ſint atque duræ carnis; ſolumque hepar tenerum atque ſapidum habeant. Hyeme tamen minus inſuaues eſſe ſolent. Et propterea apud Athenæum [p] *Archeſtratus hyeme potiſſimùm eas comedendas eſſe ſuadet; caſeo atque ſilphio conditas.* Nunc autem maioribus elixis, cum alliato condimento; minoribus verò frixis, atque arancij mali ſucco & pipere conſperſis, plebei homines (nam nobiles ab eis abſtinent) veſci ſolent. Et vt author eſt Plinius, [q] *Auribus utiliſſimum Bati piſcis fel recens, ſed & inueteratum uino.* [l] Lib.8.fol.168.34. [m] Clas.2.fol.31.A [n] Lib.8.fol.177.42. [o] Lib.7.fol.155.51. [p] Lib.7.fol.144.3. [q] Lib.32.cap.7.

H


P 53
N. G. ῥίνη.
L. Squatina.
V. Squadro.

HISTORIA QVINQVAGESIMA

DE SQVATINA

NOMEN.



IC noster quinquagesimus tertius piscis, quem Romæ, *Squadro di mare*, Massilienses, ac Galli (eò quòd Angelum cum expansis alis depictum æmuletur) *Peange*, & Lusitani *Lamio* vocant; à Græcis (propterea quòd cutis suæ asperitate limam, quam ῥίνην Græci appellant, imitetur) ῥίνη dicitur; à Latinis ob cutis etiam squalorem, hoc est, asperitatē, *Squatina* vocatur; nec non aliquando etiam *Squatus*; vt Plinius testatur, inquiens, [a] *Rhina quem Squatum uocamus*; ac Isidorus Hyspalensis, dicens, [b] *Squatus dicitur, quòd sit squamis acutis, unde & eius cute lignum politur*. Verùm cum Plinius, [c] in alijs locis omnibus *Squatinam*, & non *Squatum*, piscem hunc vocauerit; haud ab re erit (mea quidem sententia) mendum in præcitato Plinij loco suspicari; & Rhina, quem Squatinam vocamus, corrigendum existimari. A

a Lib. 32. cap. 11.
b Lib. 12. cap. 6.
c Lib. 9. cap. 12. cap. 24. cap. 42. cap. 51.

Plinii locus forsan mendosus.

DESCRIPTIO.

Cum lato sit corpore, atque cartilagines pro spinis habet Squatina, non abre, vt [d] Aristoteles, & [e] Plinius, testantur, *inter cartilagineos & planos pisces recensetur*. Etsi Oppianus, dicens, B

d Hist. lib. 5. cap. 5.
e Lib. 9. cap. 24.
f Lib. 1. fol. 113. 2.

[f] Tertia dicetur galeorum nomine turba;
Ast Galeis alias gentes numeramus, Acanthas,
Et catulos, Leues, Squatinas, adiungimus istis
Vulpes, & Varios.

Cartilagineis longis, & non planis, Squatinam adnumerare videatur. Quod tamē non inconuenit; nam cum oblongiusculo corpore sit quàm reliqui plani, haud dedecet, inter galeos eam connumerari ab ipso. Anterior capitis pars Squatinæ, lata, circularis atque retusa adeo est, vt rostro prorsus careat. Os plurimis dentium validorum acutorum atque in os recuruorum ordinibus munitum, non in supina parte (cæterorum cartilagineorum instar) sed in anteriore (non secus quàm in Rana marina) consistit. Oculi parui sunt, in superiore capitis parte siti; non sursum tamen (vt piscis Vranoscopi) sed ad latera spectantes. Post oculos in eadem suprema capitis parte, foramina admodum patula, & in palatum peruia, æquè atque in reliquis alijs planis & cartilagineis, insculpta apparent. Branchias non in supina corporis parte, vt plana & cartilaginea reliqua, sed in lateribus, Galeorum instar, habet. Pinnæ vtrinque binæ sunt, & vtræque in lateribus; priores, circa caput & maiores; quasi in eas corporis latitudo degenerauerit; posteriores, ante caudæ exortum & minores. De quibus pinnis sic testatum reliquit Aristoteles, [g] *Squatina & Rana pinnas lateribus accommodatas infra gerunt, propter amplitudinem partis superioris; quę autem parti supinę commissę sunt, eas iuxta caput adiunctas habent; nihil enim latitudo impedit, quo minus moueantur; sed pro superis illis has gerunt minores ijs; quæ ad latera applicantur*. Et præter has, in caudæ dorso aliæ duæ pinnulæ eriguntur. Cauda verò, quæ vti longiuscula, ita Aristotelis testimonio, [h] *plenior est*, in aliam vnam lunatam pinnam desinit. Ventriculus magnus est; Intestina etiam magna sunt. Hepar, [i] *cui* (teste etiam Aristotele) virentis *fellis uesica hæret*; per magnum est, pallidumque, atq; in duas fibras diuisum. Lien verò haud magnus est, sed subnigricās. C D

g De part. lib. 4. cap. 13.
h Hist. lib. 5. cap. 5.
i Hist. lib. 2 cap. 15.

Et licet ex cartilagineorum planorum ſit numero, longiori tamen atque magis contracto corpore eſt (vt ſupra diximus) quàm reliqua plana & cartilaginea ſint. Pars ſupina cute tegitur alba & læui; prona verò, cineracea atque *aſpera*; vt [k] Ariſtoteles, [l] Epicharmus apud Athenæum, atque [m] Plinius tradidere. Qua (non ſecus quàm antiquitus, vt idem ſubdit Plinius) *lignum & ebora poliuntur*. Ex eaque cultellorum & falcatorum enſium Vaginas, Turcæ atque Barbari maritimi, admodum pulchras conficere ſolent; nonnulli verò enſium capulum eadem muniunt. Ad multam molem excreſcit Squatina; ita vt aliquando vel centum libras ſuperaſſe viſa ſit.

[k] De par.lib.4.ca.13
[l] Lib.7.fol.143.49.
[m] Lib.9.cap.12.

LOCVS ET PARTVS.

E

Marinus piſcis eſt Squatina, & iurè [n] *inter piſces maris peculiares recenſitus* à Plinio. Oppiano authore, [o] *Ex illis marinis piſcibus eſt, qui cœnoſa loca incolunt*. Et vt Ariſtoteles teſtatur, [p] *Raia* Paſtinaca & reliqua huiuſmodi, non ſolùm admotis ſupinis, ſed etiam tergo fœminarum ſupinis marium ſuperpoſitis, modo cauda impedimento nullo ob craſſitudinem ſit, coeunt. At Squatinę, & quibuſcunque plenior cauda eſt, his attritu mutuo tantùm partium ſupinarum *coitus agitur*. Et licet piſcium diuerſa genera non coeant; Squatina tamen cum Raia coire creditur; cuius rei veritatem inſequente hiſtoria excutiemus. Vt verò idem tradit Ariſtoteles, [q] *Cartilagineorum Squatina una bis anno parit*. Verùm cum, vt is alibi dixit, [r] *Muſteli quoque, qui etiã cartilaginei ſunt, bis anno, excepta canicula, pariãt*; priori loco haud forſan τῶν δὲ σελαχῶν, vti Græci codices, quos vidimus, habent; ſed τῶν δὲ σελαχῶν πλατέων, id eſt, cartilagineorum planorum, legi debet; vt animaduertiſſe videtur & Plinius, quippe qui eundem Ariſtotelis locum, ita vertit; [t] *Ex planis Squatina ſola bis parit*. Quibus autem binis anni temporibus pariat, declarat Ariſtoteles his verbis, [u] *Squatina etiam autumno, occaſu vergiliarum parit, qui partus ſecundus eſt, primus enim verno fit tempore, ſed ſecundus fœlicior eſt*. Vnde cum idem alibi dicat [x] ἡ ῥίνη τίκτει δίς, τίκτει γὰρ καὶ ἀρχομένου τοῦ φθινοπώρου, καὶ περὶ πλειάδος δύσιν, εὐημερεῖ δὲ ἐν τῷ φθινοπώρῳ; hoc eſt (vt vertit Theodorus) *Squatina parit bis, nam & incipiente autumno & circa vergiliarum occaſum, ſed per autumnum fœlicius*; haud priorem Squatinæ partum incipiẽte autumno fieri, alterum verò vergiliarum occaſu, id eſt autumno finiente, aſſerere credendus eſt; vti contextus eius ſonare, atque Plinius teſtari videtur; quippe qui ita hunc locum tranſcripſit [y] *Squatina bis parit autumno, & vergiliarum occaſu*; ſed potius cum paulò ſupra Ariſtoteles ſcripſerit [z] *Scorpio bis parit & Sargus, vere & autumno*; ac deinceps ſubdiderit, [a] *Squatina bis parit; parit enim* (vt nos græca verba ſequuti interpretamur) *& autumno incipiente & vergiliarum occaſu, per autumnum autem fœlicius*; omiſſo priori & verno partu (ceu notiſſimo, ac piſcibus ferè omnibus communi; vt ipſemet alibi teſtatur inquiens; [b] *Pariunt piſces plurima ſui parte menſibus his tribus, Martio, Aprili, Maio; Autumno pauci, vt Salpa, & Sargus, & nonnulla alia generis eiuſdem, paulò ante æquinoctium, adde iis Torpedinem & Squatinam*) ſecundi tantùm partus, tum ineunte autumno, tum vergiliarum occaſu facti, meminiſſe videtur. Quam quidem Ariſtotelis ſententiam cum ſic tranſcripſerit Plinius, [c] *Plurimi piſcium pariũt tribus menſibus Aprili, Maio, Iunio; Salpæ autumno, Sargi, Torpedo, Squali circa æquinoctium*. Squali apud eum pro Squatina mendoſè legi clariſſimè ex ipſo Ariſtotelis loco intelligitur. Eodem præterea Ariſtotele authore, [d] *Singulis Squatinæ fœturis partus ſepteni aut octoni proueniunt*; paritque Squatina Catulos, vt cæ-tera cartilaginea; Poſtremò vt idem teſtatum reliquit, [e] *cæteri Muſteli fœtus ſuos & emittunt & recipiunt* (timoris cauſa, vt in hiſtoria quadrageſima docuimus) *intra ſeipſos; quod idem & Squatinæ, & Torpedines faciunt*. Vt verò Oppianus aſſeuerat, non intra ſe recipit fœtus, ſed ſub pinnulis ſuis tuetur; inquit enim.

[n] Lib.32 cap.xi.
[o] Lib.1.fol.113.4.
[p] Hiſt.lib.5.cap.5.
[q] Hiſt.lib.5.cap.10.
[r] Hiſt.lib.6.cap.xi.
[s] Hiſt.lib.5.cap.x.
Ariſtotelis locus mendoſus videtur.
F
[t] Lib.9.cap.5.
[u] Hiſt.lib.6.cap.xi.
[x] Hiſt.lib.5.cap.x.
[y] Lib.9.cap.51.
[z] Hiſt.lib.5.cap.9.
G
[a] Hiſt.lib.5.cap.x.
[b] Hiſt.lib.5.cap.xi.
Plinii locus corrigitur.
[c] Lib. 9. cap. 51.
H
[d] Hiſt.lib.5. cap.x.
[e] Hiſt.lib.6.cap.x.
[f] Lib.1.fol.119.17.

[f] Obſeruant Squatinę natos, nec ventre recundunt,
Vt Canibus mos eſt, ſed pandunt ſubter hiatus
In madidis alis quantos aperire natantes
Ore ſolent rictus, ſic fœtus alta vorago
Sorbet, & in tanta natos formidine ſeruat;

NATVRA, ET MORES.

Carniuora est Squatina, & solitaria; nunquam enim vnà plures capiuntur. Et Aristotelis testimonio,[g] *Vti Polypus sui mutatione coloris uenatur pisces (trahit enim sibi colorem* similem iis, quibus appropinquauerit saxis ; quod idem etiam, cum metuerit facit) Sic piscium sola Squatina ita affici solet ; mutat enim hęc, more Polypi, suum colorem . Vtitur præterea & alia solertia in captandis piscibus ; Nam vt idem testis est. [h] *Obruit arena sese, cunque nullam sui corporis partem intectam reliquerit ; uerberat* (τοῖς ἐν τῷ σώματι, ἃ καλοῦσιν ῥαβδία οἱ ἁλιεῖς, hoc est (ut vertit Theodorus) *radiolis sui oris, quos piscatores uirgulas vocant*, quas pisciculi cum aspexerint, adnatant quasi ad algas, quibus uesci soliti sunt. Quem quidem locum sic transcripsit Plinius, [i] *simili modo* (de solertia enim marinæ Ranæ locutus priùs fuerat) Squatina abdita pinnas exertas mouet specie vermiculorum. A

g Hist. lib. 9. cap. 37.

h Hist. lib. 9. cap. 37.

i Lib. 9. cap. 42.

VT SAPIAT, VT NVTRIAT, ET QVIBVS MEDEATVR.

Ignobilis atque iniocunda adeo est Squatina, vt vel infimæ plebis homines eam aspernari soleant. Galeno teste; [k] *carnem duram habet & concoctu difficilem; sed quæ corpus magis alit quàm Torpedo, aut Pastinaca*. Et si Diphilus apud Athenæum, secus sentiat, inquiens, [l] *Squatina, quæ etiam ex cartilagineis existit, concoctu facilis, & leuis est; & quæ maior est, magis alit*. Apud eundem Athenæum [m] *Dorion in Smyrna, Archestratus uerò circa Miletum ortas Squatinas celebrant*. Plinio autem teste, [n] *Squatinæ illitæ crescere mammas non patiuntur, Earum uerò cutis combusta pudendorum pustulas discutit*. B

Diphilus discrepat à Galeno.

k Clas. 2 fol. 31. A.


l Lib. 8. fol. 177. 45.

m Lib. 7. fol. 159. 33.

n Lib. 32. cap. 10.

HISTORIA QVINQVAGESIMA PRIMA DE RHINOBATO SIVE SQVATRAIA

NOMEN.




SICVT ordinis ratio expostulabat, post Squatinam de Rhinobato pertractandum esse, ita hunc ordinis nostri quinquagesimum quartum locum appingendo Rhinobati dereliquimus. Verùm cum ῥινόβατος piscis huc vsque (vt sperabamus) à nobis visus non fuerit, eius posthabita Icone, eiusdem historiam duntaxat conscribemus. Vt igitur græcè composito nomine ῥινόβατος ab Aristotele, ita à Theodoro *Squatinoraia*, ab alijs verò *Squatraia* vocatur. Veterum autem solus Aristoteles atque Plinius (quod sciam) eius meminerunt. Inquit enim ille, [a] *Piscium cæterorum diuersa genera coire uisum à nemine est; Squatina* sola & Raia hoc facere creditur; argumento piscis cuiusdam, qui nomen ex vtroque compositum trahit Rhinobati (quasi Sqatinoraiam appelles) est enim parte priore Raię similis, posteriore, *Squatinæ; tanquam ex utroque prouenies genere*. Et alibi, [b] *Quinetiam aduncorum accipitres, specie diuersi* coire putantur; Idemque in nonnullis aliis auibus euenire animaduersum est. In marinis nihil adhuc exploratum habemus dignum memoratu; qui tamen Rhinobati appellantur, gigni creduntur *ex squatina & Raia*. Hic verò Aristotelem sequutus, ait [c] *Piscium diuersa genera non coeunt* preter Sqatinam & Raiam; ex quibus nascitur priore parte Raię similis; & nomen ex vtroque *compositum apud Græcos trahit*. Quibus quidem verbis Rhinobatum piscem non solùm describit Aristoteles, sed eundem verè etiam reperiri indicat; & si inuentu rarus sit; atque nobis huc vsque (vt diximus) inuisus. Propterea quòd non solito & ordinario, sed fortuito tantùm coitu gignatur. Qua etiã ratione, neminem alium antiquorum mentionem eius fecisse opinamur. Nec si Aristoteles vtroque præcitato loco, per verbum credo loquitur; an piscis iste re vera reperiatur, vel potius fictitius sit, in dubium verti debet; quando si vtrũque locum eius exactè expendamus, in neutro verbum creditur, quo vsus est, ad piscis figuram, aut existentiam referri debet; sed solùm ad procreandi modum. Ita vt Aristoteles, sicuti vtrobique Rhinobatum verè reperiri innuit; sic vtrobique eundem gigni ex extraordinario Raiæ & Squatinæ coitu, credi scribit. Si aliquando igitur Rhinobati piscis (quod quidẽ desideramus) spectandi dabitur occasio; Iconem atqne pleniorem eius exhibebimus historiã, hoc interim, his paucis contentus sis candide lector.

[a] Hist. lib. 6. cap. 11.

[b] De Gene. ani. lib. 2. cap. 5.

[c] Lib. 9. cap. 15.


p 55
N. G.
L. Mola
V. Molci

HISTORIA QVINQVAGESIMA SECVNDA DE MOLA

NOMEN.



ISCIS nostri quinquagesimi quinti, quem in ijs Italiæ locis, in quibus capi solet, *Mola*, Massilienses *Molę*, & Hispani *Bout* appellant; à veteribus græcis latinísue scriptoribus neqȝ mentionem vllam fieri scimus, neque factam esse credimus. Varia enim adeo ac ita diuersa ab alijs piscibus figura eius est, vt haud nos latere posset, si illorum quispiam eius quouis modo meminisset. Quamobrem cum græco & latino nomine careat, vti vulgò (propterea quòd rotundus ferè piscis videatur) Molā vocant; ita & nos eadem ratione ducti eum Molā vocabimus. Nec est vt quispiā piscē hunc antiquorum Rotam esse arbitretur, ea persuasus ratione quòd sicuti nunc vulgò ob rotundā figuram Molā (vt diximus) vocant, ita etiam olim eadem de causa veteres Rotam appellasse videantur; quando ea quæ veteres Rotæ tribuūt pisci, huic nostro non conueniāt. Cum nanque Plinius & Aelianus inter veteres Rotæ piscis mentionē fecerint, ille de marinis beluis agens, inquit; [a] *Apparent & Rotæ appellatæ à similitudine quaternis distinctæ radijs, mediolos earum oculis duobus utrinque claudentibus*; hic verò de Cetis etiam pertractans ait, [b] *Inter huiscemodi* beluas numerantur quę Rotę appellantur, hę gregatim natant maximè prope Athonem montem; Eas non fortes esse ferunt; earum vertices apparēt, & adeo longis sunt hirsutę spinis, vt hę extra mare emineant. Cum remigationis strepitum perceperunt, tum circunuersantur, & circunuoluuntur, vt quàm altissimè sese in profundum detrudāt; rursusque ex imo gurgite ad *summum se se efferentes, reuersiones in orbem faciunt; unde nomen traxerunt.* Quorum neutrum Molæ pisci respōdet; vti tū ex Icone, tum ex descriptione nostra clarissimè patet. Neque si apud latinum Aristotelem legatur, [c] *Sacer æstate parit mox Aurata, Lupus, Mormur, Molaris;* hic piscis noster Molaris eius, ob nominis similitudinē, cēseri debet; nā neqȝ in impressis neqȝ in manuscriptis græcis Aristotelis codicibus μυλιτικός, aut aliud græcū nomē, quod molarē sonet, habetur; vnde iurè mirari cōuenit, cur Theodorus *Molarem* addiderit

A B C — Theodorus notatur.

[a] Lib. 9. cap. 4.
[b] Lib. x. cap. xi.
[c] Hist. lib. 6. cap. 17.

DESCRIPTIO.

Cartilagineus piscis est & Mola; non tamen longus vt Galei; neque planus vt illi, de quibus proximè egimus. Non enim (illorum instar) in dorsum & ventrem, sed in latera valde cumpressus est; eiusq́ figura piscis potius vtrinque valde compressum caput, quàm piscem vniuersum repræsentare videtur. Vnde cum Luca Ghinus medicus celeberrimus (qui multos iam annos tum in Bononiensi, tum in Pisana academia maxima audientium vtilitate simplicia professus est medicamēta) eius Iconem ad me ex Pisis mitteret, perrara adeo ac præter aliorum piscium morem visa est, vt veritus ne vafri alicuius pictoris collusione esset conficta, eam alijs meorum piscium Iconibus temerè adiungendam non statui. Verùm cum multos post menses quidam Ichthyopola per famulum mihi significasset, apud se in foro piscatorio piscē incognitum, & nunquā alias ibidem visum reperiri (solent enim Romani Ichthyopolæ vbi forte nouum aliquod piscium genus in Romanū forum piscatorium defertur, id mihi citissimè nuntiare) eò aduolans piscem eiusdem prorsus figuræ, quam sub nomine Molæ depictam ad me trāsmisserat Ghinus, intuitus; piscem talem, qualem hîc ad viuum pictum exhibemus, verè reperiri certior factus sum; eumque quindecim mer-

Luca Ghinus. D

catus argenteis domum deferri iussi. Quòd vbi rescitum est, pleriq; amici viri docti nouarumque rerum studiosi, eius videndi gratia ad me illico de more accesserũt; vti enim semper cum nouũ aliquem piscem, aut aliquod aliud rarum animal ex piscatus sum (quod mihi sæpissime cõtingit, nam tum sedula diligentia, qua in eis venandis vtor, tum quamplurimorum clarorum virorum humanitate, qui me harum rerũ studio maximè delectari norunt; nil ferè noui, nil monstrosi, quod ad animantiũ genus spectet, Romam defertur, cuius ego statim particeps non sim) amicis ac studiorum socijs (tum ne eos ea, qua ego in ijs rebus spectandis voluptate fruor, defraudẽ; tum vt ex mutuis eorũ colloquijs de huiusmodi nouis & incognitis rebus certi aliquid
E facilius cõmentari liceat) statim nuntio; sic ipsi illico ad me aduolant. Postquam igitur omnes, qui ad Molã ceu nouum piscem spectandam, domi meæ conuenerant, intuiti atque admirati satis fuere rarã piscis effigiẽ; internas partes eius singulas secui, coriúmq; detraxi; quod tomento infartũ adhuc apud me vnà cum plerisq; alijs raræ figuræ piscium corijs seruatur. Mola itaq; exiguum os habet; dentes tantùm geminos superiùs vnum, inferiùs alterum, vtrunq; magnum, latum, atq; vniuersam oris partem munientẽ; quorum inferior retusior, superior verò magis acutus ac secans est. Oculi parui sunt & orbiculares. Branchiarũ externum orificium vtrinq; vnũ est paruum & semicirculare; propè quod etiam vtrinq; pinna vna parua & rotunda sita est; quæ alia prorsus ratione, quàm aliorũ piscium laterales pinnæ, mouentur. Cum enim
F illæ in piscibus cæteris à cauda ad caput, in hoc nostro à dorso in imum vẽtrem deducuntur atq; mouentur. In extremo præterea dorso propè caudã alia multò maior pinna, non rotunda, sed oblonga erigitur; è cuius regione altera eiusdem magnitudinis & figuræ imo ventri statim ab ano subest; quæ alio etiam modo, quàm dorsi & ventris aliorum piscium pinnæ, mobiles sunt. Non enim vt illæ à cauda ad caput eriguntur, à capiteque ad caudam inclinãtur; sed in vtrunque latus mouentur. In caudam carneam non degenerat; nam postrema eius æquè ac latera lata sunt; pinnata tamen cauda non oblonga sed lata, atque omnem postremam piscis partem amplexante, in lateraque mobili munitur. Cute tegitur aspera, non secus ferè quàm Squatina. Ventre est subalbido, dorso verò cineraceo. Caro eius candidissima est; ita vt nerueã
G potius quàm carneam substantiam præseferat. Carni corium firmiter adeo hæret, vt non nisi maximo labore acutissimisque cultris separari queat. Iecur habet pallidum magnum atque tenerrimum; quod dum coquitur, pro maiori parte in oleosam pinguedinem liquatur. Noctu partes quasdam internas ita splendentes habet, vt cœruleus atque oculis gratus ex eis splendor è longinquo etiam eniteat. Ad maximam piscem hunc excrescere audio magnitudinem; quem nos vidimus atque pertrectauimus centenas libras superabat.

LOCVS.

H Molam pelagium & non litoralem piscem esse, ex eò intelligi potest; quòd ex cetaceo genere sit; quorum proprium est litora non adire, sed in pelago vitam degere. vti testatur Aelianus [d] *ad litora* inquiens, *& minimè profunda loca, aut breuia ex cetaceo genere nullum appropinquat sed in alto & profundo uersatur*, atque Oppianus his versibus. [d] Lib. x. cap. 2.

[e] In litus pauca exiliunt, quę corpore vasto
Sunt, hęc veliferis semper voluuntur in vndis. [e] Lib. 1. fol. 112. 48.

Idem præterea eò etiam comprobatur, quòd vbique Mola capi perrarò soleat; vt quæ non nisi rarissimè & fortuitu adnatare ad litora consueuerit; piscatores verò vti crebrò prope litora, sic ab eis valde longè non nisi rarò piscantur. Et sicuti è pelago non nisi rarissimè & temerè (vti diximus) marina petit litora, sic nunquam eam flumina subijsse, compertum est.


A


NATVRA, ET MORES.

Et si paruum admodum (vt diximus) os habeat Mola, carniuora tamen est; non piscibus tantùm, sed crustatis quoque atque testatis, quæ facilè suis validissimis dentibus atterit, vescitur. Piscis est soliuagus. Non laterum solùm, sed dorsi etiam atque ventris pinnis natat; eas nanque (vt dictum est) in vtrumque latus mouet; & propterea non ad dirigendum iter solùm, sed ad natandum etiam fabrefactæ videntur. Vti reliqua cartilaginea ouis priùs intus genitis, catulos demum parit.

VT SAPIAT, ET VT NVTRIAT, B

Non solùm insuauissima Mola est, sed mali etiam odoris; carnem habet (Centrinæ instar) piscium omnium durissimam, vt quæ non carneam, sed nerueam potius (vt diximus) præseferat substantiam; & propterea mali succi, atque concoctu difficilissimus piscis est. Vnde iurè vbique eum aspernantur; vixque reperiuntur, qui eo pasci audeant. Iecur tamē eius (quippe quod tenerum & non insipidum sit) frictum, atque arancij mali succo & pipere conspersum, à plerisque auidè edi solet. C


P 56
N. G. κεντρίνης
L. Centrina?
V. pescie Porco.


P 57
pescie Porco supino.

HISTORIA QVINQVAGESIMA TERTIA. DE CENTRINA

NOMEN.



E HIC noster quinquagesimus sextus piscis, tota ferè Italia *pesce Porco*, ac Massiliæ *Porc* appellatus; ab Aeliano ab Oppiano atque ab Athenæo κεντρίνης & κεντρίνη vocatur; propterea quòd aculeis (quos græcè κέντρα dicunt) armatus sit, vt testis est Oppianus inquiens.

> [a] Pugnaces inter pisces Centrina vocatur
> Altera, quòd stimulis credatur noxia nigris. [a] Lib. 1 fol. 112.60.

Latino autem nomine caret; quia nemo latinorum eius (quòd sciamus) vnquam meminit. Quamobrem nos græcam nomenclaturam æmulati, Centrinam vocabimus. Quòd verò hic piscis noster Centrina sit, claré procedente historia patebit; nam omnia Centrinæ à veteribus attributa huic nostro pisci optimè respondere, perspicuum fiet.

F

DESCRIPTIO.

Vt quadragesima citauimus historia, [b] Aeliano atque [c] Oppiano authoribus, *Ex tribus Canum generibus, genus secundum est Centrina*. Vt verò Athenæus refert, [d] *Aristoteles in quinto de animalibus Centrinam etiam inquit quendam galeum esse*. Quòd et si apud Aristotelem hodie non legatur, huic tamen pisci nostro (quem Centrinam esse certissimè credimus) haud incoueniens est. Nam cum cartilagineus sit & ferè teres piscis, atque plerisque alijs notis, cum Galeis reliquis conueniat; haud perperam Galeis annumerabitur. Rostrum habet neque admodum extentum, neque valde acutum; caput exiguum & depressum; oculos mediocres & splendentes; & post eos duo foramina auditui deseruientia. Supina verò parte (vti in Icone nostra quinquagesima septima, qua piscis iste supinus repræsentatur, videri potest) os rotundum est hiãs ferè semper atq; valde dẽticulatũ, superiore scilicet maxilla dentium acutorum & latorum triplici, inferiore verò consimilium sed maiorum simplici ordine munitum. Et ante os bina foramina oblonga & ferè veluti gemina, interna & profunda parte quibusdam lineolis albicantibus, atque certo ordine dispositis depicta, olfactui dicata insculpta sunt. Branchiæ (galeorum instar) quinæ vtrinque sunt in lateribus & detectæ. Pinnæ etiam vtrinque binæ ad branchias duæ, reliquæ verò duæ circa podicem. In dorso quoque aliæ duæ pinnæ eriguntur; Prior à capite statim enascens plurimùm elata in acutum desinens & maior; Altera inferior è podicis videlicet regione enata & minor; quarum vtraque longo rotundo robustissimo, ab eademque pinna (extrema parte dẽpta) contecto aculeo munitur. Quorum aculeorũ prior, siue prioris pinnæ ad caput; posterior verò, siue pinnæ posterioris ad caudam inclinat atque vergit. Vnde iurè hic piscis noster antiquorũ Centrina esse creditur, cum Aelianus dicat, [e] *Centrinis innati sunt aculei duri & aduersus omnia resistentes, quorum alter in capitis summo vertice, alter in cauda; atque venenatum quiddam habent*. Oppianus verò inquiat (vt supra etiam citauimus)

> [f] Pugnaces inter pisces Centrina vocatur
> Altera, quod stimulis credatur noxia nigris.

Nec aduersatur quòd hic piscis noster, non in capitis vertice, sed in primo dorso aculeum habeat; nam aut Aeliani locum mendosum esse, aut ipsum impropriè pri-

Margin notes: Athenæus notatur — beside "huic tamen pisci nostro"; G — beside "Supina verò parte"; H — beside "go rotundo robustissimo".

[b] Lib. xi. cap. 8.
[c] Lib. 1. fol. 112. 56.
[d] Lib. 7. fol. 147. 31.
[e] Lib. xi. cap. 8.
[f] Lib. 1. fol. 112. 60.

mum dorſum capitis verticem appellaſſe, ex Athenæo conijci clarè poteſt; quippe qui ſcribit,[g] *Cognoſcitur autem Centrina, ex eò quòd apud primam λοφίαν, id eſt, ceruicis pinnam aculeum habeat.* Neque etiam obſtat, quòd non nigra, ſed alba appareat detecta aculeorum pars; nam Oppianus tranſcribens præcitatum Aeliani locum (vt latiùs in quadrageſima hiſtoria citauimus) expreſſurus illud, atque venenatum quiddam habent, poetica poteſtate atq; metaphora vſus, Cētrinæ aculeos nigros, id eſt peſtiferos, vocauit. Cauda in pinnam inferiore parte latam ſuperiore verò in acutum angulum deſinentem degenerat. Inter caudam autem & podicis pinnas imo ventri nulla alia pinnula ſubnectitur. A Quòd ei cum Muſtelo Spinace (vt in hiſtoria etiam quadrageſima ſecunda notauimus) conuenit. Nam reliquis omnibus galeis inter podicem & caudam imo ventri ſingularis pinna ſubnaſci ſolet. Neque dorſi aculeis illi abſimilis eſt; quibus autē eius aculei ab aculeis illius differant, ex hiſtoria & Icone vtriuſque facilè dignoſci poteſt. Ventriculum habet Centrina ſatis magnum oblongum & craſſum; inteſtina ampla, haud multis gyris reflexa; hepar albicans præpingue magnum, in duas fibras ad infimam ferè vſque ventris ſedem extenſas diuiſum, quarum dextræ lata ſatis fellis veſica committitur; lienē rubrū atque veluti bifidum. Non ſquamis ſed cute aſpera, Squatinæ inſtar, & ſi multò aſperiore, tegitur; quæ quidem firmè adeo duræ atque mucoſæ carni eius hæret, vt vix quantumuis ſecanti gladio ab ea ſeparari atque diuidi poſſit. B Colore eſt ex cinereo nigricante. Totius piſcis figura oblonga eſt, & ad anum vſque triquetra apparet; cuius vnū latus, lati ventris planities eſt, quā in noſtra quinquageſima ſeptima Icone expreſſam videmus; reliqua verò duo, piſcis latera ſunt; quorum dextrum in Icone quinquageſima ſexta repræſentatur; angulorum autem primus per ſummum dorſum excurrit, reliqui verò duo, veluti in quinquageſima ſeptima Icone depicti videntur, ventris latitudinem terminantes, eandem à reliquis duobus tum trianguli, tum piſcis lateribus diuidunt. Piſcis iſte mediocris magnitudinis eſt; ſeſquicubitalis enim ſæpe, bicubitalis verò perrarò capitur.

[g] Lib. 7. fol. 147. 34.

LOCVS, ET PARTVS. C

Marinus piſcis eſt Centrina, & cœnoſa loca incolit, vt author eſt Aelianus atque Oppianus. Nam vt in hiſtoria quadrageſima citauimus, ille de Centrina, & de ſecundo Canum genere agens, dixit;[h] *Poſtrema duo genera paruarum canicularum in cœno capiuntur;* hic verò de eiſdem loquens ſcripſit,[i] *Quæ reſtant aliæ cœno merguntur in alto.* Pelagium potius quàm litoralem piſcem eſſe arbitror, propterea quòd vbique ferè rarò capiatur. In noſtro enim ſuburbano mari vix ſingulis annis duas aut tres captas videmus; quòd in pelagicis potius quàm in litoralibus accidere ſolet piſcibus. Oua intra ſe primùm gignit plurima, gallinaceorum ouorum vitellis ſimillima, deinde reliquorum cartilagineorum more animal parit. D

[h] Lib. xi. cap. 8.
[i] Lib. i. fol. 112. 59.

NATVRA, ET MORES.

Centrina carniuora eſt, & ſoliuaga; vnde vti perrarò (vt diximus) ſic etiam ſingularis ferè ſemper capi videtur. Suis aculeis, vt ſupra ex Aeliano citauimus, aduerſus omnia reſiſtit, atque etiam lædit; venenatum enim (vt idem aſſerit) quiddam habēt. Quamobrem & Oppianus inter piſces, qui duris & venenatis pugnant ſtimulis, Centrinam recenſet inquiens.

[k] Horrendus curuo qui gaudet Scorpius antro;
Gobius in fulua nimium contentus arena,
Et Canis, atque Draco, volucrisque per ęquora Hirundo;
Hi duris pugnant stimulis, funduntque venenum

k Lib.2. fol.127.56.

Lippij lapsus.

Quo quidem loco perperam vertit interpres, *Et canis*. Nam cum in græco legatur καὶ κύνες, οἳ κέντροισιν ἐπώνυμοι ἀργαλέοισι; aut *Centrina*, aut *Canis ab aculeis feris appellatus*, vertendum erat. Capitur autem Centrina non secus quàm secundum canum genus, vt testatum reliquit Aelianus; de eisdem nanque pertractans, inquit, [l] *Piscandarum ratio hæc est, album piscem illecebram ad eas captandas demittunt, ex his si qua capiatur, cęterę omnes hoc videntes in captam insiliunt, ac eam, nisi repellantur, hamo ex profundo extractam ad nauem vsque in sequuntur; inuidia quadam hoc eas facere existimares, quasi illa quę capta est, sibi vni escam aliquam pręda alicũde sit; atque ex ipsis non nullę in nauem insilientes, sępe sua spõte capiuntur*. Quæ sic transcribuntur ab Oppiano ὄλλυνται γαλεοῖσι κύνες, καὶ φῦλα κελαινῶν κεντροφόρων, id est,

l Lib. xi. cap. 8.

[m] *Atque Canes galei* (& non, *Galei & Catuli*, vt vertit interpres)
pereunt, atque agmina ponti
Quę stimulis feriunt, seruant dum pignus amoris,
Auxiliumque ferunt perituris fœdere certo.
Piscator properat qua cœni est alta vorago,
Et manibus longis hamum demittit in vndas;
Cui super affixus piscis candore nitenti;
Extemplo ad Catulum furtim mucrone reuulsum
Ardentes currunt socii, nauemque sequuntur;
Agmina tunc figes in sana tricuspide telo,
Tunc circunducta retis capiuntur in aluo.
Non dant terga fugę, nisi tractum fune sodalem
Cernant, tunc vnà fortes occumbere tentant.
Non aliter mesti veniunt ad funera patres
Defuncti nuper nati, tactique dolore
Cum gemitu plangunt pectus, nec busta relinquunt;
Nec tristes proprias cupiunt remeare sub ędes;
Hęrent impliciti tumulo, frustraque laborant,
Et cupiunt vnà cum nato claudere vitam.
Sic isti nunquam conuulsum ad funera piscem
Destituunt, donec casu moriantur eodem.


m Lib. 4. fol. 147. 12.

Quòd autem φῦλα κελαινῶν κεντροφόρων, Centrinæ ab ipso appellentur, ex præcitato Aeliani loco, quem transcripsit, clarè patet.

VT NVTRIAT, ET VT SAPIAT.

Piscium omnium durissimam carnem habet Centrina, vt quæ non secus quàm Mola, vt in historia quinquagesima secũda diximus, nerueam potius quàm carneam carnis habeat substantiam. Est præterea caro eius admodum glutinosa. Et vt author est apud Athenæum [n] *Epænetus in re coquinaria, non solùm insuauis, sed grauis etiam odoris est*. Quam obrem difficulter concoquitur, excrementia est, & mali succi. Vnde haud immeritò vbique negligitur; vixque inter infimæ plebis homines reperiuntur, qui ea, vel in aliorum piscium penuria, vesci audeant. Hepar tenerimum est, sed non sapidum; quod dum frigitur, copiosum oleum effundit.

n Lib.7.fol. 147.36.


p. 58
G. πολύπους.
N. L. Polypus.
V. Polpo.

DE HIS, QVAE MOLLIA DICVNTVR.



VM hoc loco, de Polypo primũ, deinde de Sepia, & postremò de Lolligine pertractãdũ sit, quæ mollia dicũtur; quæ mollia sint, & cur mollia dicãtur, explicãdũ in primis duxim⁹. Et quò explicatè magis hæc excutiamus, cõmonendũ primũ est; [d] *Animaliũ*, vt author est Aristoteles; *quædã ἔναιμα*, id est, *sanguinea, quædã uerò ἄναιμα* hoc est, *exanguia esse*. Nec alicui mirũ videatur, exãguia animalia viuere; ꝑpterea quòd sanguine animaliũ partes A nutriri videãtur. Nam vt idẽ tradit Aristoteles; [b] *Humorem genus quodque animaliũ cõtinet, quo si aut* per uim, aut per naturam ipsam priuetur; in perniciem agatur, necesse est. Habent etiam id diuersum in quo humor ille & fiat, & contineatur. Sunt hęc in aliis sanguis, & vena; in aliis, quod is proportione respondeat; quę quidẽ imperfecta sunt, atque alterũ fibra alterum sanies *dicitur*. Quamobrẽ exanguia, cum sanguine careant, humorem siue saniem, sanguini ꝑportione respõdentẽ ex quo nutriũtur habẽt. Vnde Plinius etiam inquit, [c] *Pro sanguine est multis alius humor*. Et alibi; [d] *Sanguinẽ non esse his fateor, sicut nec terrestribus quidẽ cunctis. Verùm simile quiddam, ut Sepiæ in mari sanguinis uicem atramentum obtinet; purpurarũ generi infector ille succus*. Exãguia rursus in quatuor genera sic diuidit Aristoteles; [e] *Nunc ordinem animalium, quæ sanguine carent persequemur*, Genera in hoc ordine plura sunt. Primũ quę mollia appellauimus, hoc est, quę sanguine carẽt, & foris carne molli obducta, solidũ intus, modo sanguinei generis, continẽt; quale Sepia est. Secundum, quę crustis tenuibus operiuntur, hoc est, quę partem solidam foris, mollẽ carnosamque intus continẽt; durum illud eorum tegmẽ, non fragile, sed collisibile est; quale Cãcrorũ B genus & locustarum. Tertiũ quę silicea testa cõclusa muniuntur, hoc est, quibus pars carnea intus; solida foris, fragilis atque ruptilis, non collisibilis; quale genus Choncharum & Ostrearum est. Quartum insecta omnia; quod quidẽ genus multas & varias complectitur species animalium. Sunt porro insecta, quę (vt nomẽ ipsum declarat) incisuras parte sui vel supina, vel prona, vel etiam vtraque habent; nec osseum quicquam discretum, aut carneum; sed quiddã inter hęc ipsa medium, continent; quippe quę corpore pariter intus, forisque duro cõstent. Quæ ferè eadẽ, sic transcripsit Plinius, [f] *Piscium quidam sanguine carent, de quibus dicemus. Sunt autẽ* tria genera, In primis quę mollia appellãtur; deinde cõtecta crustis tenuibus; postremò testis *conclusa duris*. Nos verò de postremis generibus aliàs locis suis pertractaturi; hîc de primo, scilicet de mollibus, pertractemus. Quæ igitur nos Plinium sequuti, Mollia vocamus, Aristoteles, & Galenus, μαλάκια appellant. Cur autem μαλάκια siue mollia dicantur, eorum vterqꝫ innuit; ille inquies loco præcitato, [g] *foris carne molli obducuntur*. Et alibi; [h] *Mollia ferè tota carnosa, & tactui cedentia sunt*; hîc verò scribens; [i] *Mollia uocantur, quæ neque squamas, neque asperam cutem, aut testaceam habent; sed mollem, instar humanæ*. Est hic tamen animaduertendum, ne nominum decipiamur similitudine, *Mollia ἀπὸ τῶν μαλακοσαρκῶν ἰχθύων, à piscibus mollis carnis*, quales sunt saxatiles, & eis similes; plurimùm differre; hi enim tenerissimam carnem habent: cum illa (vt infra dicetur) eam habeant durissimã. Notandũ etiam μαλακόδερμα, *mollem cutem habentia*, non μαλάκια de quibus hîc agimus (vt Theodoro & plerisqꝫ alijs Theodori errorem sequutis, nominis ac significatus affinitate deceptis, videtur) vocari ab Aristotele; sed cartilagineorum piscium oua; sicuti verba eius diligenter contemplanti manifestissimũ est. Cum enim dixisset, [l] *Cartilaginea uerò & uiperæ* cum intra se oua generent, mox animal foras pariunt; perfectum autem generant ouum; ita enim ex ouo animal gignitur, ex imperfecto nullũ; extra autem non pariunt oua, quia natura *frigida sunt; & non quia calida; ut quidẽ uolunt*; statim subiungit, *μαλακόδερμα γοῦν γεννῶσι, διὰ γὰρ τὸ εἶναι ὀλιγόθερμα, οὐ ξηραίνει αὐτῶν ἡ φύσις τὸ ἔσχατον, διὰ μὲν οὖν τὸ ψυχρὰ εἶναι, μαλακόδερμα γεννῶσι, διὰ δὲ τὸ εἶναι μαλακόδερμα, οὐ θύραζε, διεφθείρετο γὰρ ἄν*, quæ quidẽ verba neqꝫ à superioribus D distinctione capitis vndecimi separare debebat Theodorus; cum eorum, quæ in illis dicũtur, causam reddãt; neque sic vertere; *Cute molli intecta generant oua; quòd enim caloris exigui* sunt, vltimum siccare natura eorum non potest; quia igitur frigida sunt molle generant. *quia molle nõ extra, periret enim propter suam mollitiem*; Sed sic potius, *Molli igitur cute tecta generãt; Quia enim* pauci sunt caloris, nõ exsiccat eorum natura admodum. Quoniã ergo frigida sunt, cute molli tecta generãt; quoniam verò molli tetecta sunt cute, non extra; perirent enim vtique.

[a] Hist. lib. 1. cap. 4. & 6. & lib. 4. cap. 1.
[b] Hist. lib. 1. cap. 4
[c] Lib. 9. cap. 7.
[d] Lib. 11. cap. 3.
[e] Hist. lib. 4. cap. 1.
[f] lib. 9. cap. 28.
[g] Hist. lib. 4. cap. 1.
[h] De part. lib. 2. cap. 8.
[i] Clas. 2. fol. 30. H.
[l] De gene. ani. lib. 1. cap. 10.

Theodori lapsus.

Plinÿ duplex lapsus.

Sciendum præterea Plinium quoq; in priori suo supracitato loco dupliciter errasse. Nam vti pisciũ quosdam (vt ipse dicit) sanguine carere, repugnat Aristoteli dicenti, [m] *Est omne sanè piscium genus sanguinis particeps*; ita perperam inter pisces, mollia connumerat; cum exanguia sint, pisces verò (vt diximus) sanguinei; cumque branchijs careant, [n] *branchias verò* authore Aristotele, *pisces rem habent peculiarem*; ita vt sicuti nullus piscium branchijs caret; ita nullum aliud animal eas habet. Quamobrem Aristotelem constanter id obseruantem imitati, ea sola aquatilium, quæ branchias habent, pisces appellare debemus. Mollia igitur (sic dicta, vt diximus, quia ferè carnosa sint, & tactui cedentia; & propterea quòd sanguine, & brãchijs careant; inter aquatilia animalia, & non inter pisces connumerãda) quæ & quot sint; edocet Aristoteles, inquiens; [o] *Mollia ut Polypi, Sepiæ, Lolligines*; & Plinius scribens, [p] *Mollia sunt Lolligo, Sepia, Polypus & cætera eius generis*.

m Hist.lib.2.cap.13.
n Hist.lib.2.cap. 13.
E
o Hist. lib. 5. cap.6.
p Lib. 9. cap. 28.

COMMVNIS MOLLIVM DESCRIPTIO.

Cum Mollia omnia omnes ferè tum externas tum internas partes consimiles habeant; priusquam seorsum de vno quoq; eorum pertractemus; omniũ communis tradenda est descriptio. Vt igitur notauit Aristoteles, [q] *Mollium exteriores partes hæ sunt; primùm pedes, deinceps his coniunctum caput, postremò alueus siue sinus.* [r] πόδας *pedes (qui* ab eodẽ [s] πλεκτάναι etiã, & à [t] Plinio *brachia* dicuntur) vt idẽ tradit *octonos binis acetabulorum ordinibus instructos habent, excepto genere uno polyporum*. Quod sic transcripsit Plinius; [u] *Pediculi octoni omnibus.* [x] *Habentque* (eodem Aristotele teste) *ipsos pedes anteriore parte circa caput, infra quidem oculos, circa autem os & dentes*. Cur autem anterius pedes omnes habeãt Mollia, in sequente historia Sepiæ dicata, declarabimus. [y] *Caput* verò (vt ab eodem proditum est) *inter pedes & uentrem Mollia omnia habent*. Quod sic etiam à Plinio transcribitur; [z] *Mollibus caput inter pedes & uentrem*. In superiore autem capitis parte oculos habent; in inferiore verò, atq; in medio ipsorum pedũ, os; in quo ossicula duo nigra, incurua, & Psitaci auis rostrum æmulantia, dentium vice extant; vt in nostra sexagesima Icone, quæ resupinatæ Sepiæ est, videre licet. Vnde & Aristoteles inquit, [a] *caput omnibus inter crura, quæ & brachia appellantur, cuius pars os* (siue vt vertit Theodorus, oris habitus) *est; in quo dentes duo, supra quos oculi totidem grandiusculi; quibus discrimen exigua quædam præstat cartilago, continẽs paruum cerebrum* (siue cerebellum Theodoro interprete) Inest etiam in ore caro quędam exigua; qua vice linguę vtuntur; lingua enim nullis hoc in *genere data est*. Mollia cerebrũ habere; & si sanguine carent; alibi etiã testatur Aristoteles, scribens; [b] *Cerebrum autem omnibus in ijs est quæ sanguinem obtinent; & ob eam rem sanguinea appellantur; atque etiam quæ mollia nomine speciali nuncupãtur*. Quod Plinius quoque cõfirmat dicens; [c] *Cerebrum* omnia habent animalia, quę sanguinem; etiam in mari, quę mollia appellauimus; quanuis *careãt sanguine ut Polypi*. Præterea (vt idem author est Aristoteles) [d] *Caput mollium* τὸ κύτος id est, *alueus, uel sinus* (vt vertit Theodorus) *sequitur; qui continet* πᾶν τὸ σῶμα *totum corpus* (vel vt in alio legimꝰ codice τὰ ἐντὸς *interiora*) *ipsum autem pinnulæ ambiunt; & aliqui eum uocant caput, sed haud rectè*. [e] *Qui quidem alueus* (vt idẽ prodit) *partes interiores mollium ambit*. Postremò (eodem Aristotele teste) [f] Mollia fistulam ante alueum positam supra brachia gerunt cauam; qua mare trãsmittunt, quantum suo admiserint alueo, quotiens aliquid ore capiunt; eamqúe modò in dextram partẽ transferunt modò in sinistram; hac eadem fistula suum quoque atramentum fundere solent. Eiusdem fistulæ sic meminit plinius, [g] *Est Polypis fistula in dorso; qua transmittunt mare, eamque modò in dexteram partem, modò in sinistram transferunt*. Hanc autem fistulam inferiore parte inter aluũ & brachia habẽt; & sub brachijs potius (vt videri potest in Icone sexagesima) quàm super brachia, vt in Aristotele legitur. Et licet omnia mollia hanc habeant fistulam, Aristoteles tamen pręcitato loco perobscurè adeo loquitur, vt eam solo Polypo tribuere videatur. Verùm in libro de spiratione omnibus mollibus eam inesse explicatè edocet. Sic autem externis declaratis partibus, internas quoque describit Aristoteles dicens, [h] *os gula excipit angusta & longa, quam sequitur* πρόλοβος hoc est, *ingluuies* (& non guttur vt vertit Theodorus) *ampliuscula, non absimilis auibus, cui iungitur uentriculus tanquam abomasum*,

q Hist. lib. 4. cap.1.
r Hist.lib.4.cap.1.
s Hist. lib. 4. cap.1.
t Lib. 9. cap. 29.
u Lib. 9. cap. 28.
F
x Parti. lib.4.cap.9.
y Hist lib. 4.cap. 1.
z Lib. 9. cap. 28.
a Hist. lib. 4. cap.1. Part.lib.4.cap.5.
G
b Hist. lib.1.cap.16.
c Lib. 11. cap. 37.
d Hist. lib. 4.cap.1.
e Part. lib. 4.cap.9.
f Hist. lib. 4. cap.8.
H
g Lib. 9. cap. 29.
In Aristotelem animaduersio.
Theodorus notatur
h Hist. lib. 4 cap.1. Part. Lib.4.cap. 5.

& cum post hæc verba subiungat Aristoteles, τὸ δὲ σχῆμα ὁμοία (vel ὅμοιον, vt in alio codice habetur) τῇ ἐν τοῖς κήρυξιν ἕλικι; verti debent, *Modo autem simili reflexioni, quæ fit in bucinis*, & non vt vertit Theodorus, *facie claviculæ bucinorum. Intestinum ab eo tenue*, παχύτερον *crassius* (vel vt in alio legitur codice πλατύτερον latius) *quàm gula, partem repetens superiorem, ad os fertur*. Quod & alibi sic testatur Aristoteles, [i] *Pars mollium posterior ad priorem adducta est, extremaque coeunt & confunduntur, quo modo turbinatis inter testata accidit*; et paulò infra, *Hinc fit, ut excrementum tam mollibus quàm turbinatis meatu ori uicino emittatur, quanquam mollibus infra, turbinatis à latere.* Eodem teste, [k] *Viscera mollium nullis, sed habent quam* μύτιν, id est, *mutem appellant; atrumque illum humorem, cui nomen* θολὸς hoc est, *atramentum*. Quid autẽ mutis sit, & quid atramentum, quaúe eorũ vtrunq; parte consistat, & qua de causa factũ sit, in quinquagesima sexta historia, quæ Loliginis erit, explicabimus. Vt etiam animaduertit Aristoteles, [l] *capillamenta quædam habent in corpore; quæ quidem in utroque eorum latere conspici solent*. Et vt idem testis est, [m] *nihil ossis, nihil terreni habere discretum videntur, quod dignum effatu sit; sed mollia ferè tota, carnosa, & tactui cedentia sunt; ne tamen corpus eorum facilè pereat, modo illorum, quę carne lasciuiunt, naturam inter carnem & neruum obtinent; mollis enim vt caro est, sed intendi potest vt neruus. Fissilis autem caro eorum est non indirectum, sed in anfractum; ita enim ad vires commodior esse potest.* Vnde & alibi dixit, [n] *Caro mollium fissilis est, uerùm non per directum, sed in orbem, cuteque omnibus intecta est.* Verùm etsi Aristoteles hoc loco, atque Galenus loco eius supracitato, mollibus cutem tribuant, re tamen ipsa, cute carere videntur. Quod Plinius etiam (cuius in hac re animaduertenda admiramur diligentiam) comprobat inquiens; [o] *Aquatilium tegmenta plura sunt, alia corio & pilo integuntur, vt Vituli, & Hippopotami; alia corio tantùm, vt Delphini; cortice, vt Testudines; silicum duritia, vt Ostreę, & Conchę; crustis, vt Locustę; crustis & spinis, vt Echini; squamis, vt pisces; aspera cute, vt Squatinę; qua lignum & ebora poliuntur, molli, ut Murænæ; alia nulla, ut Polypi.* Postremò teste Aristotele. *Differunt fœminæ mollium* à maribus, quia in mare meatus ille subditus gulę, à cerebello in ima aluei pertendit, idque ipsum ad quod fertur, speciem mammę imitatur; in fęmina duplex idem illud, supraque habetur; vtroque tamen in sexu corpuscula quędam rubentia parti eiusmodi subiuncta spectantur. Et vt ab eodem proditum est, [q] *Habere fœminas in hoc genere membrum uulvale apertum est.* Quod autem ad colorem spectat, mollia omnia subalbida sunt. His autem de mollibus sic generaliter explicatis, iam Polypi historiam aggrediamur.

Theodori lapsus.

[i] Part lib.4.cap.9.
[k] Hist.lib.4.cap.1.
[l] Hist.lib.4.cap.1.
[m] Part.lib.2.cap.8.
[n] Hist.lib.4.cap.1.
In Aristotelem & Galenum animaduersio
[o] Lib.9.cap.12.
[p] Hist.lib.4.cap.2.
[q] De Gene.lib.1 ca.15.

A

B

C

HISTORIA QVINQVAGESIMA QVARTA, DE POLYPO.

D

NOMEN.



Quatile animal quinquagesimũ octauũ, quod Romæ *Polpo*, Massiliæ *Poupe*, Galli *Pourpre*, & Græci nostri tẽporis *Octopodo* vocant; græcè authore Athenæo [r] *à pedũ multitudine* πολύπους appellatur. Eodẽq; teste, [s] *uti per o ab alijs, ita per ω à Doricis* πώλυπους *dicitur. Et ut idem tradit, Attici* πολύπουν, *Aeolici uerò* πολύπον *accusatiuum dicunt.* Ab Hesiodo verò in secundo libro operis, cui titulum fecit, opera, & dies, ἀνόστεος, hoc est ossibus carens, à latinis græcam nomenclaturam sequutis *Polypus* vocatur.

[r] Lib.7.fol.157.44.
[s] Lib.7.fol.159.14.
[t] Lib.7.fol.157.46.

QVINQVE POLYPORVM GENERA, ET EORVM CVIVSQVE DECLARATIO.

Polyporum plurima atque varia genera reperiri, quamplurimi veteres scriptores testatum reliquerunt. Quam ob rem priusquam Polypi aggrediamur descriptionem ac historiam reliquam, hæc omnia genera explicanda sunt. Sed cum eorum nemo præter Aristotelem, ea rectè distinxerit atque declarauerit, ex ipso
E Polyporum genus vnum quodque expiscari nitemur. Vt enim vertit Theodorus, inquit; [u] *Polyporum genera plura sunt, est enim quod & conspectius & maximum est, cuius terreni maiores quàm pelagii sunt; Et quod corpore exiguo uarioqúe est, cibo ineptum; Et quod Eledonam vocant, crurum prolixitat diuersum, & quod vnum ex mollium numero simplicem acetabulorum ordinẽ agat; cętera nanque omnia duplici caliculantur. Ad hęc, quod alii Bolitęnam, alii Ossolem appellant. Duo item visuntur genera conchis indita, quorum alterum Nautam aliqui vocant, alterum Pompilum, siuę ouum Polypi; testa iis vt petunculis concaua, simplex tamen nec ita destinata ut ei inhęreant. Sępius ii iuxta terram pascuntur; vnde euenit, vt fluctibus iactati in aridam elidantur, & testa dilapsa nudi capiantur, aut in terra anima extinguantur. Constant exi-*
F *guo corpore, facie similes Bolitęnis. Est etiam qui cochlearum more, siliceo tegmine ita muniatur, ut nunquam egredi soleat, suaqua interdum brachia exerat.* Verùm cum ipse Theodorus in hac sua huius loci versione, obscurè certè, & parum rectè ipsius Aristotelis dicta interpretetur, ad græcam lectionem confugiamus oportet, si Polyporum internoscere genera volumus. Sed cum in excusis græcis codicibus corrupta habeatur; eam sic ex vetustissimo atqꝫ egregio Vaticanæ bibliothecæ exẽplari castigatã proferimus; ἔστι δὲ γένη πλείω τῶν πολυπόδων, ἓν μὲν τὸ μάλιστα ἐπιπολάζον καὶ μέγιστον αὐτῶν. εἰσὶ δὲ πολὺ μείζους οἱ πρόσγειοι τῶν πελαγίων, ἔτι δὲ ἄλλοι μικροὶ ποικίλοι οἳ οὐκ ἐσθίονται. ἄλλο δὲ ἥ τε καλουμένη ἐλεδώνη, μήκει τε διαφέρουσα τῷ τῶν ποδῶν, καὶ τῷ μονοκότυλον εἶναι μόνον τῶν μαλακίων. τὰ γὰρ ἄλλα πάντα, δικότυλά ἐστι, καὶ ἣν καλοῦσιν οἱ μὲν βολίταιναν, οἱ δὲ, ὄζολιν. ἔτι δὲ ἄλλοι δύο ἐν ὀστρείοις, ὅ τε καλούμενος ὑπό τινων ναυτίλος, καὶ ὁ ναυτικὸς, ὑπὸ τινῶν δὲ ᾠὸν πολύποδος. τὸ δὲ ὄστρακον αὐτοῦ ἐστὶν, οἷον κτεὶς
G κοῖλος καὶ οὐ συμφυής, οὗτος νέμεται δὲ πολλάκις παρὰ τὴν γῆν, εἶθ' ὑπὸ τῶν κυμάτων ἐκκλύζεται εἰς τὸ ξηρὸν, καὶ παραπεσόντος τοῦ ὀστρέου, ἁλίσκεται καὶ ἐν τῇ γῇ ἀποθνήσκει. εἰσὶ δὲ οὗτοι μικροὶ, τῷ δὲ εἶδει ὅμοιαι ταῖς βολιταίναις. καὶ ἄλλος ἐν ὀστράκῳ οἷον κοχλίας, ὃς οὐκ ἐξέρχεται ἐκ τοῦ ὀστράκου, ἀλλ' ἔνεστιν ὥσπερ ὁ κοχλίας, καὶ ἔξω ἐνίοτε τὰς πλεκτάνας προτείνει, quę gręca Aristotelis verba sic verti debent; Sunt autem plura Polyporum genera, vnum quidem valde notum, & ipsorum maximum; sunt verò multò maiores litorales, quàm pelagici. Adhuc autem alij parui, varij, qui non comeduntur. Aliud etiam Eledone vocatum, pedum prolixitate diuersum, & quia solùm ex mollibus simplicem acetabulorum ordinẽ habeat; alia nanque omnia duplicem acetabulorum habent ordinem; & hoc vocant alij qui-
H dem Bolitænam, alij verò Ozolim. Insuper alij duo in conchis, vnus vocatus à quibusdam Nautilus, & Nauticus, à quibusdam verò ouum Polypi. Est autem testa eius, velut petunculis concaua & non innata; pascitur autem hic sæpius iuxta terram, vnde à fluctibus in aridam truditur, & texta exutus capitur, & in terra moritur. Sunt autem hi parui, & forma similes Bolitænis. Et alius in testa, velut cochlea, qui non exit è testa, sed cochleæ instar subest, & interdum foras brachia porrigit. Ex quibus Aristotelicis verbis clarè patet, quinqꝫ tãtùm esse Polyporũ genera. Primũ omniũ maximum & valde notũ; qualis noster depictus est Polypus, vbiq; notissimus. Cum præterea subiungit Aristoteles, sunt verò multò maiores litorales quàm pelagij; non noua Polyporũ explicat genera; vt opinari videtur Plinius, sic hunc Aristotelis locum transcribẽs, [x] *Polyporum multa genera, Terreni maiores quàm pelagij* (sola nanqꝫ loci atqꝫ ma

[u] Hist. lib. 4. cap. 1

Theodorus notatur.

Aristotelis locus corrigitur.

[x] Lib. 9. cap. 29.

In Plinium animaduersio.

gnitudinis varietas generum varietatē non facit) ſed ſolùm eiuſdem primi generis dif ferentias quaſdam edocet; eius nanque litorales Polypi maiores ſunt pelagijs. Secun dum genus illorũ eſt, qui parui ſunt, varij, & non eſculenti; cuius generis vti nullus (quòd ſciamus) præter hîc Ariſtotelem meminit, ita ipſum hactenus non vidimus. Genus tertium Eledone vocatur; quod aliqui Bolitænam, aliqui verò Ozolim etiam teſte Ariſtotele appellant. Vnde cum apud Athenæum legatur, [y] *Species autem eſt Polyporum Heledone, Polypodine, Bolbotyne, Oſmylus, vt ſcribit Ariſtoteles & Speuſippus; In libris enim de animalibus Ariſtoteles Mollia eſſe inquit Polypos, Oſmylē, Heledonem, Sepiā, Loliginē;* aut malè Ariſtotelis locum citaſſe Athenæum, aut hunc locũ eius deprauatũ eſſe ſuſpi cari oportet. Nam vti apud nullũ alium (quòd meminerim) Polypodine legitur, ſic in Ariſtotele Bolitæna non Bolbotyne; & Ozolis & non Oſmylus habetur. Hoc idem tertium genus Callimachus apud Athenæum [z] ὄζαιναν & ὀσμύλιον, Oppianus [a] ὀσμύλον, Athenæus [b] ὀσμύλον & ὀσμύλην, Pollux ὄζαιναν & ὀσμυλίαν, & Plinius [c] *Ozænam* vocāt. Quòd autē horum ὄζαινα & ὀσμύλος, Ariſtotelis ὄζολις ſit; ex eò clarè patet, quòd ſicuti ὄζαινα & ὄζολις ab ὄζω, hoc eſt oleo; ſic ὀσμύλος ἀπὸ τοῦ ὀσμοῦ, id eſt ab odore deducitur. Vn de etiam fit manifeſtum, hoc tertium Polyporũ genus (Eledonem, Bolitænam, Ozo lim, Ozænam, atque Oſmylum, vt diximus, vocatum) eum eſſe Polypum, quē Itali (propterea quòd, vt infra dicemus, moſchum redoleat) *Moſcardino* & *Moſcarolo*, & Græci hodie *Moſchite* appellant. Alia autem duo poſtrema Polyporum genera ab Ariſtotele connumerata, teſtacea ſunt, parua, & figura Bolitænis ſimilia; quorum vnum eodē authore, à quibuſdam *Nautilus* & *Nauticus*, à quibuſdam verò ouum Polypi vocatur; cuius teſta petunculo ſimilis eſt, concaua, nec ita innata, vt ei coniuncta ſit; vnde abſque te ſta aliquando in litore reperitur. Alterum verò teſtam habet cochleæ inſtar, ex qua nunquam exit, etſi interdum foras brachia porrigat. Prioris teſtacei Polypi [d] Aelianus etiam, [e] Oppianus, [f] Athenæus, atque [g] Plinius meminere; eumq; omnes *Nautilon* appellarunt, Theodorus verò *Nautam* vertit. Verùm cũ apud Ariſtotelē de hoc primo teſtato Polypo pertractātem (vt ſupra citauimus) ὅτι καλούμενος ὑπό τινων ναυτίλος, καὶ ὁ ναυτικός, ὑπὸ τινων δὲ ᾠὸν πολύποδος, id eſt *unus uocatus à quibuſdam Nautilos & Nauticos; à quibuſdā uerò Ouũ Polypi*. Et apud Plinium hunc Ariſtotelis locũ traſcribētem, [h] *qui uocatur Nautilos, ab alijs Pompylos*, legatur; vterq; locus mēdoſus eſt. Neq; enim ναυτίλος Nauta, & ναυτικὸς Nauticus inter ſe adeo differunt, vt ceu diuerſæ huius generis Polypi nomenclaturæ connumerari mereantur. Ab Ariſtotele præterea hoc Polypi genus Ouum Polypi vocari, citra omnem rationem atque coniecturam videtur. Poſtremò ſi tria eius nomina recenſuit Ariſtoteles, cur duo tantùm connumerantur à Plinio? Pari ratione cũ Pōpilos tum Plinij tum aliorum authorũ teſtimonio, piſcis ſit ab hoc Polypi genere valde diuerſus, cur ſolus Plinius hoc loco dũtaxat, atq; Theodorus huius pliniani loci mē dum ſequutus, hũc teſtatũ Polypum Pompilum vocarunt? Quamobrē cum diu quo pacto hæc loca corrigi poſſent inueſtigaſſem, tandē in Ariſtotelis impreſſo codice, ſed ad antiqui manuſcripti cenſurā caſtigato, veriſſimā (vti arbitror) horum locorũ correctionē adinueni. Ita enim in eo præcitata Ariſtotelis verba ex manuſcripto reſti tuta leguntur, ὅτι καλούμενος ὑπό τινων ναυτίλος, καὶ ὁ πόντιλος ὑπὸ ἐνίων, ἔστι δὲ οἷον πολύπους hoc eſt, hic quidem vocatus ab aliquibus Nautilos, & Pontilos ab alijs; eſt autem velut Polypus. Vnde Plinij etiam pōpilos pōtilos corrigi debet. Et cum apud Athenæũ legatur, [i] *Ariſtoteles inquit* πολύπους τὶς ὁ μὲν τριψίχρως, ὁ δὲ ναυτίλος pro τριψίχρως, πόντιλος forſan reſtitui oportet. Vltimam autem hius caſtigationis partem idem Athenæus cō firmare videtur, cum ſcribat, [k] *qui uerò Nautilos dicitur uti inquit Ariſtoteles, Polypus quidem non eſt, ſimilis autem brachiis*

y Lib. 7. fol. 159. 9.
z Lib. 7. fol. 164. 12.
a Lib. i. fol. 111. 52.
b Lib. 7. fol. 159. x.
c Lib. 9. cap. 30.
d Lib. 13. cap. 25.
e Lib. i. fol. 112. 23.
f Lib. 7. fol. 158. 43.
g Lib. 9. cap. 29.
h Lib. 9. cap. 29.
i Lib. 7. fol. 158. 50.
k Lib. 7. fol. 158. 43.

A

In Athenæum animaduerſio

B

C

D

Ariſtotelis locus caſtigatur.

Plinij locus corrigitur.

Athenæi locus emendatur

POLYPI DESCRIPTIO

Polypus (cuius Iconē quinquagesimā octauā esse præmonuimus) licet omnibus ferè partibus tū internis tū externis Sepiæ & loligini similis sit (vt supra in cōmuni molliū descriptione declarauimus) ab eis tamen euidentissimis notis differt, atque facilè internoscitur. Primùm enim vt author est Aristoteles, [l] *differunt Polypi à Sepia & Loligine cò* quòd alueus Polyporum paruus est, & crura pręlonga; illis è diuerso alueus amplus, crura breuia; ita vt potestas nulla sit ingrediendi; Brachia enim Polyporum tantundem atque etiam *plus magnitudinis capiunt*. Vnde & idem alibi tradit; [m] *Quod natura Polypis ex corpore dempserat, id in pe*dum longitudinem addidit; quod Sepiis & Loliginibus de pedibus abstulerat, eo corporis magnitudinem auxit; quamobrem Polypis pedes non solùm ad nandum vtiles sunt, sed etiam ad *ambulandum; Sepijs uerò & Loliginibus ad ambulandum inutiles*. Et eodem teste, [n] *Cum Sepiæ & Loligines postre*mos quatuor pedes habeant maiores, Polypus quatuor medios maximos habet. Caretque Po*lypus promuscide, cum illi binas prælongas promuscides habeant*. Cur autem hi eas habeāt, ille verò eis careat, in sequente Sepiæ historia explicabimus. Præterea vt idem testatur, [o] *Cum Sepiæ* Loligini & Lolio partes durę ac solidę intus per dorsum & corporis prona contineantur; Polypus nihil solidum intus habet; sed caput cartilagine prope constat, quę senescentibus maio*rem in modum indurescit*. Cur Polypus autem solida parte careat, ipse edocet inquiens; [p] Habent etiam quod piscium spinis proportionetur, vt Sepię quod sepium uocant, Loligines quod gladiolum; Polypi nihil eiusmodi habent; quòd eorum alueus, quem caput appellant, breuior est, illorum procerior; ideoque vt directus inflexusque maneret, natura his adminicu*lis faciendum censuit*. Postremò Aristotelis etiam testimonio [q] *Polypis & Sepijs uenter similis tum figura, tum tactu est; At Loliginibus* (vt in eorum dicemus historia) *bina quidem conceptacula uentris speciem gerunt*. Et ut paulò infra subiungit, [r] *Habent atramentum Polypi & Loligines supra apud mutim potius positum, Sepiæ infra ad aluum*. Athenæo authore, [s] *Polypi atramentum non est nigrum ut Sepiæ, sed subrufum; contineturque in uesica, quam μήκωνα uocant*. Et cum in hoc genere mas sit & fœmina, non solùm hæc ab illo differt fistulæ ratione, vti mollium omnium fœminæ à suis maribus (quen admodum supra docuimus) differunt; sed eò etiam (vt docuit Aristoteles) [t] *Quòd mas* capite est productiore, & quòd genitale à piscatoribus appellatum album in suo brachio con*tineat*. Quomodo autem hoc primum Polypi genus ab alijs quatuor generibus separetur, ex eorum descriptionibus notum est. Nam vti à secundo genere, quippe quod (vt supra monstrauimus) paruum est, varium, atque cibo ineptum; atque à tertio, vt quod longissima crura habeat, & vno solo acetabulorum ordine instructa, modico negotio internoscitur; Sic etiā facillimè à quarto & quinto distinguitur, quippe quæ in conchis indita sunt. Quorum quidem quarti & quinti generis Iconem, explicatiorem descriptionem, & perfectiorem historiam in secundo libro nostro, inter reliqua testata trademus. Cur autem solum tertium Polypi genus vnico constet acetabulorū ordine, cum reliqua omnia mollia geminis acetabulis seriem à capite in extremos vsque cirros habeant ordinatam; explicat Aristoteles inquiens; [u] *Eius rei causa ad longitudinem* tenuitatemque brachii referenda est; cum enim angustum sit, simplicis acetabuli ordinem tantum capiat necesse est. Non igitur ita constant, quia id optimum, sed quia necesse sit propria *substantiæ ratione*. Hoc idem genus tertium præter crurum prolixitatem, atque simplicē acetabulorum ordinem, à primo etiam differt quòd rotundiore sit corpore, quodq; moschum non solùm viuus, sed mortuus etiam atqꝫ exiccatus non leuiter oleat. Vnde qui eum vel occultissimum fert, circunstantes suauissimè permulcet, & in arcis ad imbuendas grato odore vestes reponitur.

Marginal letters: E, F, G, H

l Hist. lib. 4. cap. 1.
m Part. lib. 4. cap. 9.
n Part. lib. 4. cap. 9.
o Hist. lib. 4. cap. 1. Part. lib. 4. cap. 5.
p Part. lib. 2. cap. 8.
q Part. lib. 4. cap. 5.
r Part. lib. 4. cap. 5.
s Lib. 7. fol. 158. 4.
t Hist. lib. 5. cap. 12.
u Part. lib. 4. cap. 9.

L O C V S.

Polypus marinum animal est, & primum eius genus in omni ferè mari frequens reperiri solet; reliqua verò non item; nam neque vbique, neque copiosè reperiuntur. Aristotele tamen authore, [x] *In Euripo pyrrhæo neque Polypi, neque bolitenæ, neque alia quædam genera gignuntur.* Et vt refert Athenæus, [y] *Theophrastus inquit Polypos non gigni circa Hellespontum, frigidum enim est illud mare, ac minus salsum, quæ utraque Polypis sunt contraria;* idem etiam testatur Oppianus his versibus;

x Hist.lib.9.cap.37.
y Lib.7.fol.158.42.
z Lib 1 fol.116.51.

z Noxia non ponto monstra educantur in isto,
Et parui pisces non quicquam hostile timentes
Securi viuunt vndis, procul Astacus ingens, A
Polypodes desunt magni, desuntqúe Paguri;

Litoralis potius quàm pelagius est Polypus; vt asseuerare videtur Aristoteles dicens, [a] Loligo sola ex mollibus gaudet alto, vitamqúe pelagicam agit.

a Part.lib.4.cap.5.

VT COEAT, ET VT PARIAT.

b Hist lib.5.cap.12. Plin.lib.5.cap. 51.
c Hist.lib.5.cap.6. De Gene.lib.1. cap.15.

Vt author est Aristoteles, [b] *Polypus hyberno tempore coit, uerno parit.* Eodemque teste [c] *Mollia ut* Polypi Sepię Loligines modo eodem omnia coeunt, oribus enim inuicem admotis, complexuqúe mutuo brachiorum libidinem explent; Ergo Polypis coitus, cum alter capite vulgò appellato in terram verso, nitibundoqúe explicat, porrigitqúe sua brachia, alter superuenit passisqúe brachiis singulis ad singula subiacentis acetabulorum conceptu mutuo adhęrescit; Marem etiam nonnulli aiunt gerere quod genitalis speciem refert suo brachio, in quo duo amplissima acetabula habentur, neruo id quasi constare porrectum ad medium vsque brachium cō *firmāt, totumque nari fœminæ annectit.* Quod sic transcripsit Plinius, [d] *Polypi coeunt crine uno fœminæ naribus adnexo;* Et paulò infra. *Sed Polypi in terram uerso capite coeunt.* De eodem coeundi modo sic alibi meminit Aristoteles, [e] *Polypus ultimo brachio, quod acutius & solùm albicans est, & parte sui extrema bifurcatum, in coitu utitur.* Quod etiam transcribitur à Plinio his verbis, [f] *Polypus canda quæ est bisulca & acuta in coitu utitur.* Verùm hoc falsum est, vt idem Aristoteles testatur inquiens, [g] Meatus ille interior idem excrementi & vuluę est, tum in mollibus, tum in crustatis; est enim qua semen genitale per meatum emittant, idqúe parte corporis supina, qua putamen distat, & mare illabitur, faciunt. Quamobrem ea parte mas cum fœmina copulatur; nā si mas siue semen, siue membrum, aut aliquam virtutem, siue vim aliam mittat, admoueri ad meatum vuluale necesse est. Crinis verò insertio maris Polypi per fistulam, qua piscatores crine coire Polypos aiunt, complexus gratia fit, non quasi instrumentum id fit vtile ad generationem; *etenim extra meatum corporisque est.* Vt idem tradit [h] *Mollia copulatione ac uenereo coitu ouum concipiunt can*didum, quod in dies arenidum, quale illud crustati generis, euadit; edit Polypus suum ouum vel in cubilibus, vel in figulino, vel in aliquo alio cauo, simile labruscę florētis racemulis, aut fructui populi albę; pendent vtique per cubile oua tanta fœcunditate, vt collectus vas impleatur lō gè amplius quàm caput sit, quo continebantur. Polyporum itaque ouis diebus post qninquaginta maximè ruptis, Polypoli modo araneorum, perquam multi exserpunt; quorum natura sigillatim non dum conspicua est, quanquam forma satis tota appareat; sed ob exiguitatē imbecillitatemqúe copia interit; iam nonnulli adeo spectantur exigui; vt nulla partium constent distin*ctione, quamuis ad tactum moueantur;* & vt paulò infra subiungit; *Polypus fœmina modò incubat ouis, modò in ore sui cubilis assidens, brachium super ouis exporrectum tenet;* Quæ sic interpretatus est Plinius; [i] *Polypi uere pariunt oua tortili uibrata* (vel *similata* vt in castigato codice legimus) *pampino tanta fœcunditate*, vt multitudinem ouorum occisi non recipiant cauo capitis, quo pręgnantes tulere; Excludunt quinquagesimo die, è quibus multa propter numerum intercidunt; Polypus fœmina modò *in ouis sedet, modò cauernam cancellato brachiorum implexu claudit;* De eisdem Polypi ouis Oppianus etiam loquitur, vt infra citabimus.

B
C
D

d Lib.9.cap.51.
e Hist.lib.4.cap.1.
f Lib.9.cap.29.
Quorundam falsa opinio.
g Gene.lib.1.cap.15.
h Hist.lib.5. cap. 18. & cap 12. de Gen. lib 1.cap.15.
i Lib.9.cap.51.

NATVRA, ET MORES.

Ariſtotele teſte, [k] *Polypus ſuis brachijs ut pedibus ac manibus utitur, quippe qui duobus ſupra os poſitis cibum* admoueat. Natat obliquus, pedes in eam porrigens partem, quod capitis nomine appellatū *eſt; atque ita efficitur, ut cum natat, proſpiciat in aduerſum*. Vnde & Plinius inquit, [l] *Polypi omnes brachijs ut pedibus ac manibus utuntur, natant obliqui in caput*. Eodem Ariſtotele authore, [m] *Quæ pedes habent, ut* mollia, tum pedibus ipſis, tum pinnis natant, & quidem his celerius, vt Sepia, Loligo, & Polypus; *ambulat autem eorum nullus, ut Polypus*; ſic enim ſonant græca verba vetuſtiſſimi codicis Vaticanæ bibliothecæ; etſi ſecus in impreſſis codicibus græcis legantur; ac multò etiam ſecus verſa ſint à Theodoro. Alibi etiam (vt ſupra quoque citauimus) tradidit Ariſtoteles, [n] *Sepias & Loligines uim nandi tantummodo habere, cum Polypi uel ingredi poſſint*. Et vt paulò poſt ſubiungit, *Cum mollia pinnulam alueum circundantem habeant, ut natent, & ſe dirigant, Polypis hæc minima eſt*, minimeqúe conſpicua; quoniam paruum habeant alueum, quem ſatis ſuis pedibus dirigere poſ*ſint*; Quod & Plinius comprobat dicens; [o] *Et è planis aliqua non habēt pinnas, ut Paſtinacæ, ipſa enim la*titudine natant, & quę mollia appellantur, vt Polypi, quoniam pedes illis pinnarum vicem *præſtant*. Vt præterea teſtatur Ariſtoteles; [p] *Mollium unus polypus exit in ſiccum, graditur per aſperiora, uitat læuia*; quæ ſic interpretatus eſt Plinius, [q] *Soli mollium Polypi in ſiccum exeunt duntaxat aſperum, læuitatem odere*. Idem aſſeuerat & Aelianus, ſcribens; [r] *polypos & Oſmilos in ſiccum egreſſos æſtiuo tem*pore ex maritimis arboribus frugiferis fructus ſuripientes ſępe agricolę & deprehendūt, & pro *direptis fructibus pœnas ex comprehenſis ſumunt*; Quod & Oppianus comprobat his verſibus;

Aristotelis locus corrigitur

K Hiſt.lib.4 cap.1.
l Lib.9.cap.29.
m Hiſt.lib.1.cap.5.
n De part lib.4.ca.9.
o Lib.9.cap.20.
p Hiſt.lib.9.cap.37.
q Lib.9.cap.29.& cap.19.
r Lib.12.cap.9.

E

F

[s] Polypodes multis ſparſi per membra flagellis,
Cardyla, & Scolopendra malum quę ſpirat odorem
Piſcanti infeſtum, curuos cum porrigit hamos,
Oſmylus & reliqui terra pontoqúe mouentur.
Agricola incuruus cui ſunt plantaria curę,
Oſmylon ad teneros ſerpentem litore ramos
Vidit pomiferis reptantem Polypon aruis,
Implicitum ramis oleę, fructuſque vorantem.

s Lib.1.fol.111.49.

Idem etiam notauit Athenæus inquiens, [t] *Videntur ſæpe polypi in ſiccum exire, & maximè ubi aſpera* ſint loca, nam lęuia fugiunt. gaudent autem oleis, vnde ſępius olearum truncos ſuis brachiis complexi viſi ſunt; Sunt etiam deprehenſi ficubus mari proximis impliciti, vt Clearchus in li*bro de ijs, quæ in aquis degūt, ait*. Carniuori ſunt Polypi vt reliqua mollia. Et authore Ariſtotele [u] Conchulis maximè extringentes caruncula, veſcuntur; vnde fit, vt eorum cubilia cogno*ſcant, qui uenantur, congerie teſtarum*; quod ſic vertit Plinius, [x] *Veſcuntur conchiliorum carne quorum conchas complexu crinium frangunt; itaque præiacentibus teſtis cubile eorum deprehenditur*. Et alibi ita ſcribit Plinius, [y] Non ſunt pretereunda & L. Lucullo proconſule Bętice comperta de polypis, quę Trebius Niger è comitibus eius prodidit; auidiſſimos eſſe concharum, illas ad tactum comprimi, pręcidentes brachia eorum, vltroqúe eſcam ex prędante capere; Carent conchę viſu, omniqúe ſenſu alio quàm cibi & periculi, Inſidiantur ergo polypi apertis, impoſitoqúe lapillo extra corpus, ne palpitatu eiiciatur, ita ſecuri graſſantur, extrahuntqúe carnes; illę ſe contrahunt, ſed fruſtra *diſcuneatæ; tanta ſolertia animalium hebetiſſimis quoque eſt*. Vt teſtis eſt Ariſtoteles; [z] *Polypus fatuus quidem* eſt, cum ad manum demiſſam hominis accedat, ſed prudens rei familiaris cum omnia colligat, & ſuo in domicilio recondat, cumqúe conſumpſerit quantum vtile ſit, abigit teſtas, & cancro*rum cruſtas, & putamina conchularum, & ſpinas piſciculorum*. Quæ ſic tranſcripſit Plinius [a] *Et cum alio*qui brutum habeatur animal, ut quod ad manū hominis adnatat, in re quodāmodo familiari callet, Omnia in domum comportat, deinde putamina eroſa carne egerit, adnatanteſqúe pi*ſciculos ad ea uenatur*. Aeliano authore, [b] *Suorum membrorum conficientiſſimus eſt Polypus; Nam ſi uenatio eum* deficiat, brachia ſua deuorat, ac ventrem morſu vellicat, inopiamqúe venationis leuat; deinde renaſcitur quod deeſt; hoc tanquam promptum prandium ad ſamem reſtinguendam cō*parante natura*; Quod ſic mutuatus eſt Oppianus,

G

H

t Lib.7.fol.158.24.
u Hiſt.lib.8.cap.2.
x Lib.9.cap.29.
y Lib.9.cap.30.
z Hiſt.lib.9.cap.37.
a Lib.9.cap.29.
b Lib.12.cap.3.

c Lib. 2. fol. 124. 26.

[c] Polypodes gelida non verrunt ęquora bruma,
Formidant rapidas vento impellente procellas,
Et curuis degunt antris, torpentque veterno,
Absumuntque pedes longos, non secus ac si
Carnes non pascant proprias, quę sępe renatę
Exaturant dominos, Neptunus munera donat,
Fęcundatque pedes in pabula grata natantum.

d In secũdo operis, cui titulus est opera & dies.
e Apud Athe. lib. 7. fol. 158. x.

Idem sensisse videtur & Hesiodus scribens, [d] *Die uerno quando* ἀνόστεος (hoc est Polypus qui ossibus caret) *suum pedem uorat in igne carente domo, & habitationibus humidis*. Eiusdem etiam opinionis fuere [e] Pherecrates comicus, & Diphilus; Cũ ille in Agrestibus inscriptis dicat, Inter agrestia olera & pinos viuere, ac vbi famem patientur, suos digitos velut Polypi solẽt, *comedere*. Hic verò in Mercatore inquiat, *Polypus omnes cirros integros habens non edit se ipsum ò amicissime*. A

f Hist. lib. 8. cap. 2.
g Lib. 9. cap. 29.
h Hist. lib. 9. cap. 37.
i Lib. 9. cap. 29.

Verùm Aristoteles hanc refellit opinionẽ dicens, [f] *Quòd autem nonnulli aiunt Polypum se ipsum esse, falsum est; sed aliqui sua brachia corrosa habent à Congris*. Quod sic interpretatus est Plinius, [g] *Ipsum* brachia sua rodere, falsa opinio est; id enim à Congris euenit eis. Sed renasci sicut colotis & lacertis caudam, haud falsum. Vt autem Aristoteles prodit, [h] *Sui mutatione coloris uenatur pisces, trahit enim* sibi colorem similem iis, quibus appropinquauerit saxis; quod idem etiam cum metuerit facit. Quæ sic notauit Plinius; [i] *Colorem mutat ad similitudinem loci, & maximè in metu*. Idem etiam testatur Oppianus his versibus;

k Lib. 2. fol. 124. 19.

[k] Polypodon fraudes populos vulgantur in omnes,
Qui similem petrę magnum flectuntur in orbem;
Nexibus & spiris hominem piscemque rapacem
Sic subterfugiunt astu, vitamque tuentur. B
Si paruos videant pisces prędamque minorem,
Rursus & in piscis formam vertuntur, & arte
Perquirunt victum, funestaque fata repellunt.

l Apud Athe. lib. 7. fol. 158. 16.

Atque [l] Theognis Megarensis, & Clearcus; ille enim in elegijs inquit,

Polypodis mores imitabere, qui quibus hęret
Saxis, vt vult, fit protinus assimilis.

Et hic in secundo libro prouerbiorum scribit;

Polypodis fraudes imitaberis Amphiloche Heros
Vt placeas illis, quorum olim accesseris vrbem

Hæc eadem sic cecinit Ouidius;

m In frag. de piscib. fol. 34. 9. & S. Basi. Hex. hom. 7.

[m] At contra scopulis crinali corpore segnis
Polypus hęret, & hac eludit retia fraude; C
Et sub lege loci sumit mutatque colorem,
Semper ei similis, quem contigit; atque vbi prędam
Pendentem retis auidus rapit, hic quoque fallit;
Elato calamo cum demum emersus in auras
Brachia dissoluit, populatumque expuit hamum.


n Hist. lib. 8. cap. 2.
o Lib. 9. cap. 62.
p Lib. 13. cap. 12. & lib. 12. cap. 5.
q Lib. 13. cap. 13.


Eodem Aristotele teste [n] *Euenit usu ut Locustis Polypi sint superiores, adeo ut si eisdem in retibus senserit Locusta* Polypum, prę metu moriatur; Congros Locustę conuincunt, nam elabi non queunt propter crustę asperitatem, Congri autem Polypos deuorant, nulli etiam ipsis propter lęuitatem vsui esse *possunt*; Et nõ (queadmodum in historia quinta declarauimus) vt vertit Theodorus, Cõgri Polypos superant, sed edere non possunt, lęue enim & lapsum Polypi corpus vsũ hostis *effugit*. Quod sic transcripsit Plinius, [o] *Polypum in tantum Locusta pauet, ut si iuxta uiderit, omnino moriatur, Locustam Conger, & rursus Polypum Congri lacerant*. Idem etiam testatur & Aelianus inquiẽs, [p] Locusta ideo inimicitias cum Polypo graues habet, quòd hic cum illius brachia circumplexus fuerit, aculeis, quos in dorso insitos habet, pręclarè contemptis, & pro nihilo habitis, illã ipsam circumplicans suffocat; cuius sanè rei haud inscia Locusta à Polypo summè refugit. Et paulò infra, [q] *Tam uehementer Polypum Locusta extimescit, ut si quando uno & eodem reti ambo comprehendantur, hæc continuò moriatur*. Quæ sic transcribuntur ab Oppiano.

Theodori lapsus.

D

Qvod in Sturionis atque Thynni historijs, idem in hac Polypi historia nobis euenit candide lector; vt folijs scilicet, quæ ei conscribendæ dereliquimus, vniuersa comprehendi non potuerit; Quam ob rem eius reliquum in folio 247 inuenies.


P 59
N. G. Σηπία;
L. sepia.
V. sepia.


P.60
sepia sopina.

HIPPOLYTVS SALVIANVS

HISTORIA QVINQVAGESIMA QVINTA.

DE SEPIA.

NOMEN.



PISCIS noster quinquagesimus nonus, Romæ *Sepia*, à Ianuensibus ac Massiliensibus *sopi*, & à Gallis *seiche* vocatus; à Græcis σηπία, & à latinis græco nomine vsis *Sepia* appellatur.

DESCRIPTIO.

E Ex mollium genere est Sepia, vt author est Aristoteles scribens, [a] *Aliud item animalium genus est molle, ut Loligines, ut Lolij, ut Sepiæ*; & Plinius dicens, [b] *Mollia sunt Loligo, Sepia, Polypus, & cætera eius generis*; & Athenæus inquiens, [c] *Mollium genus ut Polyporum, & Sepiarum; & his similium*; atque Galenus his verbis, [d] *Mollium generis sunt Polypi, Sepiæ, Loligines, & alia quæ his sunt similia.* Vnde vti & cætera mollia inter pedes & ventrem caput habet. In superiore autem capitis parte oculi magni & oblongi locati sunt, in inferiore verò & tanquam in medio ipsorum pedum os positum est rotũdum, atque Polypi & Loliginis ori simillimum. In quo duo cartilaginea ossicula nigra, incurua, & Psitaci auis rostrum æmulantia dentium vicem repræsentant; vt in

F icone sexagesima, quæ resupinatæ Sepiæ est, intueri licet. Quamobrem iurè Aristotelis testimonio scriptum reliquit Athenæus, [e] *Sepiam inter pedes oculos & os habere & dentes duos, unum superiorem, alterum inferiorem.* Et nõ secus quàm in mollibus reliquis, vt Aristoteles testis est. [f] *Inest in ore caro quædam exigua, qua uice linguæ utitur; lingua enim nullis hoc in genere data est.* Et idem alibi etiam prodidit [g] *Membrum quod ad sentiendum saporem accommodatum est, non omnibus simile datum est; sed aliis absolutum, aliis adhærens; videlicet iis quibus vocis defuit vsus; & aliis durum, aliis molle carnosumqúe; nam & crustatis & Locustis marinis & reliquis generis eiusdẽ, tale quid in ore habetur; atque etiam mollibus, ut Sepijs, ut Polypis.* Præterea aliorum mollium instar, vt tradit Aristoteles, [h] *pedes omnes habet anteriore parte circa caput, infra quidem oculos, circa autem os & dentes.* Cur autem Sepia & mollia reliqua anterius pedes omnes habeant, in sequente historia Loligini dicata explicabimus. Sunt autem Sepiæ pedes, nõ secus quàm & cæterorũ mol-

G lium, vt author est Aristoteles, [i] *octoni binis acetabulorum ordinibus, ductu perpetuo.* Qui quidem Sepiæ pedes, vti Loliginis pedibus prorsus similes, ita Polypi pedibus absimiles aliqua ex parte sunt; primùm nanque eodem authore, [k] *Polypi crura prælonga, Sepiæ uerò & Loliginis breuia sunt.* Cur autem hoc factum sit, idem declarat inquiens, [l] *Sepijs & Loliginibus breues sunt pedes; Polypis magni; alueum enim corporis Sepię & Loligines habent magnum, Polypi paruum; Itaque quod natura Polypis ex corpore dempserat, id in pedum longitudinem addidit; quod Sepiis & Loliginibus de pedibus abstulerat, eo corporis magnitudinem auxit.* Præterea vt idem Aristoteles testatur, [m] *Habent Sepiæ & Loligines pedes supra dentes senos exiguos, eorumqúe nouissimos duos maiores; reliquos autem octonorum duos infra omnium maximos,*

H *vt enim quadrupedibus crura posteriora firmiora validioraqúe sunt, ita iis quoque maximi qui infra habentur; his enim onus sustinetur, motusqúe potissimum agitur; duo etiam illi nouissimi maiores suis mediis sunt, quia illis ministrent. Polypus medios quatuor habet maximos.* Præter prædictos octones pedes, vt proditum est ab Aristotele, [n] *Sepiæ Loligines & Lolij peculiares binas sortiuntur promuscides longas, acetabulo parte extima bino asperiusculas; quibus capiunt, & ad ora admouent cibos; iis etiam quoties tempestates vrgent, ad saxa aliqua adhærentes se ueluti anchoris iactis stabiliunt.* Quibus promuscidibus à Polypis facilè internoscuntur, ijs enim Polypi carent. Cur autem Sepiæ & Loligines promuscides habeant, Polypis verò eæ desint; idem declarat Aristoteles inquiens; [o] *Cum itaque Sepiæ & Loligines pedes habeant breues atque inutiles, ne æstu maris tempestateqúe exturbentur saxis, vtquę de longinquo admoueant, ideo promuscides binas prælongas habent, quibus veluti anchoris in-*

a Hist.lib.5.ca.6.li.4 cap 1.
b Lib.9.cap.28.
c Lib.8.fol.178.19.
d Clas.2.fol.30.H.
e Lib.7.fol.161.21.
f Hist.lib 4.cap.1.
g De part.lib.2. cap. 17.
h De part.lib.4.ca.9
i Hist.lib.4.cap.1.
k Hist.lib.4.cap.1.
l De part.lib.4.ca.9.
m De part.lib.4. ca. 9.
n Hist.lib.4.cap.1.
o De part.lib.4.ca.9

nitantur, seque stabiliant modo nauigii, tempestate vrgente; venentur etiam procul, orique, è longinquo admoueant. Polypi promuscide carent, quoniam pedes ad vsum eundem commodos habeant. Qui verò acetabulorum, quibus tum pedes tum promuscides mollium instructæ sunt, vsus sit; in Loliginis historia explicabitur. Quemadmodum molliũ pedibus caput, ita capiti alueus annectitur. Qui quidem alueus interanea omnia con-

p De part.lib.4. ca.9 tinet, atque eo interse differunt mollia. Nam authore Aristotele, [p] *Alueum corporis Sepia & Loligines habent magnum, Polypi paruum*; & alibi sic inquit; [q] *Differunt Polypi à cæteris quæ modo enumeraui mollibus; eò quòd alueus Polypis paruus, cęteris verò amplus est; ipsa autem interse discrepant, quatenus Loligo longior, Sepia latior est.* Sepiæ igitur alueus, qui Polypi alueo latior & lon-

q Hist.lib.4.cap.1.

r Lib.4.de part.ca.9. gior, Loliginis verò latior & breuior est, [r] *pinnula continua & angusta totus* (vt notauit Aristoteles) *circumdatur*; vti in resupinatæ Sepiæ icone apparet. Inter alueum & caput fistula prominet, vt in eadem resupinatæ Sepiæ icone conspicitur. De internis autem partibus, quæ mollibus omnibus communes sunt, cum abũde satis dictum sit in superiore historia, vbi communem mollium descriptionem pertractauimus, hîc de illis solùm differemus, quæ aut Sepiæ propriæ sunt, aut ei diuerso modo accidunt. Vt igitur te- A

s Lib 4.de part.ca.5. Hist.lib.4.cap.1. statum reliquit Aristoteles, [s] *Cum Mollia omnia atramentum habeant, præcipuè eius plurimum Sepiæ continent.* Et cum illud in Polypis & Loliginibus supra ad mutim potius positum sit; in Sepiis infra ad aluum continetur. Copiosius enim atramentum habent Sepię, quoniam magis vtantur; quod eis propterea euenit, quia vitam litoralem traducunt, & tamen nihil quo sibi auxilietur aliud habent; quo modo Polypi & brachiis sibi sufficiunt, & coloris mutatione; quę & ipsa accidit eis per metum, vt effusio atramenti; Loligo sola ex iis gaudet alto, vitamque pelagicam agit; Sepia igitur plus continet atramenti; & infra, quoniam copiosius; faciliùs enim & longiùs pro *fundere maiore ex copia poterit*. De huiusmodi autem atramenti natura, ortu, & loco explica- B

t Hist.lib.4.cap.1. tiùs differemus in sequente historia. Præterea vt proditum est ab Aristotele, [t] *Sepiæ, Loligini & Lolio partes durę ac solidę intus per dorsum & corporis prona continentur; quas non eodem appellant nomine, sed quod insertum Sepijs est, σήπιον Sepium uocant, quod Loliginibus ξίφος Gladiolum.* Differũt enim quòd Sepium robustum latũque est, inter spinam & os mediam pręseferens naturam, fungosam intra se complectens & friabilem corpulentiam; Gladiolus arctior & cartilaginosior est; forma etiam discrepant, pro alueorum modo quibus inserta continentur.

u Lib.7.fol.161.23. Huius Sepij Athenæus etiam meminit ipsum ὄστρακον vocans, inquit enim [u] ἔχει σηπία τὸ λεγόμενον ὄστρακον ἐν τῷ νώτῳ, id est, *habet Sepia in dorso quod ostracum uocatur*. Vsum autem eiusdẽ C

x Lib.2.de part.ca.8. Sepij Aristoteles explicat dicens, [x] *Habent mollia quod piscium spinis proportionetur, ut Sepiæ, quod Sepium vocant, Loligines quod Gladiolum. Polypi nihil huiusmodi habent; quòd eorum alueus breuior est, illorum procerior. Ideoque vt directus inflexusque maneret, natura his admi niculis faciendum censuit.* Edocet etiam cur Sepium crassius sit quàm Gladiolus, his verbis,

y Lib.4.de part.ca.5 [y] *Quod plurimum terrenę materię habeat Sepia, argumento Sepium est, quod tale tantũque sit; hoc enim Polypus caret, Loligo cartilagineosum ac tenue gerit.* Eiusdem Aristotelis testimonio, [z] *Sepijs & Polypis venter similis tum figura tum tactu est; At iis quas Loligines appellamus, bina quidẽ*

z Lib.4.de part. ca.5

a Lib.3.de Gene, ca. 8. *conceptacula uentris speciem gerunt.* Postremò vt ab eodem proditum etiam est, [a] *Sepiæ & Loliginis vulua ita articulata est, vt bifida cernatur; cum Polypi vterus specie rotunda conglobataque sit.* Sepia subalbida est, tergus tamen eius quibusdam latis atque liuentibus maculis D

b Hist.lib.5.cap.12. Athe.li.7.fol.161. 35. insignitur. Mas autem à fœmina internoscitur, nam vt author est Aristoteles, [b] *Mas uarius magis quàm fœmina, dorsoque atriore est.* Quod sic transcripsit Plinius, [c] *Sepiarum generis mares uarij & nigriores, constantiæque maioris.* Et vt idem notauit Aristoteles, [d] *Mas partes omnes asperiores habet quàm fœmina, & lineis interuenientibus uarias; caudam etiam acutiorem.* Et rursus eodem teste, [e] *Fœmina intestina continet duo veluti mammas, quę si aluo dissecta inspectes, facilè videris; quibus mas omnino caret.* Ad multam magnitudinem non excrescunt Sepiæ; pedales enim & sesquipedales sunt, quæ frequentiùs capiuntur. Aristoteles tamen scribit, [f] *Sepias aliquas in bina*

c Lib.9.cap.29.

d Hist.lib.4.cap.1.

e Hist.lib.5.cap.18.

f Hist.lib.4.cap.1.

augeri cubita notum esse. Plinius cum Trebij nigri authoritate monstruosi & inusitatæ magnitudinis Polypi in Carteiæ cetarijs capti pugnam admiratione dignam conscripsisset, eiusque reliquias asseruatas miraculo pependisse pondo DCC. retulisset; subiũgit, [g] Sepias quoque eiusdem magnitudinis expulsas in litus illud, idem author est. In nostro mari binum cubitorum capiuntur. Strabo verò author est, [h] *In exterioribus Carteiæ locis Polypum talenti pondo, duorum autem cubitorum Sepias capi*.

g Lib.9.cap.30.
h Lib.3.fol.137.

L O C V S.

E Marinum animal est Sepia, nec vsquam in dulci aqua nascitur, ad fluminaúe è mari adnatat. In litoribus & non in pelago degit, vt Aristoteles etiam explicat inquiens (vt supra quoque citauimus) [i] *Sepiæ uitam litoralem traducunt*. In omnibus ferè marinis litoribus reperiri & capi solet.

i De part.lib.4. ca.5.

C O I T V S, E T P A R T V S.

Cum scripsisset Aristoteles, [k] *Mollia ut Polypi, Sepiæ, Loligines modo eodem omnia* πλησιάζουσιν ἀλλήλοις, hoc est *applicant se adinuicem* (et non vt vertit Theodorus, *coeunt*) *oribus enim inuicem admotis, complexuque mutuo brachiorum uenerem explent*; paulò post subiungit; [l] *Sepiæ ac Loligines ora applicantes, & brachia inter se componentes natantesque in aduersum coeunt* (τὸν καλούμενον μυκτῆρα, hoc est) *uocatam narem in narem etiam inserunt; natatus alteri retrorsum, alteri ante uersus in os agitur. Pariunt ea sui corporis parte, quæ* (φυτῆρ, vel vt in manuscripto legitur φυσητῆρ) *fistula dicitur, qua & coire eas nonnulli arbitrantur*. Quæ cum sic transcripta legantur apud Plinium, [m] *Sepiæ & Loligines linguis, componentes inter se brachia & in contrarium nantes; ore & pariunt*. Neque eas linguis coire (vti Plinius sentire videtur, de coitu enim ibidem tractat) neque ore parere (vt idem expressè testatur) Aristoteles prodidit, rationiúe consonum est. Quòd enim Aristotele authore, non ore sed fistula pariant, clarè adeo patet ex proximis eius citatis verbis, vt non sit opus probatione. Quòd verò neque oris, vel linguis vt loquitur Plinius, eas coire asseueret, clarum etiam est. Nam etsi inquiat Sepias coeuntes ad inuicem ora admouere & ap-
G plicare; non propterea eas oribus coire testatur. Nec est vt pro defendendo Plinio, alium Aristotelis locum adducamus, in quo legitur; [n] *Mollia ore coeunt, enixu complexuque mutuo brachiorum, sic enim coniungi necesse est*; quando Theodori loci huius interpretatio, & non Aristotelis sententia pro Plinio pugnet. Scribit enim Aristotele, τὰ δὲ μαλάκια συμπλέκεται μὲν κατὰ τὸ στόμα, ἀντιρείδοντα καὶ διαπτύσσοντα τὰς πλεκτάνας, συμπλέκεται δὲ τὸν τρόπον τοῦτον ἐξ ἀνάγκης; hoc est, *Mollia autem complicantur ore, renixu complexuque mutuo brachiorum; complicantur autem hoc modo ex necessitate*, Et non vt vertit Thodorus *Mollia ore coeunt*. Quæ autem sit necessitas, qua mollia hoc modo complicari in coitu cogantur, Aristoteles ipse declarat illico subiungens, *Quoniam natura exitum excrementi in os inflectendo adduxerit*. Et vt manifestissimè qua parte mollia coeant explicaret, paulopost hæc prædictis addit, *Habere fœminas omnes*
H in hoc genere membrum vuluale, apertum est, tum in iis, tum etiam in crustatis; Est enim qua semen genitale per meatum emittant; idq́ue parte corporis supina, qua putamen distat, & mare illabitur, faciunt. Quamobrem ea parte mas cum fœmina copulatur, nam si mas siue semen, siue membrum, aut aliquam virtutem, siue vim aliam mittat, admoueri ad meatum vulvam necesse est. Ex quibus verbis luce clarius patet, Sepiam vti & reliqua mollia, fistula coire & parere, eademq́ue alui excrementa reicere, atramentum effundere, & haustum mare (dum aliquid ore capit) transmittere. Cum igitur Aristotele authore [o] Mollia copulatione & venereo coitu ouum concipiant candidum, quod in dies arenidum, *quale illud crustati generis, euadit*. Vt idem alibi scribit, [p] *Sepiæ aluus bipartitus est, oua candicantia grandini similia complectens per multa*. Et rursus alibi, [q] *Sepijs oua gemina apparet quoniam uulua earum ita articulata est*,

Theodori lapsus.
In Plinium animaduersio.
Theodori lapsus.

k Hist.lib.5.cap.6.
l Hist.lib.5.cap.6.
m Lib.9.cap.51.
n De Gene.lib.1. cap.15.
o Hist.lib.5.cap.8.
p Hist.lib.4.cap.1.
q De Gene.lib.ca.8.

F

ut bifida cernatur. Tempus etiam & modum partus Sepiæ declarat Aristoteles inquiens, r Hist.lib.5.cap.12. s Hist.lib.5.cap.18. [r]Mollia verno tempore pariunt, & Sepia in primis; parit hęc omnibus anni temporibus; perse*ueratque in edendo ouorum numero dies quindecim*. Et alio loco, [s]*Ferunt uterum Sepiæ uerno tempore, pariunt intra diē* t Lib.9.cap.51. *decimum quintum*. Quæ sic transcripsisse videtur Plinius, [t]*Molles uere pariunt; Sepia omnibus mensibus.* Eandem Aristotelis sententiam citat & Athenæus; sed cum sic verba eius legantur, u Lib.7.fol 161.33. [u]τῶν τε μαλακίων τίκτουσιν πρῶται τοῦ ἔαρος αἱ σηπίαι, καὶ οὐ κύουσι πᾶσαν ὥραν, καὶ κυίσκονται πεντεκαίδεκα ἡμέραις, id est, *Mollium autem Sepiæ primæ uere pariunt; & non concipiunt omnibus temporibus; Pariuntque per quindecim dies*, οὐ ceu perperam inserta particula expungi debet. Præterea locum quo x Hist.lib.5.cap.18. que in quo Sepiæ pariunt indicat Aristoteles dicens, [x]*Sepia parit iuxta terram inter algas & arundines*, etsi quod aggestum tale iniectum sit, ut sarmenta, aut lapides, aut quęlibet alia materiei congeries; Et quidem piscatores de industria fasces sarmentorum disponunt. Hęc perlibenter in eis loculamentis parit prolixam illam, continentemque seriem ouorum; qualis cirri muliebris species est. Enititur aluum per interualla reprimens, inspergitque atramentum interposita y Lib.9.cap.51. *quiete; utpote cum non nisi cum labore emittat*. Vnde Plinius etiā scribit, [y]*Sepia & in terra parit inter arūdines,* z Hist.lib.6.cap.13. *aut sicubi enata alga*. De editis etiā ouis Sepiæ explicatissimè disserit Aristoteles sic scribēs; [z]Nec omnia piscium oua fœcunda locantur; sed ea certè, quibus editis mas semen asperserit; & quę vitale id virus contigerit, iis pisciculi enascuntur. Cęteris prout sors tulerit, euenit. Hoc idem & in mollium genere fit. Mas enim Sepia oua quę fęmina ediderit, persequitur suum semen aspergens. Quod vel in reliquis eiusdem generis fieri ratio est. Verùm non a Hist.lib.5.cap.18. *nisi in Sepijs hoc uisum adhuc est*. Et alibi, [a]*oua quæ Sepiæ edunt magnitudinem myrtorum capiunt, & nigrescunt*; emisso enim atramento parentis infunduntur, atque ita inficiuntur. Cohęrent inter se ad speciem racemi, cuncta vni obducta cuidam nexui; nec facile alterum detrahi ab altero potest. Mas enim humorem quendam mucoris mittit, cuius lentore tenaciter oua sibi coherescunt, ac crescunt. Etiam hęc & cum primùm edita candida sint, atque exigua; mox atramento per b Lib.9.cap.51. *fusa nigra, maioraque redduntur*. Quapropter Plinius quoque scribit, [b]*Oua Sepiæ glutino atramenti ad speciem uuæ cohærentia masculus prosequitur afflatu, alias sterilescunt*. Cum præterea legamus etiam c Hist.lib.5.cap.12. in Aristotele, [c]*Quoties Sepia ediderit, mas è uestigio sequens (τὸν θόλον) atramentum ouis superinfundit, atque ita efficitur ut solidescant*, τὸν θόλον pro τὸν θορὸν id est semen, mendosè legi arbitror; nam præter id quòd supracitatis locis clarè oua Sepiæ à femina atramento, à mare verò semine aspergi dicuntur; causa nulla reddi potest, cur mas ouis atramentum inspergat. Nam fœmina ob dolorem partus, quo maximè cruciatur, atramentum effundens, eo edita oua inficit. Nec enim edita oua derelinquit negligitúe Se- d Hist.lib.5.cap.18. pia; nam eodem Aristotele teste, [d]*Cum genus omne crustatum sibi iuncta contineat oua & sic foueat;* Polypus & Sepię & reliqua generis eiusdem oua quę pepererint, absoluta fouent; & precipuè Sepia; quippe cuius sępenumero alueus iuxta terram, dum hoc facit, appareat. e Hist.lib.5.cap.18. Et vt idem author est, [e]*Mox oua edita Sepiæ crassitudinem acinorum uuæ minorum intra diem item decimum* quintū capiunt; quibus abruptis Sepiolę excludutur; Quę, si quis priùs prole iam perfecta obsciderit oui membranam, stercusculum mittunt, suumque prę metu colorem immutant ex can f Lib.9.cap.51. *dicante in rubriusculum*. Et ideo iurè Plinius quoque scripsit [f]*Excludit Sepia quinto decimo die*. Eo- g Hist.lib.5.cap.18. dem authore Aristotele, [g]*Prodeunt è singulis Sepiarum ouis Sepiolæ singulæ*. Postremò ne aliquid, quod ad coitum atque partum Sepiarum spectet, prætermitteret Aristoteles, rationem etiam & modum, quo Sepiolæ ex ouo procreantur atque excluduntur, declarat h Hist.lib.5.cap.18. his verbis, [h]*Cum Sepiola tam intus constiterit, uidelicet tota ex candido oui interno concrescens*, tum rupta oui membranula proles exit; primùm pars illa interior candida veluti grando consistit, cum fęmina suum atramentum asperserit. Nascitur enim Sepiola ex eo ipso candicante corpusculo versa in caput, modo auium ventre annexo. Sed qualis nam sit in his annexus vmbilici, nondum exploratum habemus. Constat tamen candidum illud subinde diminui; dum Sepiola augetur, & ad postremum vt luteum auibus, sic candidum his aboleri. Primùm oculi grandes in his i De Gene.lib.3.ca.8 quoque, perinde vt in cęteris, apparent. Sit a ouum, b c oculi, d Sepiola, e hoc ipsum. Et rursus alibi. [i]*Adhæret ouo Sepia nascens parte sui priore; hac enim tantum potest adhærere, cum hæc una partem* posteriorem & priorem eodem habeat.

Athenæi locus corrigitur.

Aristotelis locus castigatus

A

B

C

D

NATVRA ET MORES.

Sepia pinnis & pedibus natat, vt testatum reliquit Aristoteles dicens [k] *Quæ autem pedes* habere putantur vt mollia, tum pedibus ipsis tum pinnis natant, & quidem his celerius, *iners autem alueus ducitur, ut Sepia, Loligo, Polypus*. Vbi tamẽ animaduerti debet, τὸ κῦτος τούτων ἑκάτερον, id est vt vertit Theodorus, *iners autem alueus ducitur*, quod in vulgatis codicibus legitur; non legi in antiquo manuscripto codice Vaticanæ bibliothecæ. Et vt eodem loco illico subiungit, βαδίζει δὲ τούτων οὐδέτερον ὥσπερ πολύπους, hoc est *ambulat autem neuter ut Polypus*; Vbi in vulgatis etiam codicibus rursus mendosè habetur τὰ τῶν ἑκατέρων, pro τούτων οὐδέτερον; quod non solùm prædictus manuscriptus codex comprobat, sed Aristoteles etiam testatur inquiens alibi, [l] *Sepijs & Loliginibus crura breuia sunt, ita ut potestas nulla sit ingrediendi*. Et alio loco [m] *Sepiæ & Loligines non simili ut Polypi modo constãt, quoniam uim nandi tantummodo habent, cum Polypi uel ingredi possint*. Et rursus alibi [n] *Polypis pedes non solùm ad nandum utiles sunt sed etiam ad ambulandum, Sepijs uerò & Loliginibus ad ambulandum inutiles*. Sepiæ igitur natãt solùm; & vt author est Aristoteles, [o] *Incedere coniugatim solent*; Et vt ab eodem proditum est, [p] *Cum Sepia icta est tridente, mas fœminam adiuuat; fœmina mare percusso fugam arripit*. Quod Sic trãscribitur à Plinio, [q] *Percussæ tridente fœminæ auxiliatur mas; at fœmina icto mare fugit*. Idem cõfirmat & Athenæus inquiens, [r] Dicitur autẽ quòd si Sepia fœmina percussa fuerit tridente, quòd ei auxiliatur mas, eam retrahens; *Si mares uerò capti fuerint, fugiunt fœminæ*. Carniuora est Sepia non secus quàm & reliqua mollia, vt testatur Aristoteles dicens, [s] Mollia verò carniuora omnia sunt. Nec solùm paruis Squillis, Cancellis, atque minutis pisciculis vescitur, sed maiores etiam pisces mandit, vt ab eodem traditum est dicente [t] *In mollium genere Loligines atque Sepiæ pisces maiores euincunt*. Quo autem modo id faciant, idem declarat Aristoteles scribens, [u] *Venatur Sepia suis illis prælongis prætenturis non solùm pisciculos, sed Mugiles etiam sæpius*. Vnde Oppianus etiam cecinit.

> [x] Callida furtiuam meditatur Sepia prædam
> Nam tenues molli surgunt de vertice rami
> Extenti tanquam funes, quibus ipsa natantes
> Pisciculos, iactis veluti capiuntur ab hamis,
> Pendens à fulua cautè deprehendit arena

Athenæus verò inquit, [y] *Paruæ autem Sepiæ nutriuntur tenuibus pisciculis, quos promuscidibus ceu piscatorio funiculo uenantur*. Morsu non lædere Sepiam, sed noxiam quandam saniem ex eius corpore effluere, author est Oppianus his versibus,

> [z] Obuia non tenui lædit nos Sepia morsu
> Nec nos pestifero confodit Polypus ore
> Noxia labuntur strigmenta è corpore toto.

Præterea vt testatum reliquit Aristoteles, [a] *Mollium astutissima Sepia est; Sola hec suo utitur atramento*, non modò cum metuit, verùm etiam abscondendi causa; Polypus atque Loligo atramentũ pro metu mittunt; Cęterùm sepia (vt dixi) sępe vel sine pauore suo vtitur atramento ad se occultandam, *& cum progressa paululum se ostenderit, redit in atramentum*. Idem comprobat & Nicander vetus poeta & medicus, qui cum scripsisset, [b] *Porrò Lepus ille marinus sordidatus dum recens in lucem est* editus, Loliginis infertur subtilibus comis, perinde ac Loliginis vel Sepię proles esset fugitiuę; causam cur fugitiuam appellauit Sepiam reddens, addit, *Quæ ubi piscatorem animaduertit fluctus doloso felle adeoque nigredine quadam sua obfuscat*. Eandem astutiam sic cecinit Ouidius,

> [c] Sepia tarda fugę, tenui cum forte sub vnda
> Deprehensa est, iam iamqúe manus timet illa rapaces,
> Inficiens ęquor, nigrum nouit illa cruorem
> Auertitqúe vices oculos frustrata sequentes.

Vnde & Plinius ait [d] *Ambo autem* (mas scilicet & fœmina Sepia, de ijs enim loquitur) *ubi* sensere se apprehendi, effuso atramento, quod pro sanguine his est, infuscata aqua abscondũtur. Aelianus verò eiusdem astus sic meminit, [e] *Cùm se à peritis piscatoribus captari cognoscit Sepia*, suum atramentum emittit, quo circunfusa, ab oculis piscantium remoueatur; eorumque perstringit oculos, piscatores verò cum sit in eorum oculis nihil tale vident. Et Aenęa tenebris circumsepto fefellit *Achillem Neptuns, ut ait Horatius*. Quod sic etiam describitur ab Oppiano,

Margin notes: Aristotelis locus corrigitur. — Aristotelis locus alter castigatur. — E — F — G — H

k Hist. lib. 1. cap. 5.
l Hist. lib. 4. cap. 1.
m De Part. lib. 4. cap. 9.
n Par. lib. 4. cap. 9.
o Hist. lib. 5. cap. 12.
p Hist. lib. 9. cap. 1.
q Lib. 9. cap. 29.
r Lib. 7. fol. 161. 29.
s Hist. lib. 8. cap. 2.
t Hist. lib. 8. cap. 2.
u Hist. lib. 9. cap. 37.
x Lib. 2. fol. 122. 21.
y lib. 7. fol. 161. 25.
z Lib. 2. fol. 127. 53.
a Hist. lib. 9. cap. 37.
b In Alexipharmacis.
c In frag. fol. 33. 19.
d Lib. 9. cap. 29.
e lib. 12. cap. 12.

f Lib. 3. fol. 134. 38.

[f] Quin & natiua fœcunda est Sepia fraude;
Est liquor in tumida concretus turbidus aluo,
Qui fuscus piceam superat caligine massam.
Conditus hic humor nutritur corpore, presens
Auxilium miserę; subita formidine capta
Atras emittit guttas, & polluit ęquor,
Obscuratque vias ponti tenebrosa cruore
Permixto sanies, piscantis lumina turbans
Auertit visum, & prospectum surripit omnem.
Hęc facili cursu per tinctas ęquoris vndas A
Effugit horrendos pisces, hominemque sagacem

g Lib. 7. fol. 161. 28.
h Hist. lib 4. cap. i. de Part. lib. 4. cap. 9.
i Lib. 9. cap. 28.
k Lib. 12. cap. i.

Prostremò Athenæus quoq; id notauit inquiens, [g] *Sepia ubi quis eam insectetur, atramentum fundit & in eo occultatur, simulans fugere ulterius*. Et quemadmodũ astutè atramento, ita prudenter suis promuscidibus vtitur. Aristotele enim teste (vt supra quoque citauimus) [h] *Iis quoties* tempestates vrgent, ad saxa aliqua adhęrentes Sepię se veluti anchoris iactis stabiliunt. Quæ sic interpretatus est Plinius, [i] *Sepiæ & Loligini pedes duo ex his longissimi & asperi, quibus in fluctibus se uelut anchoris stabiliunt*; Sed quàm rectè in sequẽte historia excutiemus. Idem etiã testatum reliquit Aelianus his verbis, [k] *Sepiæ duabus sunt tanquam promuscidibus prædítæ, quibus ad saxa cum* est in mari tẽpestas adherescunt, & tanquam anchoris iactis firmatę, fluctuum incursionibus resistũt; post cum est trãquillitas, solutis promuscidibus rursus natãt; Non contemnendã scientiam *tenentes uitandi sanè tẽpestates atque ex periculis salutem conseruandi*. Quod sic Oppianus quoq; notauit. B

l Lib. 2. fol. 122. 26.

[l] Si tumidi magno tollantur in ęquore fluctus,
Hęrebit scopulis propriis deuincta flagellis,
Natiuos dura connectet caute rudentes.

m Hist. lib. 9. cap. 37
n Hist. lib. 4. cap. 8.

Cum Aristoteles dixisset, [m] *Sui etiam mutatione coloris uenatur pisces Polypus, trahit enim colorem similem ijs, quibus appropinquarit saxis; quod idem etiam cum metuerit facit*; Statim subiungit. *Sunt qui Sepiam quoque face*re hoc idem autument; Colorem nanque eam sibi contrahere similem loco, in quo versatur *cõfirmant*. Idem etiam prodidit, [n] *Eas odoratu præditas esse, & propterea odore escarum allectas capi*. Oppianus verò de Sepiæ piscatu hæc cecinit.

o Lib. 4. fol. 145. 41.

o Non fortunato cata Sepia carpitur igne,
Quę multa in pelago potuit vitare pericla,
Iam non lina fugit, non densi vimina septi,
Eliciunt illas, piscantes ęquore toto C
Feminęam appendunt pestem, ducuntque per ęstus;
Postquam è conspectu vaga fœmina tracta per ęquor
Cernitur à maribus, subitò amplectuntur amatam,
Atque volubilibus nodis spirisque rotati
Implicitam ramis stringunt, cupiuntque teneri.
Ac veluti virgo fratrem, mitemque parentem,
Qui longè à patria fuerant iam tempore longo
Incolumes cernens teneris complectitur vlnis.
Ac veluti nuper iuueni formosa puella,
Aurea quam vinclo vinxit Cytherea benigno
Arrepta ad thalamum sponsi complexibus hęret
Candida dilecto circundans brachia collo;
Inque rudi nodo consumit tempora noctis.
Sic istę implicitę veneris nec munera linquunt D
Tali connexę nodo, nec vincula soluunt;
Donec piscator capiat, cymbeque reponat;
Connexeque simul subeant crudelia fata.
Has etiam nassis capiunt sub tempore verno,
Nam curuum septum myrti de fronde coronant,
Et iungunt virides frondes, quas horrida gignit
Arbutus, atque aliis foliis hoc vimen opacant;
Cum coitum cupiant, & dulces soluere partus
In caueam properant, & strata fronde quiescunt,
Sic amor expletur misera cum morte proteruus.
Pisces in siccam clausi ducuntur arenam.


Postremò vt author est Aristoteles, [p] *Viuendi spacium Sepiæ breue est, nam exceptis paucis bimatum non* p Hist. lib. 5. cap. 18.
complent. Vnde & alibi dixit, [q] *Sepias etiam bimatu non uiuere apertum est*. Quod sic transcripsit Pli q Hist. lib. 9. cap. 37.
nius, [r] *neque Sepijs bimatu longior uita.* r Lib. 9. cap. 30.

VT SAPIAT, VT NVTRIAT, ET VT CONDIATVR

Neque sapida est Sepia, neque tenera; vnde nobiles, & qui gulæ indulgent, eam s Hist. lib. 8. cap. 30
aspernentes, pauperculis edendam derelinquũt. Vt tamen author est Aristoteles [s] *Non*
secus quàm & mollia alia præstat cum grauida est. Galeno teste. [t] *Reliquorum mollium instar duræ carnis est,* t Clas. 2 fol. 30. H.
E ad coquendum difficilis, exiguumque in se succum salsum continet; si tamen concoquatur ali-
mentum non paucum corpori exhibet; cæterùm succi crudi plurimum gignit. Quod Athenæus quoque cõpro
bat, sic scribẽs, [u] *Mollium genus ut Polyporum Sepiarum & similium carnem habet concoctu difficilem*. Diosco u Lib. 8. fol. 178. 19.
rides verò inquit [x] *Sepiæ decoctæ atramentum cum manditur ægrè concoquitur*. Si comedi Sepia debet, x Lib. 2. cap. 23.
elixanda potiùs quàm assanda est, vt Athenæus etiam admonet inquiens, [y] *Mollia meliora* y Lib. 8. fol. 178. 21.
sunt si elixentur; Sunt enim mali succi (vt cognoscitur dum lauantur, nam in lotione succos
malos demittunt) quem elixatio ex carne extrahit; nam molli igne atque humido abluuntur
quodammodo, cum in assatis succus exiccetur. Pręterea cum dura eorũ sit caro, iurè sic coqui
F *expostulant*. Vnde & apud eundem Athenæum Diphilus ait, [z] *Sepia elixa tenera efficitur, ori gra* z Lib. 8. fol. 177. 48.
ta, concoctu facilis, & aluum leuiter subducit; succus qui ex ea gignitur, sanguinem extenu
at, excretionemque per emorrohidas mouet. Et rursus apud eundem, [a] *Alexis in agricola inducit coquum sic de* a Lib. 7. fol. 161. 45.
Sepiarum coctione loquentem, Sepię quanti? drachmę vnius? ter; harum brachia atque pin
nas abscindens elixo, reliquum verò corpus cocidẽs in multa frusta, contritoque sale inspergẽs
simul cœnantibus in tegano feruentia accedens fero.

IN MEDICINIS VSVS.

Vt testatũ reliquit Dioscorides [b] *Sepiæ testa in collyrium formata palpebris scabris medetur. Ipsa uerò* b Lib. 2. cap. 28.
G cum sua testa cremata quàm diu tota absumatur, & in puluerem redacta vitiligines, furfures,
dentes, & cutis faciei vitia purgat. Lota medicamentis inseritur oculorum; albugines iumẽto-
rum illata flatu emendat; vngues in oculis orientes extenuat cum sale tusa & admota.
Plinius verò inquit [c] *oculorum tumorem ruborẽque Sepiæ cortex cum lacte mulieris illitus sedat, & per se scabricias* c Lib. 32. cap. 7.
emendat. Inuertunt itaque genas id agentes, & medicamentũ auferunt post paulum, rosaceo
que inungunt, & pane posito mitigant nocte. Eadem cortice & nyctalopes curatur in farinam
trita & ex aceto illita. Extrahit & squamas eius cinis; Cicatrices oculorum cum melle sanat,
pterigia cum sale & cadmia singulis drachmis; Emendat & albugines oculorum iumentorum.
Adijciunt & ossiculis eius genas si terantur, sanari. Et deinceps subiungit, [d] *Medetur & lentigini cæterisque* d Lib. 32. cap. 7.
faciei uitijs ex ossibus Sepiarum cinis. Et rursus alibi [e] *Extrahũt tela corpori inhærentia Sepiarum testæ ex aqua*. Vt e Lib. 32 cap. x.
H demum author est Galenus noster, [f] *Sepiarum testa admodum laxa est, non ut ostreorum lapidosa;* f Clas. 5. fol. 84. C.
itaque abstersio quidem illis cum aliis ostracodermorum testis communis est, velut etiam desic
catio. Cęterùm partium tenuitas eximia illi prę cęteris inest. Quo circa vsta ea vtimur ad vitili
gines, ephelim, lentes, psoras. Quin & fossili sali mixta in oculis existentes vngues eliquat.
Et antequam vratur dentibus splendorẽ adfert, vlceraque desiccat. Porrò hoc nomine, quòd
mediocrem obtinet asperitatem, adhibemus eam ad ingentes oculorum asperitates, quas sico
seis appellare consueuimus. Nam excalpentes ex ea quiddam ipsa figura simile collyrio, eo il-
las confricamus, donec sanguinem reddere incipiant; quo facto collyria catherica siue detrahẽ
tia præstantiùs effectum suum in illas exerunt. Postremò vt refert Plinius, [g] *Sepiæ atramento tanta uis est,* g Lib. 32. cap. x.
vt in lucerna addito Aethiopas videri ablato priore lumine, Anaxilaus tradat.


N.
G. Τευθίς.
L. Lolligo.
V. Calamaro.

HISTORIA QVINQVAGESIMA SEXTA.

DE LOLIGINE.

NOMEN.



SEXAGESIMVM primum animal nostrum aquatile, quod Romæ, ac tota ferè Italia (vel quòd ad scriptorum thecæ similitudinem accedat, vel quòd atramentum habeat) *Calamaro*, Ianuenses ac Massilienses *Totena*, Baionenses *Cornet* & *Corniche*, Galli *Casseron*, & Lusitani *Chocco* appellant; à Græcis τευθὶς, à nostris verò *Loligo*, & in carminibus *Lolligo* quoque dicitur. Vocatur autem authore M. Varr. [a] *Loligo quasi Voligo, quia uolat*, vt infra monstrabimus. Et cum præter τευθίδα, τεῦθος etiam tum ab Aristotele tum à plerisq; alijs græcis inter pisces connumeretur; etsi τευθὶς & τεῦθος magnitudine & rebus alijs (vt infra explicabimus) inter se differant, Plinius tamen Aristotelem transcribens vtrunque indifferenter *Loliginem* vertit. Theodorus verò Gaza in Aristotelis versione τευθίδα *Loliginem*, & τεῦθον *Lollium* interpretatur; cuius diligentiam vti laudamus, sic commonendum est, Loliginem latinum nomen esse, Lollium verò nouitiũ ab ipso Theodoro maioris distinctionis gratia confinctum. Appellatur præterea & diminutiuè à Plauto *Loligunculа*, inquit enim, [b] *Emitto Sepiolas lepidas, & Loligunculas ordeas.* A

a Lib.1.de lingua Lat.

b Cassina.

B

DESCRIPTIO.

Priusquam an τευθὶς & τεῦθος siue Loligo & Lollius specie, vel potius aliqua alia ratione inter se differant, explicemus; vtriusque trademus descriptionem. Adeo enim non solùm corporis figura, sed natura etiam atque actionibus consimiles sunt, vt vtrique vnam & eandem iurè dicauerimus historiam. Et ne vllus ambiguitati relinquatur locus, quæ communiter vtrique conueniunt, simpliciter sub Loliginis nomine recensebimus, Plinium imitati, qui (vt diximus) Loliginis nomine vtrunque appellat; quæ verò ad alterutrum spectant, peculiariter notabimus. Quòd verò ad picturam attinet, vna etiam sola icone, sexagesima scilicet prima, contenti fuimus; propterea quòd ex hac vna facillimè & clarissimè vtriusque cognosci possit forma; adeo inter se simillimæ sunt. C Loligo igitur ex mollium genere est, vt testatur Aristoteles dicens [c] *Aliud item animalium genus est molle, ut Loligines, ut Lollij, ut Sepiæ*; et Plinius inquiens [d] *Mollia sunt Loligo, Sepia, Polypus, & cætera eius generis*; atque Galenus scribens [e] *Mollium generis sunt Polypi, Sepiæ, Loligines, & alia quæ his sunt similia.* Est etiam exanguis, vti & reliqua mollia exanguia sunt. Quòd autem mollia sanguine careant, author est Aristoteles inquiens, [f] Ad hęc genus testa intectum est, quod ostreum siue concham appellamus; & crusta inclusum aliud, quod nomine vacat communi, vt Locustarum & Cancrorum & Gammarorum genera. Aliud item molle, vt Loligines, vt Lollii, vt Sepię. Adde genus insectũ. Quę omnia genera *sanguine carent*; D & alibi, [g] *nunc ordinem animalium, quæ sanguine carent, persequemur. Genera in hoc ordine* plura sunt, primum quę Mollia appellauimus, hoc est, quę sanguine carent, & foris carne molli *obducta, solidum intus modo sanguinei generis continent.* Idem cõprobat & Plinius sic Aristotelẽ trãscribens, [h] *Piscium quidã sanguine carẽt, de quibus dicemus; sunt autem tria genera; In primis quæ mollia appellãtur, deinde contecta crustis tenuibus, postremò testis conclusa duris.* In quo quidẽ loco haud rectè mollia pisces appellat Plinius, vti in communi mollium pertractatione, quam Polypi historiæ præposuimus, latiùs declaratur. Habet Loligo reliquorum mollium instar, caput inter pedes & ventrem. Vnde testatum reliquit Aristoteles, [i] *Euenit in mollibus sanè omnibus ut caput inter pedes & uentrem habeatur.* Quod Plinius quoque sic confirmat, [k] *Mollibus caput inter pe*

c Hist.lib.1.cap.6. li. 4.cap.1.
d Lib.9.cap.28.
e Clas.2.fol.30.H.
f Hist.lib.1.cap.6.
g Hist.lib.4.cap.1.
h Lib.9.cap.38.
Plinij lapsus.
i Hist.lib.4.cap.1.
k Lib.9.cap.28.

des & uentrem. In capitis parte superiore cæterorum molliũ modo, vt notauit Aristoteles [l] *Oculi sunt duo grandiusculi, quibus discrimen exigua quędam pręstat cartilago, continens cerebellum*. In inferiore verò os positũ est, [m] *in quo*, vt idem scribit, *dentes duo extant*. Qui quidẽ dentes cartilaginei sunt, nigri & incurui; superior vnus, inferior verò alter pyxidatim se committẽtes, ac psitaci auis rostrum egregiè repræsentãtes. Et eodẽ teste, [n] *Inest etiam in ore caro quędam exigua, qua vice linguę utitur; Lingua enim nullis hoc in genere data est*. Præterea non secus quàm & mollia reliqua, vt idem tradit Aristoteles, [o] *Pedes parti priori iunctos habet circa caput, infra oculos circa os & dentes; sed cum cętera animalia quibus pedes, aut parte priore posterioreque eos habeant, aut latere, vt ea quę multis pedibus muniuntur, & sanguine carent; Solum mollium genus pedes parte quam priorem in eo capimus, omnes continet. Cuius rei causa est, quòd pars eius posterior ad priorem adducta est, extremaque coeunt & confunduntur; quomodo turbinatis inter testata accidit. Genus enim testatum omnino partim crustatis, partim mollibus simile est; quà enim foris terrenam portionem, intus carneam habent, crustatis assimilantur; quà autem forma eiusmodi corporis constat, cum mollibus conuenit omne quodammodo, sed pręcipuè quę ex turbinatis cuniculo in anfractum contorquentur. Natura enim eorum utrorumque perinde se habet, quasi quis directa linea (vt in quadrupedum & hominum genere est) primùm extrema lineę parte superiore os positum intelligat, qua a, mox stomachum, qua b, tum ventrem, qua c, deinde intestinum vsque in ostium excrementi, qua d, hęc ita in sanguineo genere disposita sunt; & caput, pectusq́ue locum obtinent primum; reliqua eorum ipsorum gratia, aut motus causa à natura adiecta sunt; vt priora posterioraq́ue crura. In crustatis etiam insectisq́ue ordo interiorum eodem modo constare vult; sed officiis exteriorum motionum differt à sanguineo genere. At verò mollia & turbinata inter se quidem proximè constant; sed iis è conuerso; finis enim ad principium flectitur, quasi quis lineam flectendo adducat d, ad a. Cum ita partes interiores intus collocentur, ambit alueus, qui in Polypis tantùm caput vocatur; qualis in testato genere turbo est, nec aliud interest, nisi quòd alterius molle quod ambit est, alterius duro tegmine carnem natura complexa est; vt seruetur, cum difficulter moueatur. Hinc fit vt excrementum tam mollibus quàm turbinatis meatu ori vicino emittatur; quanquam mollibus infra, turbinatis à latere. Hac de causa pedes mollium ita positi sunt, & contra quàm cęterorum*. Sunt autem Loliginis pedes, reliquorum mollium instar, vt idem testatum reliquit Aristoteles, [p] *Octoni binis acetabulorum ordinibus, ductu perpetuo*. Qui quidem Loliginis pedes Sepiæ pedibus prorsus similes, Polypi verò pedibus aliquo modo absimiles sunt; Nam eodem authore [q] *Polypi crura prælonga, Sepiæ uerò & Loliginis breuia sunt*. Neque cur id euenerit, prætermittit; cum alibi inquiat, [r] *Sepijs & Loliginibus breues sunt pedes, Polypis magni; alueũ enim corporis Sepię & Loligines habent magnum, Polypi paruum; Itaque quod natura Polypis ex corpore dempserat, id in pedum longitudinem addidit, quod Sepiis & Loliginibus de pedibus abstulerat, eo corporis magnitudinem auxit*. Deinde vt idem testis est, [s] *Habent Sepiæ & Loligines pedes supra dentes senos exiguos, eorumq́ue nouissimos duos maiores, reliquos autem octonorum duos infra omnium maximos; vt enim quadrupedibus crura posteriora firmiora validioraq́ue sunt, ita iis quoque maximi qui infra habentur; his enim onus sustinetur, motusq́ue potissimúm agitur; duo etiam illi nouissimi maiores suis mediis sunt, quia illis ministrant. Polypus medios quatuor habet maximos*. Præter hos octones pedes, vt idem author est, [t] *Sepiæ Loligines & Lollii peculiares binas sortiuntur promuscides longas, acetabulo parte extima bino asperiusculas, quibus capiunt & ad ora admouent cibos, iis etiam quoties tempestates vrgent, ad saxa aliqua adhærentes se ueluti anchoris iactis stabiliunt*. His autem promuscidibus manifestissimè à Polypis differunt, nam eis Polypi carent. Et ne has promuscides temerè fabrefactas esse arbitraremur; idem scripsit, [u] *Cum itaque Sepiæ & Loligines pedes habeant breues atque inutiles, ne ęstu maris tempestateq́ue exturbentur saxis, ut quę de longinquo admoueant; ideo promuscides binas pręlongas habent, quibus veluti anchoris innitantur, seq́ue stabiliant modo nauigii, tempestate vrgente. Venentur etiam procul, oriq́ue è longinquo admoueant. Polypi promuscide carent, quoniam pedes ad usum eundem commodos habeant*. Differunt autem hæ promuscides à pedibus plurimùm; Primùm enim duplo maiores sunt; præterea & magis tere

Marginal notes:
l Hist.lib.4.cap.1.
m Ibidem.
n Ibidem.
o De part.lib.4. cap.9.
p Hist.lib.4.cap.1.
q Hist.lib.4.cap.1.
r De part.lib.4. cap.9.
s De part.lib.4. cap.9.
t Hist.lib.4.cap.1.
u De part.lib 4.ca.9.

tes, nam rotundiores cum ſint, in acutum vt pedes non deſinunt; Poſtremò cum pedes à capite vſque in extremum acetabulis inſtructi ſint, promuſcides in extrema tantùm parte acetabulos habent. Neque pedum promuſcidumúe mollium acetabula temerè & fruſtra facta eſſe à natura credendum; cum idem Ariſtoteles inquiat, [x] *Mollium pedibus acetabula cirramentaqúe adſunt; hęc vim contextumqúe talem habent, qualem implicamenta illa quibus digitos antiqui medici indere ſolebant; ita enim fibris implexa ſunt, quibus caruncülas, cęteraqúe cedentia trahant; quippe quę ſaxa prehendant, intenta premãt & retineant, cum pars interior tota contingat atque amplectatur. Itaque cum aliud non habeant, quo capere admouereqúe poſſint, niſi aut pedes aut promuſcides, hęc pro manibus obtinent ad uim tum inferendam, tum propulſandam, atque etiam ad cætera uitæ munera neceſſaria.* Et ſicuti pedes caput, ita etiam caput τὸ κύτος (alueus vertitur à Theodoro) ſequitur. Eſt autem κύτος ſiue alueus reliquum corporis, inferiori capitis parti annexum, interanea omnia cõplectens & continens. Vti mollia omnia alueum habent, ita eo inter ſe differunt. Nã vt Ariſtoteles notauit, [y] *Alueum corporis Sepiæ & Loligines habent magnum, Polypi paruum.* Et vt alibi dixit, [z] *Differunt Polypi à Sepia & Loligine, eò quòd alueus Polypi paruus, illis uerò amplus eſt. Ipſæ autem inter ſe diſcrepant quatenus Loligo longior, Sepia latior eſt.* Quæ quidem longitudo & latitudo maximè ad alueum ſpectat. Loliginis igitur alueus, qui alueo Polypi & Sepiæ longior & arctior atque rotundior eſt, pinnula circundatur. Qua quidem non ſolùm rurſus à Polypo & Sepia, ſed à Lollio etiam facillimè internoſcitur. Nam cum hi omnes alueum habeant vniuerſum continua pinna circundatum, Loliginis alueus latiore pinna & non totus circundatur, vt in icone noſtra ſexageſima prima conſpicitur, atque ab Ariſtotele proditur his verbis, [a] *Pinnulam mollia omnia habent circundantem alueum, quæ cum in cæteris tum in grandium Loliginum genere iuncta perpetuaqúe geſtatur; minores verò quas Loligines vocant, latiorem hanc habent, nec anguſtam vt Polypi & Sepię, neque circumactam per totum alueum, ſed de medio orſam.* Et rurſus alibi, [b] *Pinnulæ etiam circundantes, illæ totum in Lollio alueum ambiunt; cum in Loligine partem aliquam relinquant.* In quo priore citato Ariſtotelis loco cum græcè legatur τῶν μεγάλων τευθῶν, grandium Loliginum, pro grandium Lolliorum mendosè legi in Theodori verſione ſuſpicor. Poſtrema aluei pars, quæ retuſa eſt in Polypo & Sepia, in Loligine valde acuitur, in Lollio verò medio modo ſe habet, vnde iurè dixit Ariſtoteles, [c] *Pars enim Lollij quæ exit in acutum, latior eſt.* Poſtremò Loligo cæterorum mollium inſtar inter caput & alueum ſupina parte fiſtulam valde patulam habet. Sic autem externis Loliginis partibus declaratis; iam internas partes eius aggrediamur. Eodem igitur authore Ariſtotele, [d] *Stomachus ſiue gula ab ore prælonga Loligini* (reliquorum mollium modo) *eſt, quam ingluuies excipit, quomodo auibus; tum uenter coniungitur; & inteſtinum uentri annexum, ſimplex uſque ad exitum tendit.* Qualis autem inteſtini ductus ſit & exitus alibi declarat inquiens. [e] *Inteſtinum à uentre tenue partem repetens ſuperiorem ad os fertur, quod laxius quàm gula eſt.* Ventris etiam figuram explicat dicens, [f] *Sepijs & Polypis uenter ſimilis tum figura tum tactu eſt; At ijs quas Loligines appellamus, bina quidem conceptacula ventris ſpeciem gerunt, ſed alterum minus ingluuiem imitatur; & tactu diſcrepat; quoniam corpus etiam totum carne molliore conſtat.* Et ne hæc à natura temerè facta eſſe arbitraremur, ſtatim ſubiungit. *Habent mollia ita eas partes eadem cauſa, qua aues, neque enim eorum ullum poteſt commolere cibum, itaque ingluuies uentri præiacet.* Vt idẽ etiam teſtis eſt, [g] *Sepiæ & Loliginis uulua ita articulata eſt, ut bifida cernatur; cum Polypi uterus ſpecie rotunda conglobataque ſit.* Viſceribus caret Loligo, vt mollia reliqua, habet tamen vt illa μύτιν. Vnde & Ariſtoteles ſcribit, [h] *Viſcera mollium nullis, ſed habent quam mutem appellant.* Qua parte mutis conſiſtat declarat ipſe paulopoſt addens, *Mutis ergo ſub ore eſt, & gula per eam tendit.* Qualis autem pars mutis ſit, & cuius actionis gratia fabrefacta, clariſſimè ſic idem edocet, [i] Mollia & cruſtata habeant certè illud quoque oportet, quod ei parti proportionetur, cui ſentiendi principatus mandatus eſt. Hoc enim in omnibus animalibus ineſſe neceſſe eſt. Ergo mollibus, id membrana continetur humidum, per quod gula in uentrem pertendit, admota po

Marginalia: x De Part. Lib. 4. ca. 9. — y De part. lib. 4. ca. 9. — z Hiſt. lib. 4. cap. 1. — a De part. lib. 4. ca. 9. — b Hiſt. lib. 4. cap. 1. — Theodori locus caſtigatur. — c Hiſt. lib. 4. cap. 1. — d De part. lib. 4. ca. 5. Hiſt. lib. 4. cap. 1. — e Hiſt. lib. 4. cap. 1. — f De part. lib. 4. cap. 5 — g De Gene. lib. 3. ca. 8 — h Hiſt. lib. 4. cap. 1. — i De Part. lib. 4. cap. 5. — A — B — C — D

tius tergo, mutis id à nonnullis vocatur. Crustatis etiam tale quid alterum adiunctum est; quod & ipsum mutis nomine appellatur; humida corpulentaque ea pars est. Tendit per eam mediam, vt modò diximus, stomachus siue gula. nam si inter eam & tergus positus esset, distē di çquè non posset cibo ingrediente, propter dorsi duritiem. Partem hanc cordi proportionari, & situs ipse ostendit, cum idem sit; & dulcedo humoris, tanquam concocta & sanguinea quædam. Præterea Loligo, sicuti & mollia alia, θολὸν in se continet. Qui quidem θολὸς apposite admodum atramentum vocatur à Cicerone & Plinio (hic enim [k] *Atramentum pro sanguine est Sepijs*; ille verò [l] *Atramenti effusione Sepiæ se tutantur*, inquit) Nam vti iure à græcis θολὸς id est turbidus, ob atrum colorem dicitur; pari item ratione à nostris atramē
E tum vocatur. Locum verò, naturam, & vsum huius atramenti manifestissimè explicat Aristoteles. Nam quòd ad locum spectat, inquit, [m] *Mutis ergo sub ore est, & gula per eam tendit. At verò atramentum infra continetur, qua intestinum petere incipit superiora, foramenque suum eadem obuolutum habet membrana, qua intestinum; atque idem meatus emittendi atramenti excrementique est*. Et alibi, [n] *Habent quod atramentum uocatur tunica contentum membranea, exitum finemque habens, qua alui excrementa emittunt parte, quę fistula vocatur; quę in supinis posita est*. Et rursus etiam posteā, [o] *Intestinum à mute natura semouit, extraque posuit; & atramentum intestino annexuit, ut quamplurimùm distaret ab aditu, & pars sordida à nobili & principe procul haberetur*. Athenæus quoque [p] *Loliginis atramentum in uesica contineri*, asserit; De Polypo verò agens scribit, [q] *Habet autem appellatum atramentum in uocato μήκωνι, qui quidem μήκων supra uentrem collocatur, uti uesica quædam*. In
F quo quidem loco non ineptè atramenti vesicam μήκωνα appellat; cum ab Aristotele μήκων (siue papauer, vt vertit Theodorus) hæc eadem vesica excrementa continens, intestatorum genere vocetur. Scribit enim, [r] *Gula à uentre duplex longa porrigit se usque ad papauer*, quod postremum fundo commissum est. Quod autem gulę subiungitur, intestinum est, gulę ipsi continuum, simplexque ex toto, vsque ad exitum; cuius initium circa anfractum papaueris est, qua & laxius hęret. Quod enim papauer appellamus, quasi materia vacans, atq; ex*crementitia, magna sui parte in omnibus testaceis generibus inest*. Et paulopost, [s] *Quippe cum papauer illud, ut dictū iam est, excremētitium quiddam omnia membrana contentum sortiantur*. Et rursus alibi. [t] *Ori autem iungitur quasi* ingluuies auium, à qua stomachus est, quem excipit venter, in quo situm est quod papauer vocatur, mox intestinum continuum tendit simplex, originem à papauere illo ducens, omnibus *autem testaceis inest hoc excrementum*. Verùm cum μήκωνα, siue atramenti vesicam supra ventrē
G collocari dicat Athenæus; non solùm Aristoteli, sed rei etiam ipsi repugnat. Quando tum Aristoteles in proximè citatis locis, tum disectio ipsa, atramenti vesicam infra & non supra ventriculum consistere, luce clarius monstrent. Et propterea eodē in errore Plutarchum quoq; fuisse, manifestum est; Scribit enim de Sepia pertractās. [u] Vocatam enim vesicam ad collum habet plenam atro humore, quem atramentum vocant. Et licet omnia mollia infra ventrem atramenti vesicam habeant, non tamen omnia eodem loco eam continent. Nam eodem Aristotele teste, [x] *Habent atramentum Loligines & Polypi supra apud mutim potius positum, Sepia infra ad alueum*. Cur autem in Sepia inferiori loco illud consistat, in historia Sepiæ declaratum est. Quòd verò ad atramenti naturam attinet, sic scriptum reliquit Aristoteles, [y] *Fit in mollium genere atramentum, ut in auibus quod in excremen*
H *to album terrenum subsidet, quod vesica tamen caret; quantumque terrenum maximè sit, in atramentum secernitur*. Quibus verbis, mollium atramentum terreum excrementum esse testatur; vnde & paulò infra repetit, [z] *Natura hoc excremento ad præsidium & tutelam eorum utitur*. Quapropter Plinio dicenti, [a] *Atramentum pro sanguine est Sepijs*; & alibi; [b] *Sepiæ in mari sanguinis uicem atramentum obtinet*; haud assentiendum est; quando non vtilis, cuiusmodi est sanguis, sed excrementitius succus sit. Et licet Aristoteles mollia omnia θολὸν simpliciter habere dicat; Athenæus tamen sicuti de Polypo pertractans dixit, [c] ἔχει δὲ καὶ τὸν λεγόμενον θολὸν οὐ μέλανα, καθάπερ σηπία, ἀλλ' ὑπέρυθρον. hoc est, *habet autem atramentum non nigrum, ut Sepia; sed subrubeum*. Sic de Loligine loquens ait, [d] ἔχει δὲ καὶ θολὸν ἐν τῇ κύστει οὐ μέλανα, ἀλλ' ὠχρὸν. id est, *Habet autem & atramentum in uesica non nigrum, sed pallidum*. Cui subscribit & Oppianus

Marginal notes:
k Lib.9.cap.29.
l De Nat.Deo.2.190
m Hist.lib.4.cap.1.
n De part.lib.4.ca.5.
o De part.lib.4. cap. 5.
p Lib.7.fol.162 46.
q Lib.7.fol.158. 4.
r Hist.lib.4.cap.4.
s Ibidem.
t De part.lib.4. ca.5.
Athenæus notatur.
u In lib. vtra animalia.
x De part.lib.4.ca.5.
y De part.4.cap.5.
z Eodem cap.
Plinij lapsus.
a Lib 9.cap.29.
b Lib.xi.cap.3.
c Lib.7.fol.158.4.
d Lib.7.fol.162. 46.

e Lib.3.fol.32.23. græcè. inquiens [e] *τευθίδες, οὐδ᾽ ἄρα τῆσι μέλας θολὸς, ἀλλ᾽ ὑπέρυθος*. hoc eſt, *Loligines, quibus non nigrum atramentum ſed ſubrubeum*. Poſtremò de huiuſmodi atramenti emiſſione & vſu, ſic ſcribit f De part.Lib.4.ca.5. Ariſtoteles, [f] *Cum exanguia ſint mollia, & ob eam rem refrigerata & pauida, hinc, ut hominum nonnullis per metum funditur aluus, aut excrementum veſicę profluit; ſic iis accidit quidem neceſſariò ut metu perculſa effundantur. Sed natura hoc excremento ad præſidium & tutelam eorum abutitur.* Quomodo autem & quando hoc atramentum pro præſidio ei ſit, infra vbi de natura g Hiſt.lib.4.cap.1. & moribus agemus, explicabimus. Demum authore Ariſtotele, [g] *Sepiæ, Loligini & Lollio partes durę ac ſolidę intus per dorſum & corporis prona continentur; quas non eodem appellant nomine, ſed quod inſertum Sepijs eſt, Σήπιον Sepium uocant, quod Loliginibus ξίφος Gladiolum. Differunt enim quòd Sepium robuſtum latumq́ue eſt, inter ſpinam & os mediam præferens naturam, fungoſam intra ſe complectẽs & friabilem corpulentiam; Gladiolus arctior & cartilaginoſior eſt; forma etiam diſcrepant, pro alueorum modo quibus inſerta continentur.* A Huius gladioli vſum idem ſic edo h De part.lib.2.ca.8. cet. [h] *Habent mollia quod piſcium ſpinis proportionetur, ut Sepiæ quod Sepium uocant, Loligines gladiolum; Polypi nihil huiuſmodi habent, quòd eorum alueus breuior eſt; illorum procerior. Ideoq́ue vt directus inflexusque maneret, natura his adminiculis faciendum cenſuit.* Quòd verò Sepium craſſius ſit gladiolo, euenit quia Sepiæ ſubſtantia terreſtris magis eſt, vt Ariſtoteles declarat inquiens, i De part.lib.4.ca.5. [i] *Quòd plurimùm terreſtrę materię habeat Sepia, argumento Sepium eſt, quod tale tantũq́ue ſit; hoc enim Polypus caret, Loligo cartilagineoſum ac tenue gerit.* Et hæ ſunt tum externæ tum internæ Loliginis partes, quibus non ſolùm à Polypo & à Sepia, ſed à Lollio quoque facillimè internoſci poteſt, vt declarauimus. Mas enim Loligo à fœmina manifeſtè diſtinguitur; B Nam præter illud commune diſcrimen quo mollium omnium mares à ſuis k Hiſt.lib.4.cap.1. fœminis differunt, cuius ſic meminit Ariſtoteles, [k] *Differunt fœminæ à maribus, quia in mare meatus ille ſubditus gulę à cerebello in ima aluei pertendit, idq́ue ipſum ad quod fertur, ſpeciem* l Hiſt.lib.5.cap.18. *mammæ imitatur; in fœmina duplex idem illud, ſupraque habetur.* Vt idem tradit, [l] *Inter Loliginem marem & fœminam hoc intereſt, quòd fœmina inteſtina continet duo, veluti mammas, quę ſi aluo diſſecta inſpectes, facilè uideris; mas omnino ijs caret.* Loligines cum ſubalbidæ ſint, earum pleriſque tergus ex albo leuiter purpuraſcit. Ad multam molem non augentur, bicubitalem m Hiſt.lib.4.cap.1. enim menſuram perrarò attingunt. Ariſtotele verò teſte [m] *Grandiores ſunt Lollij, quippe qui* n Lib.9.cap.30. *uel in cubita quinque excreſcant.* Quod cum ſic tranſcribat Plinius, [n] *In noſtro mari Loligines quinum cubitorum capiuntur*, Ariſtotelis *τευθὸν* Loliginem vertit, non ſecus quàm & *τευθίδα*, vt ſupra notauimus. C

LOLIGINIS ET LOLLII DIFFERENTIA.

τευθὸν (cuius ſolus Ariſtoteles, & Athenæus Ariſtotelis authoritate meminit) *ἀπὸ τῆς τευθίδος* differre, clarè ſatis patet ex dictis Ariſtotelis; ſed qualis hæc ſit differentia o Hiſt.lib.4.cap.1. haud facile eſt explicatu. Athenæus enim cum apud Ariſtotelem legiſſet, [o] *Loligine uerò longè grandior qui Lollius nominatur; quippe qui vel in cubita quinque excreſcat*, D arbitratus non niſi magnitudine Loliginem & Lollium inter ſe differre, poſtquam p Lib.7.fol.162.47. quædam de Loligine ſcripſit, ſubiunxit, [p] *ὁ δὲ τευθὸς μόνῳ τούτῳ διαφέρει τὸ μεγέθει, γίνεται δὲ καὶ τριῶν σπιθαμῶν*, hoc eſt *Lollius autem ſola differt magnitudine; excreſcit nanque ad tres palmos*. ſed aud ei aſſentiendum eſt; cum idem Ariſtoteles non ſolùm Lollios etiam paruos reperiri te- q Hiſt.lib.4.cap.1. ſtetur inquiens, [q] *ἔστι δὲ τὸ γένος ὀλίγων τῶν τευθῶν*, id eſt, *Eſt autem genus paruorum Lolliorum* (& propterea non ſemper à Lollijs Loligines magnitudine ſuperari aſſerendum) ſed eos r Ibidem. à Loliginibus figura quoqꝫ differre apertè aſſeueret, ſtatim ſubiungens, [r] *Et facie quoque* s Ibidem. *à Loliginibus diſſidens.* Et ne abſque ratione id dixiſſe videatur; illico addidit, [s] *Pars enim Lollij*

Athenæi opinio reprobatur.

quę exit in acutum, latior eſt; Pinnulę etiam circundantes, illę totum in Lollio alueum ambiunt, *cum in Loligine partem aliquam relinquant*. Et rurſus alio etiam loco dixit, [t] *Pinnula cum in cæteris mollibus, tum in grandium Lolliorum genere iuncta perpetuaqúe geſtatur, minores verò, quas Loligines vocant, non circumactam per totum alueum, ſed de medio orſam habent*. Ex quibus luce clarius conſtat, præter magnitudinem, corporis etiam forma Lolliũ à Loligine ſeparari. Et propterea quidam alij ſexu eos diſtinxere, Lollium marem, Loliginem verò fœminam eſſe dicentes; ea (vti arbitror) ratione perſuaſi, quòd & in pleriſque alijs animalium generibus marem magnitudine, atque aliqua formæ varietate à fœmina internoſci videant. Quæ quidem opinio etſi probabilis ſatis videatur, non tamen ei ſubſcribendum eſt. Quando præter id, quòd non minus in aliquibus Lollijs, quàm in quibuſdam Loliginibus oua reperiuntur; illud etiam diſcrimen, quo fœminam Loliginem à mare diſcerni ſcribit Ariſtoteles (fœminam ſcilicet inteſtina duo continere, veluti mammas, quæ ſi aluo diſſecta inſpectes facilè videris, marem verò ijs omnino carere) æquè in Lolliorum, atque in Loliginum genere obſeruatur. Quapropter nos eos ſpecie diſtingui, ſpecieſque inter ſe valde proximas eſſe cenſemus; vti in ſimiarum, in canum, atque in quorundam aliorum animalium generibus diuerſas ſed admodum propinquas ſpecies eſſe videmus.

t De part.lib.4,ca,9.

Quorundã opinio reprobatur.

E

LOCVS.

F Loligo marina eſt, nec vſquam in dulci aqua naſci, fluminaúe è mari ſubire conſpicitur. Et licet reliqua mollia litoralia ſint, Loligo tamen eſt pelagica, vt author eſt Ariſtoteles his verbis, [u] *Loligo, ſola ex ijs gaudet alto, vitamque pelagicam agit*. Et vti Loligo, ita etiam & Lollius pelagum & non litora incolit, vt idem teſtis eſt inquiens, [x] *Pelagius tamen Lollius non alio modo quàm Loligo conſiſtit*. Eſt in omni ferè mari Loligo ſatis frequens & valde nota.

u De part.lib.4.ca.5.
x Hiſt.lib.4.cap.1.

COITVS ET PARTVS.

De Loliginis coitu hæc ſcribit Ariſtoteles, [y] τὰ δὲ μαλάκια, οἷον οἱ πολύποδες, καὶ σηπίαι, καὶ τευθίδες τὸν αὐτὸν τρόπον πάντα πλησιάζουσιν ἀλλήλοις. κατὰ στόμα γὰρ συμπλέκονται, τὰς πλεκτάνας πρὸς τὰς πλεκτάνας συναρμόττοντες. hoc eſt, *Mollia autem ut Polypi, & Sepiæ & Loligines eodem modo* applicant ſe adinuicem, ore nanque hęrentes & brachia brachiis coaptantes. Et non vt vertit Theodorus, *Mollia ut Polypi, Sepiæ, Loligines modo eodem coeunt, oribus enim inuicem admotis complexuque mutuo brachiorum libidinem explent*; quando neque ita ſonent græca verba, neque in his coitum, ſed complicationem ſolùm, qua mollia vtuntur dum coeunt, generaliter explicet Ariſtoteles. Et propterea cum ſtatim poſt prædicta verba, modum coitus Polypi declaraſſet; Sepiæ etiam & Loliginis coeundi rationem edocet ſubiungens, [z] *Sepiæ ac Loligines ora applicantes, & brachia inter ſe componentes, natanteſque in aduerſum, coeunt*; narem etiam dictam in narem inſerunt, natatus alteri retrorſum, alteri anteuerſus in os agitur. Pariunt ea ſui corporis parte, quę fiſtula dicitur; qua coire eas nonnulli arbitrantur.

y Hiſt.lib.5.cap.6.

G

Theodorus notatur.

z Ibidem.

H Parit Loligo vti & reliqua mollia verno tempore. Et vt author eſt Ariſtoteles, [a] *Loligines in alto pariunt; conſertum ijs quoque ouum, quale Sepijs eſt*. Quam ob rem pleraque alia, quæ de Sepiarum ouis in ſuperiore ſcripſimus hiſtoria, legere poteris; nam vtriſque conueniunt.

a Hiſt.lib.5.cap.18.

NATVRA ET MORES.

Loligo & pedibus, & pinnis, vti & mollia reliqua, natat. Vnde ſcripſit Ariſtoteles, [b] *Mollia tum pedibus ipſis, tum pinnis natant, ut Sepia, Loligo, Polypus*. Et alibi, [c] *Sepiæ, Loligines*,

b Hiſt.lib.1.cap.6.
c Hiſt.lib.4.cap.1.

et Lollij pinnulis, quibus alueum circũdari diximus, natant. Et licet Polypus, vt in hiſtoria eius diximus,
ambulare poſſit; ambulandi tamen poteſtatem Loligo non habet, vti neque Sepia.
d Hiſt.lib.4.cap.1. Quod cum non lateret Ariſtotelem, teſtatum reliquit, [d] *Sepijs, & Loliginibus crura breuia ſunt*
e De part.lib.4.ca.9. *ita ut poteſtas nulla ſit ingrediendi*; & alio loco, [e] *Sepiæ & Loligines non ſimili ut Polypi modo conſtant; quoniam,*
f Ibidem. *uim nandi tantummodo habent; cum Polypi uel ingredi poſſint*. Et rurſus paulopoſt, [f] *Polypis pedes non ſolùm*
ad nandum vtiles ſunt, ſed etiam ad ambulandum; Sepiis verò & Loliginibus ad ambulandũ
inutiles. Sed cum ingredi Loligo nequeat, tamen (quod neque Polypo neque Sepiæ li
g Lib.9.cap.29. lib.32.cap.xi. cet) volare poteſt; vt author eſt Plinius inquiens, [g] *Loligo etiam uolitat, extra aquam ſe efferens*.
Idem comprobat & Oppianus his verſibus,

h Lib 1.fol.113.53.

[h] Loligo, Miluuſque rapax, & mitis Hirundo
Cum timeant magnum venientem è marmore piſcem, A
Ex mare proſiliunt ſcindentes aera branchis.
Non volucrum ſpecies, non eſt Loligo natantum;
Turmatim fertur ponto, geſtitque volare.
Inferius multò ſe tollit mitis Hirundo.
At radunt ſummam Milui lati æquoris vndam;
Hos nanti ſimiles dices, ſimileſque volanti.

Mirum profectò eſt, quod præterea de Loliginum volatu ſcribit Plinius, inquit enim,
i Lib.32.cap.2. [i] Trebius Niger Loligines euolare ex aqua tradit, tanta multitudine vt nauigia demergant.
k Lib.18.cap.35. Poſtremò vt idem teſtatur Plinius, [k] *Loligo uolitans, Conchæ adhæreſcentes, Echini affigentes ſeſe, aut*
l Lib.7.fol.162.43. *arena ſaburrentes, tempeſtatis ſigna ſunt*. Athenæus ſcribit, [l] *Ariſtotelem dicere* τευθίδα *Loliginem eſſe grega*
lem. Qui tamen Ariſtoteles non τευθίδα ſed τευθόν inter gregales piſces connumerat B
m Hiſt.lib.9.caP.2. dicens, [m] *Gregales denique ſunt Thunni, Aleces, Gobiones, Vocæ, Lacerti, Coruuli ſiue Graculi, Dentices, Mulli,* Athenæus notatur
Malleoli, Elegini, Sacri, Ariſtulę, Sargiaci, Lollii, Papaueres, Iulię, Limarię, Scombri,
Monedulæ. Plinius quoque & Oppianus Loligines gregales eſſe teſtantur; cum eas (vt
paulò ante citauimus) hic, turmatim põto ferri; ille verò, tanta multitudine ex aqua
euolare, vt nauigia demergant, ſcribat. Carne veſcitur Loligo non ſecus quàm &
n Hiſt.lib.8.cap.2. mollia reliqua, nam vt author eſt Ariſtoteles, [n] *Mollia carniuora omnia ſunt*. Mandit non ſo
lùm minores Squillas, Cancellos, atque minutos piſciculos, ſed & piſces maio-
o Hiſt.lib.8.cap.2. res, vt idem Ariſtoteles aſſerit, inquiens, [o] *In mollium genere Loligines atque Sepiæ piſces*
maiores euincunt. Eos autem promuſcidibus ſuis capiunt, vt de Sepia is teſtatum reli- C
p Hiſt.lib.9.cap.37. quit his verbis, [p] *Venatur Sepia ſuis illis prælongis prætenturis non ſolùm piſciculos, ſed Mugiles etiam ſæpius*.
q Lib.9.cap.28. Plinius verò poſtquam de Loliginis & Sepiæ promuſcidibus (vt paulò infra citabi-
mus) pertractaſſet, ſubiungens, [q] *Cæteri cirri, quibus uenantur*; vti pedes ſiue brachia Se-
piæ & Loliginis, hoc loco cirros vocat, ita eis & non promuſcidibus eas vena-
ri aſſeuerat. Eiſdem promuſcidibus in uitanda etiam tempeſtate vtitur Loligo,
r Hiſt.lib.4.cap.1. De part.lib.4.ca.9. vt Ariſtoteles edocet dicens, [r] *Iis etiam quoties tempeſtates urgent, ad ſaxa aliqua adhærentes Loli-*
gines & Sepiæ ſe ueluti anchoris iactis ſtabiliunt. Quæ cum ita tranſcribantur à Plinio,
s Lib.9.cap.28. [s] Pediculi octoni mollibus omnibus; Sepię & Loligini pedes duo ex his longiſſimi & aſperi, qui
bus ad ora admouent cibos, & in fluctibus ſe ueluti anchoris ſtabiliunt. Vti haud rectè promuſcides pe- D
des ſiue pediculos appellat, ita perperam eas ex octonorum pediculorum numero eſ In Plinium animaduerſio.
ſe ſcribit; cum præter octonos pedes (vt ſupra explicauimus) binas ipſas promuſci-
des habeant. Quòd Loligo ſuis promuſcidibus in eum vſum vtatur, Aelianus etiam
t Lib.12.cap.1. confirmat ſcribens, [t] *Loligines & Sepiæ duabus ſunt tanquam promuſcidibus præditæ, quibus ad ſaxa cum eſt*
in mari tempeſtas, adhęreſcunt, & tanquam anchoris iactis firmatę fluctuum incurſionibus re-
ſiſtunt. Poſt cum eſt tranquillitas, ſolutis promuſcidibus rurſus natant. Non contemnen-
dam ſcientiam tenentes vitandi ſanè tempeſtates, atque ex periculis ſalutem conſeruandi.
Cum atramentum Loligo inſtar aliorum mollium (vt ſupra declarauimus) habeat,

quod ceu excrementitium in timore effundit; Vt Aristoteles docuit, [u] *Natura hoc excremẽto ad præsidium & tutelam eorum abutitur*. Vnde & paulò ante dixerat, [x] *Habent etiam præsidij salutisq; grata quod atramentum uocatur*. Explicaturus autem quomodo se mollia suo atramento tueantur, subiungit, [y] *Quoties enim metu perterrentur, hoc effuso humore aquam infuscant, sibique nigrorem septum proponunt, & turbulentiam quasi quo se abscondant*. Et ne semel tantùm hoc præsidio ea vti posse arbitraremur, scribit alibi, [z] *Polypus atque Loligo atramentum pro metu mittunt; sed accrescit denuò postquam miserunt, ut nunquam copia desit atramenti*. Huius præterea tutelæ Plutarchus quoque grauissimus certè author mentionem fecit; vt pro sua singulari humanitate me admonuit ILLVSTRISS. VITELLOTIVS Cardinalis Vitellius, quem honoris, amplitudinisque causa nomino, vir non solùm omnium bonarum literarum, verùm etiam omnium literatorũ studiosus, ac fautor; qui nullum temporis punctum vacuum præterire patitur; sed quantũ illi à publicis, ac senatorijs occupationibus vacat, in quibus supra ætatẽ vltra quàm dici, aut existimari possit distinetur, tantũ aut in perscrutandis reconditarum, atque interiorum disciplinarum monimentis; aut virtute, ac doctrina insignium virorum colloquijs summa cum animi iucunditate ac tranquillitate consumit. Sed vt ad Plutarchum reuertamur, de Sepia enim loquens inquit [a] Sepia igitur vesicam atro humore, quem atramentum vocant, plenam in collo habens, cum capi timet, hunc effundens mari circum obscurato, ac tenebris obortis, abdere se atque piscantis visum *subterfugere studet*, Homeri Deos imitata; qui eos, quos seruari volunt, atra septos nubecula è belli periculo subducunt atque clam eripiunt. Horatius verò scribens,

E

VITELLOTIVS Cardinalis Vitellius.

u De part. lib. 4. ca. 5

x Eodem cap.

y Eodem cap.

z Hist. lib. 9. cap. 37.

a In lib. vtra animalia.

F

> [b] Hic nigrę succus est Loliginis, hęc est
> Aerugo mera.

b Serm. 1. Saty. 4. 21

Ex Loliginis succo liuorem mentis, ex ærugine venenum intellexisse creditur. Postremò longæua non est Loligo, vt testatur Aristoteles dicens. [c] *Viuendi spacium tam Sepiæ quàm Loligini breue, nam exceptis paucis, bimatum non complent*. Vnde & Plinius dixit, [d] *Neque his bimatu longior uita*.

c Hist. lib 5. cap 18.

d Lib. 9. cap. 30.

VT NVTRIAT, VT SAPIAT, ET VT CONDIATVR.

G

Loligo sicuti & cætera mollia, authore Galeno, [e] *duram carnem habet, concoctu difficilem, exiguumqúe in se succum salsum continentem; quę tamen si concoquatur, haud paucum nutrimentum corpori exhibet; cæterum succi crudi plurimum gignit*. Cui Athenæus quoque assentitur inquiens, [f] *Mollium genus ut Polyporum Sepiarum & similium carnem habet concoctu difficilem*. Loligo tamen multò minus dura est quàm reliqua mollia. Quod Diphilus etiam apud Athenæum animaduertisse videtur; cum dicat, [g] *Loligo concoctu facilior est quàm Sepia*. Apud veteres sapore celebrari Loliginem non reperio, sed vilem potius habitam esse; vt conijcere possumus ex Aristophane dicente, [h] *Quem Loligine quoque egere uideam*. Hodie verò minores, quippe quæ satis teneræ, & admodum sapidæ sunt; vti nusquam contemnuntur, sic locis plerisque habentur in delitijs. Varijs autem modis apparantur. Sunt enim qui farina conspersas & in sartagine frixas, atq; arancij mali succo irroratas mandant; Verùm cũ vti scribit Athenæus, [i] *Mollia meliora sint si elixentur, eò quòd malum succum, quẽ habent, in elixatione deponant; & propterea quòd sic coqui iure expostulent cũ dura sint*. rectius multò alij eas in aqua & vino partibus æqualibus elixant, atque oleo pipere & benè olentibus oleribus condiunt; id summopere animaduertentes, vt cum suo atramento coquantur; quando sine eo apparatæ minus suaues esse soleant. Apud Athenæum, [k] *Alexis in Eretrico coquum inducit hęc dicentem*, Loligines abscissis pinnis, pinguedinis tantillo admixto, & aromatibus *recentibus atque præstantioribus aspersis apparaui*. Aristotele teste, vti & mollia reliqua, [l] *Loligines præstantiores sunt cum uterum gerunt*.

e Clas. 2 fol. 30. H

f Lib. 8. fol. 178. 19.

g Lib. 8. fol. 177. 49.


h ἐν ἀχαρνεῦσι.

H

i Lib. 8. fol. 178. 21.

k Lib. 7. fol. 162. 52.

l Hist. lib. 8. cap. 30.


N. G. Χρύσοφρυς.
L. Aurata.
V. Orata.

HISTORIA QVINQVAGESIMA SEPTIMA.

DE AVRATA.

NOMEN.



SEXAGESIMVS secundus piscis, quem *Orata* Romæ, *Ora* Venetijs, & *Dorade* in Hispania vocant; & cuius apud Gallos propria non habetur nomenclatura, nam qui ab eis *Doree* dicitur piscis; non is, sed alius noster septuagesimus quintus est, vt in historia septuagesima docebimus; Græcè χρύσοφρυς, [a] *Ab Ephesijsque teste Archestrato,* ἰωνίσκος *appellatur; Diciturque* χρύσοφρυς ab aureis supercilijs, quæ (vt infra monstrabimus) habet. Vnde & apud Athenæum [b] *Callimachus hunc piscem uocat* χρύσοφρυν, ἢ μᾶλλον χρύσειον ἐν ὀφρύσιν, hoc est *Auratam, uel potius aureum supercilijs.* Quamobrem cum ab Ouidio [c] *Chrysophrys Auri imitata decus,* dicatur, de aureis supercilijs; cum verò ab Oppiano [d] *à splendoris nomine censeatur dici,* de aureo superciliorum splendore, intelligendum est. A Latinis verò ob aurea etiam supercilia, *Aurata; &* [e] *ab oro, sic enim aurum appellabant Rustici, Orata;* atque ab Ouidio [f] *Chrysophrys etiam* vocatur. Quem locum cum citet Plinius, [g] in eoque mendosè legatur, *aureique coloris Chryson,* chrysophrys restitui debet. A

a Athe. Lib. 7. fol. 163 44.
b. Lib. 7. fol. 142. 51.
c In frag. fol. 37. 4
d Lib. 1. fol. 109. 32.
e Festus
f In frag. fol. 37. 4.
g Hist. lib. 1. cap. 5.
Plinij locus corrigitur.

DESCRIPTIO. B

Aurata cum dorso satis repando sit, lateribusque valde compressis, latiuscula potius quàm longa eius redditur figura. Rostrum breue & retusum habet, os mediocre, labra crassa, dentes anteriores oblongos rotūdiusculos atque serratos, internas verò vtriusque maxillæ partes plurimis osseis tuberculis duris atque inæqualibus munitas. Oculi grandiusculi sunt, & branchiæ vtrinq; quaternæ; [h] *Pinnæque etiam binæ;* quarum duæ minores sub ventre, reliquæ verò duæ, & longiores ad branchias sunt, vtrinque scilicet vna. In dorso præterea pinna vnica, per eum ferè totum continua, anteriore parte plurimis acutisque aculeis munita, reliqua verò obtusa, aculeisque carens erigitur; alteraque multò minor imo ventri ab ano subest, duobus tribusúe tā tum aculeis armata. Cauda lunata est. Squamis tegitur latiusculis. Partibus omnibus haud concolor apparet; lacteus enim est venter; argentum latera æmulantur; dorsum ex glauco nigricat; partes verò oculis superiores, quæ supercilia in alijs animā tibus vocantur, aureo colore splendent; & vel maximè cum ea magis excreuerit, nā in recens ortis atque minoribus haud æquè manifestè hæ partes aureo colore nitent. Ex quo aureo nitore (vt diximus) græcum nomen duxit. Extrema præterea brāchiarum operculi pars purpureo partim, partim verò nigro insignita est colore. Ventriculum amplum habet, [i] *cum paucis appendicibus;* intestina etiam ampla, in orbem circumducta, pinguedineque conuoluta; iecur magnum & pallidum, cui fellis vesica hæret; splenem verò subatrum; nigro omnia peritonæo contenta. Ad denas libras cum maximè adoleuerit, vix peruenit vnquam. Postremò cum in Athenæo legatur, [k] τῷ δὲ μελανούρῳ ἀναλογεῖ ὁ χρύσοφρυς, hoc est *cum Melanuro proportionem habet Aurata,* ad corporis etiam figuram, qua haud absimiles sunt, ea referenda est proportio. C D

h Hist. lib. 1. cap. 5.
i Hist. lib. 2. cap. 17.
k Lib. 8. fol. 177. 19.

LOCVS ET PARTVS.

Marinus piscis est Aurata; & ex eorum numero qui circa litora victitant, vti & Aristoteles testatur [l] *Eam inter litorales pisces connumerans,* atque Oppianus his versibus,

l Hist. lib. 8. cap. 13.

m Cautibus & bibula multi pascuntur arena
Auratę fuluę, splendoris nomine dictę. m Lib.1.fol.109 31.

Ouidius tamen & Columella non litoralem, sed pelagium piscem eam faciunt, hic inquiens [n] *At arenosi gurgites planos quidem non pessimè, sed pelagios melius pascunt, ut Auratas & Dentices*; ille verò [o] *piscibus qui pelago gaudent, eam adnumerans*. Sed cum experientia & diuturna piscatorũ obseruatio Aristotelis atque Oppiani confirmet opinionem (vt in historia trigesima nona Dentici dicata diximus) his potiusquàm Columellæ & Ouidio subscribendum est. Nec in mari solùm aut marinis litoribus, sed in marinis etiam stagnis hic piscis reperitur. Quod Aristoteles quoque comprobat dicens, [p] *In maritimis etiam Lacubus genera plura piscium marinorum gigni apertum est, vt Salpam, Auratam, Mullum, & alios ferè plurimos*. Quinimo dulcem etiam aquã tolerat, vt author est Columella inquiens [q] *Sed etiam quos rerum natura lacus fecerat, conuectis marinis seminibus replebant; inde Velinus, inde etiam Sabatinus, & item Vulsinensis, & Ciminus Lupos Auratasque procrearunt, ac si qua sint alia piscium genera dulcis undæ tolerantia*. Aristotelis testimonio, [r] *æstate parit*; & circa fluuiorum ostia, vt idem tradit, dicens, [s] *Mugiles, Auratæ, Lupi iis maximè edunt, qua flumina in mare exeunt*. Quod & [t] Athenæus, Aristotele citato, confirmat.

n Lib.8 cap.16.
o In frag.fol.37.4.
In Columellã & Ouidium animaduersio.
A
p Hist.lib.8.cap.13.
q Lib.8.caP.16.
r Hist.lib.6.cap.17.
s Hist.lib.5.cap.x.
t Lib.7.fol.163.42.

NATVRA, ET MORES.

B Aestate latet Aurata, vt Aristoteles etiam edocet, scribens, [u] *Sed piscium nonnulli æstate etiam latent, vt Glaucus, hic enim per id tempus se abdit circiter dies sexaginta; Asellus etiã latet, & Aurata plurimum temporis*. Quod & Plinius ex eo his verbis transcripsit, [x] *Quidam rursus ęstus impatientia, mediis feruoribus sexagenis diebus latent, vt Glaucus, Aselli, Auratę*. Nec solùm æstatis feruore læditur, vnde eo tempore se abdere consueuit; sed prægelidam etiam sentit hyemem; quamobrem Aristotele teste [y] *Aurata quoque hyeme laborat*, Et vt idem tradit, [z] *Interdiu ita aliquando dormit, ut fuscina capi possit, alioquin fuscina capi non posse existimatur*. Vt verò testatum reliquit Aelianus, [a] *Aurata omnium piscium timidissimus est, nam sub arcturi tempus, cum maris accessus & recessus maximè fiunt, & eo altius exaggerata arena ad litus relinquitur, vt naues sępe ex omnibus aquis nudę in terra iaceant; Tum piscatores postquam arborum ramos frondibus conuestitos paxillorum modo in mucronem acutos in arenam defixere, discendunt. Post autem rursus accedens mare secum imbellem Auratarum multitudinem attrahit. Quę vbi ęstus reciprocauit & recessit, in exigua aqua concauis locis retenta relinquuntur, & vero ramorum metu quiescunt. Adeo nimirum ramos vento agitatos exhorrent, vt ne loco quidem se commouere audeant. Quamobrem primo cuique magnum meticulosorum piscium numerum capere & ferire licet; Neq; modo ab vsu piscandi instructi, sed etiam totius piscationis rudes, atque adeo pueri & fœminæ capere possunt*. Oppiani testimonio, [b] *Menide capi solet Aurata*. Carne sola vescitur; Vnde ab Aristotele, [c] *Inter pisces qui carniuori tantùm sunt recensetur*. Referente autem Athenæo, [d] *Callimachus in Galatea, Auratam sacrum piscem esse asserit*. atque apud eundem, [e] *Archippo in libro de piscibus authore, Veneri dicatur*.

u Hist.lib.8.cap.19.
x Lib.9.cap.16.
y Hist.lib.8.cap.9.
z Hist.lib.4.cap.x.
a Lib.xi.cap.33.
C
b Lib.3.fol.135.9.
c Hist.lib.8.cap.2.
d Lib.7.fol.142.51.
e Lib.7.fol.163.40.
D

VT SAPIAT.

Communi nostræ ætatis consensu nobilissimus piscis censetur Aurata. Quam ob rem Marianus quidam homo facetus & perridiculus, qui Leonis. x. Pontificis conuiuiis frequẽtissimè intererat, cum pisces apponi videret, arrepta semper Aurata, sibique penè adiudicata, facetè dicere solitus erat, Orate pro nobis. Nec certè minoris apud veteres existimationis fuit; [f] M. enim Varr. & [g] Columella authoribus, *Sergius Romanus patritius luxuriosa huius piscis ęstimatione, Aurata cognomento uocatus est*. Et vt prodit Athenæus, [h] *Hicesius piscem hunc omnium suauissimum orique gratissimum esse ait*. Apud eun

f Lib.3.cap.3.
g Lib.8.cap.16.
h Lib.7.fol.163.40.

i Lib.7.fol.163.43. dem, Lupis præferri Aurata videtur, Eupolis testimonio dicentis, [i] *Drachmis centum pisces emptos, solùm octo Lupos, Auratas duodecim*. Verùm non omnes æquè tanti faciendæ sunt, vt author est Martialis his versibus,

k Lib.13.90. [k] Non omnis laudem pretiumque Aurata meretur,
Sed cui solus erit Concha Lucrina cibus.

l Lib.7.fol.163.44. Athenæo autem referente, Archestratus Ephesiam Auratam celebrat, inquiens, [l] *Auratam ex Epheso pinguem ne prætermittas*. Nos verò hyeme, & in mari captam, ijs quæ in marinis stagnis, & alijs anni temporibus capiuntur, præferendam censemus;

VT NVTRIAT, ET QVIBVS MEDEATVR.

m lib.8.fol.178.9. A

n Lib.2.cap.18. o Lib.7.163.41. p Lib.8.fol.177.19. Vt testatum reliquit Athenæus, [m] *Mnesitheus Atheniensis Auratam difficilem concoctu esse, sed ubi concocta fuerit, multùm nutrire asseuerat*. Quod ægrè concoquatur, Cornelius etiam Celsus testari videtur, [n] *Inter duriores ipsos pisces eam connumerans*. Quòd verò multùm nutriat, apud Athenæum [o] *Hicesius quoque author est*. Et apud eundem [p] *Diphilus eam cum Melanuro proportionē habere dixit*, quæ proportio, etsi (vt supra diximus) ad figuræ etiam similitudinem referri possit; ex Diphili tamen sententia, ad nutriendi rationem referenda est; vt præcedentia eius & subsequentia verba clarè monstrant. Boni etiã succi est, vnde ea tutò vesci possunt, quibus ventriculus imbecillior non est. Ex veteribus nullum pro sanandis præter naturam affectibus Aurata vsum esse legimus, præter vnum Plinium, qui scribit,

q Lib.32.cap.5. [q] Venenatum mel diximus vbi nasceretur; Auxilio est piscis Aurata in cibo.

V T C O N D I A T V R. B

Multifariam coqui & condiri solet. Elixatur enim in aqua & oleo, croco, aromatibus, vuis passis, & olentibus herbis iniectis; vel in aqua & vino, item in aqua & aceto, nullis alijs rebus additis. Assatur etiam sed crebra olei & aceti, aut olei & omphaci conspersione irrigata. Assa præterea, vel fricta, eo condimenti genere, quod vulgò amarinare dicimus, cuius parandi modum in historia vigesima tertia ex posuimus; parata non solùm probè sapit, sed in multos etiam dies seruari potest.


P. 63
N.
G.
L. Sparus.
V. Sparo.

HISTORIA QVINQVAGESIMA OCTAVA
DE SPARO

NOMEN.



SEXAGESIMVS tertius piſcis noſter, qui Romæ *ſparo*, & Ianuen-
ſes *Sparlo* appellant, Græcè Σπάρος, Latinè ab Ouidio *ſparulus*, & à Pli
nio *Sparus* vocatur. Iſidoróq; Hyſpalenſi authore, Sparus & latinũ
[a] lib.12.ca.6. nomen eſt, [a] *& à Lancea, Miſſili quòd eiuſdem figuræ ſit, dicitur* (Feſto.n. teſte,
Spara minimi generis ſunt iacula, à ſpargēdo dicta, quòd paſsim
[b] fol.1720.41. pugnando ſpargerentur) [b] Σπάρος verò ab Euſtathio *græcũ uocabulũ*
[c] lib.11.cap.32. *eſſe, à uerboque* Σπαίρειν *hoc eſt palpitare dici*, exiſtimatur. Cum autem [c] Aelia A
nus *Aſpargos piſces* habeat; Haud forſan ab re eſſet mēdoſum locum *Aeliani locus*
eſſe, Sparósq; corrigendum, ſuſpicari; Cum nemo vnquam præter eum Ασπάργον inter pi- *corrigendus*
ſces recenſuerit; Quòd ſi mendum abeſſe velimus; cum ea ſuis Aſpargis tribuat, quæ ex *uidetur.*
nullo authore Sparis debentur (vt procedente hiſtoria monſtrabimus) haud facilè iudica
tu eſt, num Ασπάργος eius, aliorũ Σπάρος ſit; Verùm cum Spari (et ſi aliorũ ferè omnium pi-
ſciũ meminerit) mentionē nullã fecerit, cumq; immediatè poſt Aſpargos, de Aurata per-
tractet, quæ (vt infra docebimus) Sparo ſimillima eſt, aliorum Sparos ab eo vocari Aſpar
gos iudicari poſſe videtur. Præterea cum apud Ariſt. Σπάρος non legatur; eius ῥυάς Sparus
eſſe creditur à nonnullis; Id haud quaquã ex eo coniectantibus, quòd illa eadem, quæ ſuis
Rhyadibus tribuit Ariſt. Sparis aſſcribant alii; Nam cum bis tantùm ῥυάδος meminerit, vno B
[d] Hiſt.li.4.ca.8 loco inquiens, [d] *Quinetiam Rhyades* (vel vt vertit Theodorus *Flutæ*) *quotiens uel piſcium lotura, uel nauis* *Aliquorum*
[e] Hiſt.lib.5.ca.11 *ſentina eiecta eſt, fugiunt ut odores ſentientes*, & alibi, [e] *Rhyades etiam* (vel interprete Theodoro Spargi) *opinio re-*
per æſtatem pariunt, Horum neutrum ab vllo ſcriptorum Sparis tribuitur; Sed Theodori potius *probatur.*
verſione deceptis; Is.n. græcæ voci alludens, vti Ariſt. ῥυάδας, priori loco Flutas interpre
tatus eſt (ſicuti nanq; à verbo ῥυέω id eſt fluo, Græcè ῥυάδας Ariſt. ita à verbo fluo flutas la
tinè eas vocauit Theodorus) Sic altero loco, eadem ratione, à verbo Spargo, Spargos, et
non (vt illi opinari videntur) à Spari piſcis nomine, eaſdem appellauit; Nec ſi Ariſt. Spari
nomine vſus non eſt, ob id, hunc piſcem noſtrum, Sparum ab aliis vocatũ, ῥυάδα ab eo ap
pellari contendendum eſt; Quando cum plures etiam alii ſunt piſces, quorum nulla apud
Ariſtotelem mentio habetur; eadem coniectura ſiue ratione, non ſolùm quemlibet alium C
Ariſtotelis piſcem nobis incognitum, Sparum exiſtimare, ſed eorũ etiam vnumquenque,
quos ab Ariſtotele nominatos eſſe neſcimus, eius ῥυάδα eſſe arbitrari poſſemus. Quemad-
modũ igitur Aeliani Ασπάργον, Σπάρον eſſe poſſe, non inficiamur; Sic Ariſtotelis ῥυάδας, Spar
gos non eſſe conſtanter aſſeueramus; Quos autem Piſces ῥυάδας eſſe cenſeamus, alibi ſu-
mus explicaturi.

DESCRIPTIO.

Et ſi Sparus ad paruæ Auratæ ſimilitudinem proximè adeo accedit, Vt Romæ perſæ-
pe pro Aurata vendatur; manifeſtè tamen ab ea internoſcitur; Nam licet numerus, ſitus,
atque figura pinnarum; Branchiæ, Oculi, atque Cauda, Sparo cum Aurata conueniant;
rebus tamen aliis euidentiſsimè diſtinguntur, Primùm enim corpore, non ſolùm (vt infra
etiam dicemus) minori eſt Sparus; ſed magis etiam rotundo atque in latera compreſsio D
re, longiorique & acutiori roſtro, atque ore etiam minori; Præterea circa Branchias nul-
la neque purpurea neque nigra macula, quales in Aurata reperiri diximus, conſpicitur;
Poſtremò locus oculis ſuperior, non aureo colore micat, vt in illa, ſed ex viridi flaueſcit;
[f] In frag. de piſ. Vnde cecinit Ouidius, [f] *Et ſuper Aurata Sparulus ceruice refulgens*;
fol. 36.28. Ventriculum habet Sparus haud magnum, cum aliquibus appendicibus; Inteſtina craſ-
ſiuſcula pinguia & in orbem circunducta; Hepar pallidum, cui tenuioris fellis veſica hæ-
ret; Lienem paruum oblongum & rubrum; Quæ omnia nigro cōtinentur peritonæo. Ad
multam magnitudinem non excreſcit Sparus; palmi enim menſuram excedere non con-
ſueuit.

HVNC PISCEM SPARVM ANTIQVORVM ESSE, QVO MODO PROBARI POSSIT.

Hunc autem piscem nostrum, antiquorum Sparum esse, Ex vulgari eius nomenclatura, à veteri tum græco, tum latino nomine (quorũ vtrunqꝫ æmulatur, Romæ.n. vt diximus, *Sparo*, in Liguria verò *Sparlo* appellatur) deducta primũ, ac deinde per manus (vti opinor) tradita & conseruata coniici, potius quàm Veterum testimonio confirmari potest; cũ eorum, non solùm pauci, Spari piscis meminerint (præter.n. Ouidium & Pliniũ latinorum, Oppianum verò & Athenæum græcorum, nemo alius, quod sciamus, eius mentionem fecit) Sed hi etiam omnes pauca admodum, eáqꝫ ferè singula, piscibus quoqꝫ aliis plerisqꝫ cõmunia, de eo commenti sint; Quod tamen supra citato loco, de Sparo scripsit Ouid. inquiens, *Et super Aurata Sparulus ceruice refulgens*, hunc nostrum piscem, Sparum antiquorum esse, haud contemnendo argumento probare videtur; Quando hic solus piscium, præter Auratam, ceruice (siue vt supra monstrauimus superciliis) refulgeat. A

LOCVS.

Sparus marinus piscis est; quod Plinius etiam confirmat, [g] *Eum inter pisces maris peculiares connumerans*. Non pelagius, sed litoralis, & herbosa maximè litora frequentans; Vti Oppianus testatur his versibus, [h] *Per molles tantùm ripas, herbasque uirentes* [g] lib. 32. cap. 11 [h] li. 1. fo. 108. 34.

Smarides, Blenni, cum Scaris, Boces utrique Menides; & Tragi simul Antherina uagantur.

Oppiani locus corrigitur. Vbi aduertendum est, non solùm in latinum conuerso Oppiano, sed in græco etiam impresso, Scari mendosè legi; Quemadmodum ex antiquo manuscripto cognouimus; in quo non σκάροι, sed σπάροι habetur; Quod si quispiam, magis quàm par sit contentiosus, haud prorsus indubitatam fidem antiquæ & manuscriptæ lectioni adhibendam obiiciat; ad id fatendum, ratione quoque compelli poterit; Nam cum paulò post citatum locum, idem Oppianus piscibus, qui in saxosis locis degunt, Scarum adnumeret, inquiens. B

[i] *Hic domus est Sargis, hæc statio læta Scienis* [i] lib. 1. f. 108. 56
Et faber, & nigro cui nomina dicta colore
Hæc Coracinus habet, hæc Scarus saxa frequentat.

Si præcitato etiam loco, verè σκάροι legeretur, temerè admodum, & quod in nullo alio piscium fecit, Scaro diuersa loca tribuisset.

NATVRA ET MORES.


Vt Aelianus tradit, [K] *Aspargi pisces marini sapientes sunt ad diligenter penitusque cognoscendam temporum mutationem, nam ineunte hyeme ad uitandam frigorum uim ex natatione conquiescunt, & consistentes ipsa commoratione & quiete æquabiliter et fraterne sese tepefaciunt; Postea uerno tempore ingrediuntur longiora itinera facere, neque modo obuijs, sed ijs etiam quos inquisierint & inuestigarint, cibis pascuntur.* Gregales sunt Spari, gregatim enim natãt & degunt; Vnde & vnà plures sæpissime capiuntur. Aestate pariũt, circa saxosa litora; Carne vescuntur, nec pisciculos solùm, sed marinos etiam pulices atque pediculos venantur. [K] lib. 11. cap. 32. C

QVANTA EXISTIMATIONE HABEATVR.

Vt proditum est ab Athenæo, [l] *Sparus, Diphilo authore, acris est, teneræ carnis, minimè uirosus, & stomacho gratus*. Et apud eundem, [m] *Epicharmus in nuptijs Hebæ, inquit, nos piscamur Sparos & Scaros, quorum ne stercus quidem fas est eicere dijs*. Quod ex eodem his verbis transcripsisse videtur Eustathius, [n] *De Sparis et Scaris quidam ipsorum amantissimus ita scribit. Piscamur Sparos & Scaros, quorum ne stercus fas est eicere.* Quibus testimoniis apud Veteres nobilem piscem habitum fuisse clarè constat; Et si ab hominibus nostræ ætatis haud tanti fiat; Quippe qui vti eum prorsus non aspernantur, sic neque Lupis, Asellis, Denticibus, Auratis, & consimilibus præstantioribus piscibus conferendum esse censent. [l] li. 8. fo. 177. 21 [m] lib. 7. fol. 159. 41. & 53. [n] fol. 1720. 41. D

VT NVTRIAT, ET VT CONDIATVR.

Referente Athenæo, [o] *Hicesius prodidit, Sparum meliorem succum, quàm Mænã gignere, & copiosius alijs plerisque piscibus alere*. Et vt idem tradit, [p] *Diphili testimonio urinam mouet, concoctu difficilis non est, nisi in sartagine frigatur*. Nos autem quemadmodum eum carne media inter duritiem & mollitiem esse asseueramus, sic etiam inter salubres, & si non inter saluberrimos, collocandum esse pisces, arbitramur. Cum in craticula assus, tum in sartagine frixus comedi solet; Elixus perrarò paratur, vt qui minor sit; Elixari verò maiores solùm pisces consueuerint. [o] li. 7. fo. 159. 51 [p] lib. 8. fol. 177. 21.


N. G. σάργος.
L. Sargus.
V. Sargo.

HISTORIA QVINQVAGESIMA NONA DE SARGO.

NOMEN.



Piscis noster sexagesimus quartus, qui non solùm Romæ, sed tota etiam Italia atque vbique ferè gentium *Sargo* vel *Sargone* vocatur, à Græcis σάργος, à Latinis verò *Sargus* dicitur; Aduertendum tamen non solùm hunc nostrum, sed secundam etiam Mugilum speciem σάργον appellari ab Aristotele, vt historia duodecima docuimus; Ab eodemque, [a] *inter gregales pisces* σαργῖνον (siue vt vertit Theodorus) *Sargiacum* numerari; Quē quidem σαργῖνον siue Sargiacum, A
vti [b] Athenæo authore *à Sargo diuersum esse scimus*, sic quis piscium sit, neque scimus neque sciri posse arbitramur, cum præter Aristotelem, qui cum inter gregales (vt diximus) tantùm connumerat; ac [c] *Epicharmum in nuptijs Hebæ*, [d] *& Dorione in libro de piscibus; qui nudam tantùm mentionem eius fecerunt*, nemo Veterum eius meminit amplius.

[a] hist. lib. 9 ca. 2.
[b] lib. 7. fol. 160. 22.
[c] Athen. lib. 7. fo. 160. 21.
[d] Athen. lib. 7 fo. 160. 24.

DESCRIPTIO.

Et si Sargus quoque vnà cum Auratis, atque Sparis, quibus prorsus absimilis non est, Romæ vendi solet, ab eis tamen notis euidentissimis distinguitur; Dorso enim multò magis repando, ventreque prominentiori est; Vnde latior rotundiórque eius figura efficitur; Rostro etiam acutiori, Oréque minori, Dentibus latis, humanísque simillimis, & non serratis, quales eorum sunt, munito; Oculi magni sunt & rotundi; Branchiæ vtrinque quaternæ; In ventre pinnas duas subnigras & minores, ad brāchias verò alias duas, vtrinq; B
scilicet vnam, maiores & subrubras habet; In dorso Auratæ ac Spari instar, pinna alia per cum ferè totum continua, aculeísque plurimis armata erigitur; Qui quidem aculei Aeliano atque Oppiano ignoti non fuere, vt infra (vbi de Sargi captura pertractabitur) patebit; Imo ventri statim ab ano altera quoq; vnico innixa aculeo subest; Cauda lunata est; Venter subalbidus; Dorsum ex cineraceo flauescens; Circa branchias & caudam nigra nota satis ampla apparet; Latera lineis quibusdam subnigris, à branchiis ad caudam ductis pinguntur; Vnde Athenæo authore, [e] *ab Aristotele* (& si in Aristotele id non legatur) ὀῤῥοπυγόστικτος, id est, *maculosæ caudæ*, πολύγραμμος, hoc est *multarum linearum*, & μελανόγραμμος, hoc est *nigrarum linearum dictus est*. Quod & Ouidius notasse videtur hoc versu, (Athenæus notatur.)

[f] *Insignis Sargusque notis, insignis & alis.*

[e] li. 7. f. 156. 33.
[f] in frag. fo. 36. 27.

Ventriculus satis magnus est, cum aliquot appendicibus; Intestina mediocria sunt, & in C
orbes quosdam circūducta; Hepar subrubet, à quo fellis vesica pendet; Lienem verò subnigrum habet; Et licet Sparum magnitudine superet, non tamen ad multam excrescere magnitudinem consueuit; Nunquam enim ternas libras excessisse vidimus; [g] *Cum autem Sargum Melanuro similem faciat Hicesius*. Non solum ad nigram caudæ maculam, atque ad lineas per latera deductas, quæ Sargo cū Melanuro conueniunt, (Vt Athenæus supracitato loco testatur, vtrunque Aristotelis testimonio ὀῤῥοπυγόστικτον, πολύγραμμον & μελανόγραμμον appellans) referri debet, sed etiam ad corporis figuram, qua haud absimiles sunt;

[g] Athen. lib. 7. f. 156. 31.

LOCVS.

Marinus piscis est Sargus; non pelagius, sed litoralis; Et circa saxosa & herbosa litora maximè victitans, vt Oppianus etiam testatur, inquiens.

[h] *Sunt udæ cautes herbis à fronte uirentes* D

Hic domus est Sargis, hæc statio Læta Scienis.

& alibi dicens, [i] *Polypus & Sargus saxi ferus accola duri.*

Aelianus verò hæc de Sargorum domiciliis prodit, [k] *Sargis piscibus idonea domicilia saxa & cauernæ sunt, quæ non latis luminibus illuminantur, sed tanquam fenestellas paruulas habent, tanto interuallo distantes, quo pertinere & permeare solis splendor, earumque distantiam lumen solis complere possit; cum enim omni luce Sargi delectantur, tum uerò solis maximè radios sitienter expetunt; in loco multi eodem habitant, apud paludes & breuia uitam agunt, uicinam proximā continentem se habere gaudent.* Quæ ferè omnia ex eodem his versibus transcripsit Oppianus;

[h] li. 1. fol. 108. 55.
[i] li. 4. f. 147. 34.
[k] li. 11. cap. 19.

[l] *Piscosas, gemino quæ surgunt uertice, cautes,* [l] lib.4.fol. 148.
Non longe à terra distantes æquore paruo 50.
Coniectat clari fulgentes lumine solis.
His habitant Sargi Scopulis, hæc saxa frequentant,
Nam solis gaudent radijs, & luce nitenti.

Festus author est, *In Aegyptio mari ferè Sargum nasci.* Nos autem in toto mediterraneo vbiq; cum nasci, & reperiri videmus.

PARTVS.

Vt proditum est ab Aristotele, [m] *Sargus bis parit, uere & Autumno.* Quod non solùm ex eo mutuatus est Plinius, inquiens, [n] *Bis Sargi pariunt uere & Autumno;* Sed ab Athenæo etiam citatur, [m] Hist.li.5. ca. 9. [n] lib.9. cap. 51.
A scribente, [o] *Aristoteles in quinto de Animalium historia, parere inquit Sargum bis, uere & Autumno.* Sargum præterea Autũno, & paulò ante æquinoctium parere, alibi quoque tradidit Arist. dicens, [p] *Pariunt pisces plurima sui parte mensibus his tribus, Martio, Aprili, Maio; Autumno pauci ut Salpa, & Sargus, & nonnulla alia generis eiusdem pauloante æquinoctium, adde ijs Torpedinem, & Squatinam.* Quod cum ex eo transcripserit Plinius, hodiéque sic in Plinianis codicibus legatur, [q] *Plurimi piscium tribus mensibus pariunt, Aprili, Maio, Iunio, Salpæ Autumno; Sargi, Torpedo, Squali circa æquinoctium.* vti Aprili Maio, Iunio; ita Squali, in eo mendosè legitur, ex Aristotelísque censura illud, Martio, Aprili, Maio, hoc verò, Squatina corrigi debet. Postremò cum Arist. etiam scribat, [r] *Sargus coit mense Decembri; fert uterum dies triginta;* Non de hoc nostro Sargo, sed de secunda Mugilum specie, quam ab eo Sargonem appellari diximus, intelligit; vt non solùm hunc locũ eius contemplanti manifestissimum sit, sed ab eo quoque declaratur, cum alibi dicat, [s] *Mugilum Labeones, Sargones, Mucones, Capitones grauescere mense Decembri incipiunt, geruntque diebus tricenis.* [o] li. 7. fol. 160. 21. [p] Hist.lib.5.ca.11 [q] lib.9.cap.51. [r] Hist.li.6.ca.17. [s] Hist.lib. 5.ca.11

Plinij mendũ castigatur.

B

NATVRA ET MORES.

Vt proditum est ab Arist. [t] *Sargus Mulli reliquias sequitur, nam ubi ille luto excitato abijt (fodere enim potest) hic descendit & pascitur, imbecillioresque ne eodem adnatent, arcet.* Quod & Plinius ex eo transcripsisse videtur, de Mullis enim agens, inquit, [u] *Lutarium ex ijs uilissimi generis appellant; Hunc semper comitatur Sargus nomine alius piscis, & cœnum fodiente eo, excitatum deuorat pabulum.* Vt Athenæus refert, [x] *Numenius in libro de piscibus, Sargum in euitandis piscatorum insidijs astutum esse dicit,* & λινοσπαραγέστατον ἰχθύν, id est, *Lini laceratorem piscem, eum uocat.* Quando autem, & quo astu linum laceret atque secet, Plinius declarat his verbis, [y] *Iidem Anthiæ cum unum hamo teneri uiderint, spinis quas in dorso serratas habent; lineam secare traduntur, eo qui tenetur, extendente, ut præcidi possit, At inter Sargos ipse qui tenetur, ad scopulos lineam terit.* Cum pisciũ aliqui vxores multas ducant, aliqui verò vna sola contenti sint, ex illorum numero est [t] Hist. lib. 8. cap. 2. [u] lib.9.cap. 17. [x] lib.7. fol.160. 19. [y] lib. 9. cap. 59.
C Sargus, qui plures habent; vt testis est Oppianus scribens,

[z] *Vxores Sargi multas, & Merulus ardens Ducunt, Ast alij contenti coniuge sola.* [z] lib.1.fol. 115.11

Authoréque Aeliano, [a] *Non pro una, sed pro multis uxoribus ab eo certamen instituitur.* Quod ab Oppiano sic describitur, [a] lib.12.cap. 66.

[b] *Rursus amor Sargos carpit sub tempore uerno,* [b] lib.4.fol.149.
Pro tedis simul & cara pro coniuge certant. 15.
Decernunt dura miseri connubia pugna.
At si quis tanto fuerit certamine uictor,
Coniugibus cunctis uir tantum sufficit unus
Fœmineos cœtus claudens sub caute marina.

Nec solùm suarum vxorum, sed externæ etiam gentis amore capitur; Vt Oppianus testatur inquiens,
D

[c] *Polypus, & Sargus saxi ferus accola duri* [c] lib.4.fo.147.
Externæ gentis sæuo uexantur amore. 34.

Cuius autem gentis externæ amore capiatur, Aelianus declarat, dicens, [d] *Capras uehementissimè amant Sargi, nanque cum Caprarum proximè & secundum litus pascentium unius aut alterius umbra in mari apparuerit, protinus gaudio exilientes, summo studio adnatant, ac saltu, non admodum ad saltandum idonei, capras contingere affectant, sensum caprini odoris percipiunt, & si sub fluctibus natent; itaque uoluptate gestientes ad eas accedere student.* Hoc idem ab eo mutuatus Oppianus, sic poeticè cecinit, [d] lib.11. cap. 11.

e lib. 4. fo.148. 15.

[e] Inuadit Sargos caprarum mira cupido,
Qui mad.di simas cupiunt tractare capellas.
Montanis gregibus, quamuis sint agmina ponti,
Gaudent, & fœdæ rapiuntur amore capellæ
Pro pudor, an sperant concordes edere fœtus
Incultos montis colles, pelagique meatus?
Pastores, claudunt cum sera crepuscula lucem,
Tempore, quo flauas Phœbus desiccat aristas,
Ducunt loturas ad littora sicca capellas
Postquam balatus aut uoces littore Sargi
Pastorum audierint, saliunt ex æquore toto,
Sint licet ignaui, properant examine multo,
Humida corrigeras gens circumfusa capellas
Læta salit, lambitque gregem, & blanditur ouanti,
Pastores tamen longè admirantur amorem,
Qui primùm stupidi cernunt miracula facti
At læte accipiunt pisces, spectantque capellæ
Gaudent dilectas ponti spectare choreas.
Exultant Sargi contra non est modus unus
Lætitiæ, teneri non tantùm matribus hædi
Applaudunt stabulis clausi, pastuque regressas
Accipiunt gestu læti, saltu que petulci.
Omnia cum circùm roboant loca uocibus illis,
Pastores dulces fundunt de pectore risus.
At ueluti mater natum, coniuxque maritum,
Ire peregrinas longè tristantur in urbes,
Mœstitiamque alto tristes sub corde recondunt,
Et celsas scandunt speculas, & lumine lustrant
Aequoreas undas, & fletibus ora relaxant.
Non gressum reuocant, & lumina in æquore figunt.
Sic mœsti Sargi lachrymis tristantur obortis,
Cum pastor capras abigit de littore lotas.
A

CAPTVRA.

Sargorum miræ & ridiculæ capturæ traduntur à Scriptoribus; Aelianus enim postquàm loco supra citato, quàm perditè hi capras ament, enarrauit; quo etiam pacto eius amoris causa capiantur edocet, subdens, [f] *Quòd autem tanta amoris insania in capras existunt, ex his idcirco capiuntur, quæ tantopere desiderant; Nam piscator Caprinam pellem extractam cum cornibus induens, insidias parat sole à tergo relicto, atque farinam caprino iure madefactam in eam maris partem spargit & abijcit, ubi habitare solent Sargi, quibus, tanquam philtro quodam odoris supradicti allectati, accedunt, farina uescũtur, pellis assimulatæ capræ conspectu permulcentur, ex his autem multos piscator hamo robusto capit, cuius linea alba non ex arundine appensa est, sed uirga cornea. simul ac hamo adhæserit, subtrahere expeditissimè conuenit, ne alios conturbet.* Quemquidem capiendi modum, Oppianus quoque ex eo transcribit, suísque proximè citatis versibis, his verbis subnectit, B

f lib.11.ca.19.

g lib. 4. fo.148. 47.

[g] Sarge miser subito, ni fallor, dira cupido
Afferet exitium, pastor tibi causa doloris,
In fraudem & mortem piscator uertet amores.
Piscosas, gemino quæ surgunt uertice, cautes,
Non longe à terra distantes æquore paruo
Coniectat clari fulgentes lumine solis.
His habitant Sargi scopulis, hæc saxa frequentant,
Nam solis gaudent radijs, & luce nitenti;
Ast olidæ prædo tectus sub tegmine capræ
Temporibus summis duo cornua longa coaptat,
Et pastorales meditatur pectore fraudes,
Viscere caprino simul & nidore farinam
Commistam tumidas ponti demittit in undas.
Gratus odor, pastor gratus, simulata capella
Istos decipiunt, nec fraudes mente dolosas
Cernunt, sed læti gaudent, lambuntque capellæ
Hostem consimilem, sed mox non mitia corda.
Inuenient miseri Sargi sub pelle caprina.
Tunc cito pestiferum socium sub tegmine noscunt.
Cornea cum niueo tendens hastilia lino
Infigit carnes hamo, quas ungula capræ
Innatas retinet, carpunt obiecta repente
Pabula, piscator retro sua brachia curuans
Attollit Sargum, si quis præsenserit artem,
Villosas alij capras, odioque sequuntur
Pastorem, simulachra, cibos, & pascua tota.
Si sint abstrusæ fraudes, tollentque laborem,
Arte uelox omnes capræ sub imagine fallet.
C
D

dem, cum (vt supra etiam citauimus) mares Sargos pro fœminis certare retulisset, quo pacto hac etiam occasione capi soleãt, explicat, his (quos aliis suis non proximè, sed paulò supracitatis subnexuit) versibus.

h lib.4.fo.149. 21.

[h] Hic piscatores fundo, cicloque capacem
Occultant nassam, contextam uimine denso.
Et stipant fauces mirto, lauroque uirenti,
Frondibus aut alijs, quas circũ septa renectunt.
In bellum sponsos cum dirum pellit oestrum,
Pugnatur, tedas inter fera surgit enyo,
Victoris nutu sponsas parere necesse est.
Qui curuam quærens petram, tectoria nymphis
Offendit nassam ramis, & fronde latentem,
Hu: nymphas pellit, subeunt hæc septa profunda.

Hic alios arcet Sargos, caueaque repellit
Sed cum plena choro nympharum nassa profunda,
Vltimus ingreditur cautæ irremeabile septum
Ac ueluti opilio pastas in ouilia ducit
Lanigeras pecudes, & portæ in limine greßum
Sistit, & intrantes lustrat, numerumque recenset,
Si cunctæ incolumes redeant, sed iam grege clauso
Stipatur plenum stabulum, subit ultimus ipse.
Sic prior ingreditur sponsarum in limina cœtus,
Postremo Sargus textum se mittit in antrum,
Et miseras nymphas misero sotiatur amore.
Talia belligeri miscent certamina pisces,
Atque cupidineo pereunt in fraude furore.

Aelianus præterea quo modo manu quoque capi poßint declarat, inquiens, [i] *Manu etiam capiuntur, si quis spinas, quas ad tuitionem sui excitant, à capite ad partem inferiorem reuocando & flectendo declinet, præmendoque ex lapidibus, in quos ad latendum se compellunt, extrahat.* Quod & Oppianus ex eo transcripsisse videtur his verbis, [i] li.11. cap 19.

A [K] *Secessu ponti Sargi fluctuque recondunt*
Se timidi, & salsis se complectuntur in undis. [K] li.4.fol.152.
Et spinis ueluti palis horrentia terga 40.
Obliqui occultant, spinis ualloque teguntur.
Et ueluti Agricolæ circum uineta coaptant
Sepes, & claudunt aditus, neu peruia furi
Vinea, sed uallo seruetur tuta profundo.
Sic nullus Sargis hærebit pectore prompto,
Nec dextram inijciet, rigeant cum tergora densis
B *Sentibus, & totus ualido mucrone tegatur.*
Ast aliquis cautus uastum se mergit in æquor,
Et caput, & caudam Sargi speculatur, & in quas
Partes deuergat prompto sub pectore uoluit.
In caput immittens dextram sub uertice Sargum
Comprendit, stringitque manu, spinasque tremendas
Vitans, implicitus piscis firmusque resistit,
Nam forti tantum spinæ sub robore fidit,
Piscator palmis disiungens pronus utrisque
Astutum nauauit opus, piscemque repreßit.


C Postremò quo modo Cares Sargos capiant Aelianus etiam docet, dicens, [l] *Sargos hoc modo Cares capiunt: Cum enim molles & remissas auras auster afflat, & ad arenas moderate & leniter fluctus resonant, tum ad piscatum arundine piscator nihil eget, sed spinæ regiæ bene robusta uirga, ex qua summa lineam appendit, atque ad hamum escam muris piscis conditi accommodat, deinde in piscatorij nauigij puppe sedens, insidias tendit, easque in mare demissas leuiter mouet, simul & ei puer probe tenens ut sensim pedetentimque nauis impellenda sit, ad terram uersus remigat; tum Sargi permulti exultantes & gestientes, escam aßequi sese ex suis latibulis incitant, et prosiliunt, atque escæ illecebra allectati, in hamum congregantur, cumque propius à terra sunt, cibi auiditate capti facile comprehenduntur.* [l] lib.11. cap 20.

VT SAPIAT, VT NVTRIAT, ET VT CONDIATVR.

D Tradit Athenæus, [m] *Hicesij testimonio, bonitate succi et suauitate saporis, Sargũ Melanuro præferendum esse.* Vt verò Apuleius citat, [n] *Ennius poeta ait, Brundusij Sargus bonus est, hũc, magnus si erit, sume.* Hodie quoque vbique ferè inter sapidos pisces connumeratur, Et maximè Autumno & Hyeme, & in saxosis litoribus captus; Et apud Athenæum, [o] *Inquit Hicesius Sargi adstringunt magis, & magis nutriunt quàm Melanuri.* Succum satis laudabilem gignit; ægriuscule coquitur; Propterea quòd paulò duriorem carnem habet; Vnde referente Athenæo, [p] *Sargum duræ carnis esse ait Archestratus, & ob id assatum et calidum, caseo, acetoque conditum probat, Sicuti uno edicto omnes sicciores pulpæ pisces condiendos præcipit; Secus ac in præpinguibus & teneris sit necessum, qui solo sale atque oleo inditis in craticula sapidissimè percoquuntur.* Aetate nostra Minores, vt Spari parantur et conditũtur; Maiores verò elixari etiam solẽt.

[m] lib.7.fo.156. 31.
[n] Apologia.1.
[o] li.7.fo.160.18
[p] lib.7.fol.160. 25.

P.65



N. G. Μελαγουρος. L. Melanurus. V. Othiata.

HISTORIA SEXAGESIMA DE MELANVRO

NOMEN.



SEXAGESIMVS quintus piscis, quem Romæ *Ochiata* (notandum tamen alium piscem esse, quem Romæ *Ochiatella* vocant, vt in historia quadragesima sexta declaratur) Venetiis *Ochia*, Ianuenses *Oia*, & Masiliæ *Oblada* appellant; A Græcis quòd nigram caudam habeat, μελάνουρος vocatur; A Latinis verò græcum nomen imitatis, Melanurus dicitur; Præterquam à Theodoro Gaza, qui μελάνουρον in Aristotele, vulgarem nomenclaturam sequutus, Oculatam A interpretatus est. Nec si Plinius atq; Cornelius Celsus inter pisces Oculatæ meminerunt; Melanurum ab eis Oculatã vocari arbitrandum est; Nam quò ad Plinium spectat, cum in suo piscium catalogo legatur, [a] *Melanurus, Mœna, Meryx, Myllus, Mystus, Murex, Oculata*, manifestissimum est, Melanurum & Oculatam diuersos ab eo pisces censeri; Quòd verò ad Celsum attinet, cum inquiat, [b] *Deinde qui quamuis teneriores, tamen duri sunt, ut Aurata Coruus, Scarus, Oculata*, haud ulla verisimili coniectura Melanurum ab eo Oculatam appellari coniicere possumus; Quamobrem cũ hi soli Veterum, & supra citatis duntaxat locis, Oculatæ piscis mentionem fecerint; vti eam Melanurum esse comprobare non possumus, ita B qui piscium sit, haud scire, fatemur; Neque enim illis assentimur, qui Oculatã à Plinio Torpedinem vocari contendunt, propterea quod Torpedo Romæ vulgò *Ochiatella* dicatur, quinísque notis, oculis simillimis depictum Dorsum habeat; Cum Plinius in ipso piscium catalogo paulò post Oculatam, Torpedinem quoq; cõnumeret; Pari etiam ratione cum Plautus inquiat, [c] *Pernam Ophthalmiam Horæum Scombrum Trigonem Cetum*, neque eius Ophtalmiam Melanurum esse asserere; Neque qui pisciũ ea sit, diuinari possumus.

[a] li.32. ca.11.
[b] li.2.cap.18.
[c]

DESCRIPTIO.

Melanurus proximè adeo ad Auratæ figuram accedit, Vt non ab re, cum apud Athenæum, [d] *Eum proportionem habere cum Aurata dixerit Diphilus*, de figuræ etiam similitudine, ea intelligi proportio posśit, [e] *Melanderino etiam authore Athenæo similis est.* Cuius quidem Melanderini, [f] *Præter* C *Speusippum, qui in secundo similium ψύγρον, atque Numenium, qui ψόρον eum appellari aßerunt*, nemo Veterũ meminit vnquam; Et propterea præsenti libro neque Iconem, neque vllam eius exhibemus historiam; [g] *Speusippus præterea in secundo quoque similium Coracino similem facit Melanurum.* Verum perparua adeo est Melanuri cum Coracino similitudo (quemadmodum historia etiam 32. docuimus) vt mendosum locum iure suspicari posśimus; Postremò, [h] *Cum Hicesius Sargũ & Melanurum similes esse aßeueret*, ea similitudo tum ad nigrã caudæ notam, qua vterque insignitur, atque ad subnigras lineas vtriusque latera pingentes, tum ad corporis figuram, qua etiam aliquo modo conueniunt, referri debet; Vti præcedenti historia declarauimus, ac infra rursus hac eadem explicabimus; Melanurus itaque paruũ os habet, paruis, sed robustis dentibus munitum; Oculos secundum suæ magnitudinis proportionẽ maximos; Vnde omnes D eius vulgares nomenclaturæ ductæ sunt; Pinnarũ numerus situs & figura, branchiæ, atq; cauda, cum Aurata, Sparo & Sargo ei conueniunt; Ventre est sub albido, Dorsóque ex cœruleo nigricante; In cauda latam atque nigerrimam notam habet; Quamobrem à Græcis μελάνουρος hoc est *nigræ caudæ*; [i] Ab Aristoteléque præterea, vt refert Athenæus, *Non secus quã Sargus, cuius etiam cauda, nigra insignita est nota*, ὀῤῥοπυγόστικτος hoc est *maculosæ caudæ* vocatur, quod Ouid. quoque animaduertisse videtur inquiens. [K] *Quin laude insignis caudæ Melanurus.* Lineis demum quibusdam nigricantibus, à branchiis ad caudam deductis, latera eius, non solùm Sargi instar, sed euidentius etiam pinguntur; Quapropter vt supra citato loco testatur Athenæus, ab Aristotele (& si id in Aristotele non legatur) vti & Sargus πολύγραμμος, id est *multarum linearũ*, & μελανόγραμμος, hoc est *nigrarum linearum appellatus est*; Interanea Sargo similia habet; haud multum augetur, palmi nanque magnitudinem nunquam superasse vidimus.

Athen. locus mendosus ui detur.

Athenæus notatur.

[d] li.8.f.177.19
[e] li.7.fo.156.35
[f] Athe.lir 7.fol. 156.35.
[g] Athe.li.7.fol. 154.15.
[h] Athe.li.7.fol. 156.31.
[i] li.7.fo.156.33
[K] in frag.f.37.6

LOCVS.

[l] lib 32. cap. 11. Melanurus marinus piſcis eſt; Et propterea iurè à Plinio [l] *Inter piſces maris peculiares connumeratur.* Circa litora & præſertim arenoſa victitat, vt author eſt Oppianus his verſibus.

[m] li. 1. fol. 108. 21.

[m] Nonnulli flauam piſces in litore arenam
Mandunt, & terra quicquid nutritur in alta
Hippi, Cocciges celeres, flauique Erythini
Et Cithare, Triglæque ſimul, tenues Melanuri,
Trachuronque greges, Bugloſſæque & Platanuri,
Tæniaque imbellis, pictus quoque Mormylus, atque
Scombri, & Cyprini, ſtabulantur litora iuxta.

[n] li. 8. cap. 16. Columella verò inquiens, [n] *Rurſus optimè ſaxoſum mare nominis ſui piſces nutrit, qui ſcilicet, quod in petris ſtabulentur, ſaxatiles dicti ſunt, ut merulæ, Turdique, nec minus Melanuri; atque ut litorū, ſic & fretorum differentias noſſe oportet, ne nos alienigeni piſces decipiant*, vti eum in ſaxoſis litoribus degere teſtatur, ſic in ſaxatiliū piſcium numero collocat; Verùm ſicuti, cum ex verè ſaxatilium cenſu non ſit Melanurus (vt ex hiſtoria octogeſima intelligi poteſt) Columellam, vti & veteres nonnullos alios (quemadmodum in eadem octogeſima docuimus hiſtoria) ſaxatilium vocabulo, latiori ſignificatu vſum eſſe, credendum; ſic ipſum, vt qui ſaxoſi litoris accolam faciat Melanurum, Oppiano eundem in arenoſis litoribus victitare aſſerenti, aduerſari haud arbitrandum; quando hic piſcis varias habitare ſedes ſoleat, vt teſtis eſt Aelianus, quemadmodū ex eius verbis, quæ paulò poſt citabimus, clarè dignoſci poterit. A

QVIBVS VESCATVR.

[o] Hiſt. li. 8. ca. 2. Teſte Ariſtotele, [o] *Melanurus (ſiue ut uertit Theodorus, Oculata) alga ueſcitur.* Vt verò author eſt Aelianus, B
[p] lib. 12. cap. 17. [p] *Cum maris tempeſtates ſunt, ex his uiuunt cibis Melanuri, quos è ſaxis partim eruūt, partim è terra euellunt, nec tamen niſi ſordidis paſcuntur & abiectis, quibus non facile alius piſcis, niſi fame oppreſſus ueſceretur; Cum maris tranquillitas uiget, in ſolo ſabulo pabulū inquirunt, hincque paſcuntur.* Vnde & Oppianus de eo agens dixit.

[q] li. 3 f. 139. 39.

[q] ſemperque guloſis
Abſtinet à cœnis.

NATVRA, ET MORES.

[r] lib. 1. fol. 5. 44. græc. cod. Cum nō robuſtus ſed infirmus piſcis ſit, vt teſtis eſt Oppianus dicens, [r] καὶ ἀδρανέες μελάνουροι, id eſt, *imbecilles*, vel (vt vertit interpres) *tenues Melanuri.* Et alibi, [s] *Viribus haud magnis fidit.* Iure timidus eſt, vti Aelianus tradit, inquiens, [t] *Timidiſſimi piſcium Melanuri, ſuæ timiditatis teſtes habent piſcatores, neque enim capiuntur naſſa, neque ad eam accedunt.* Hoc autem non ſolùm Oppianus confirmat, ſcribens, C

[s] lib. 3. f. 139. 39.
[t] li. 12. cap. 17.
[u] li. 3. f. 139. 37.

[u] Haud facilè paruus Melanurus fallitur arte,
Nec curua capitur naſſa, nec retibus amplis,
Viribus haud magnis fidit ſemperque guloſis Abſtinet à cœnis.

[x] lib. 32. cap. 2. Sed Plinius etiā ante vtroſque prodidiſſe videtur, cum dicat, [x] *In Stabiano Campaniæ ad Herculis petram Melanuri in mari panem abiectum rapiunt; iidem ad nullum cibum in quo hamus ſit accedunt.* Quod quidem tum timori, tum ſolertiæ aſſcribi poteſt. Cum quàm ſolers eſſe ſoleat, vel eo dignoſcatur, quód ex ipſa maris tranquillitate piſcatorum aduentum præcognoſcens, profundiſſmo mari ſe mergat; mari verò perturbato, intelligens eo tempore piſcatores ad mare non accedere, ad ſummas aquas enatet, agátque, & tunc quidem circa ſcopulos, & mira ſagacitate in ſpumis latitans, quas infracti ſcopulis fluctus continuè excitant; Quæ omnia ſic ſcriptis mandauit Aelianus, [y] Cum placitum & quietum eſt mare, Melanuri ad imam maris ſedem in petris, aut algis quieſcunt, tegumentoque proteguntur, quocūque corpus occultari poteſt, cum in alto aduerſa tempeſtas eſt; piſceſque alios vident in altitudinem ex fluctuum impetu deſcendere, hi tum fiducia implentur, ſimul & ad litus appropinquant, atque ſpumam ſuper ſe fluctuantem, ſe ipſoſque cooperientem, ſatis eſſe ad ſe tuendum arbitrantur; Vix dici poteſt quàm pernoſcunt, eo die, noctéue cum feritas maris, & immanitas efferueſcit, tum à piſcatoribus non adiri mare; Quæ ſic etiam ab Oppiano ſcribuntur. D

[y] lib. 12. cap. 17.

[z]*Et fulua segnis arena* [z]li.3.f.139.40.
Se iacit æquali cursu cum subsidet unda,
Nec liquidis spatiatur aquis, cum fluctuat æstus,
Et mare turbatur uentis. tunc agmine denso
Per fluctus rapitur præceps, non æquoris horret
Gentes atque homines sulcantes stagna profunda.
Extrema cuncti, fluctusque crepidine clausi
Effugiunt, Melanurus abit resonantia circum
Aequora, prospectans si perturbata procellis
Marmora diffundant escas ad litora grata.

A Et licet ita prudentes sint, authore tamen Aeliano, [a] *si quando eis saginam circundederis, imprudentes comprehenduntur.* Quod etiam, sed explicatè magis, & Oppianus scribit, hos versus, aliis suis proximè citatis, subnectens. [a]li.12.cap.17.

[b]*Stultus non hominis nouit, prudentia quanta* [b]lib.3.f.139.50.
Sit potior, pisces qui brumæ tempore fallit,
Cum feruent fluctus, cum ponti tollitur æstus
Cernuus in scopulo, ponti quem uerberat unda
Altior, & circum stridentia saxa remugit,
Piscator tumidis dispergit fluctibus escas
Lac cereri admistum, currunt ad pascua læti
Cum tantum iactu distant à litore retis.


B Apud Athenæum [c] *Numenius in libro de piscibus, Percarum magistrum Melanurum appellat.* Eodem verò Athenæo authore, [d] *prouerbio dicitur, Perca Melanurum sequitur.* [c]li.7.f.156.30. [d]li.7fol.159.29.

VT NVTRIAT, ET VT CONDIATVR.

At refert Athenæus [e] *Hicesius inquit, Succi bonitate, & saporis suauitate, Sargo inferiorem esse Melanurũ, modiceque adstringere & nutrire.* Et apud eundem alibi idem tradit, [f] *sargi magis astringunt & nutriunt quàm Melanuri.* Et rursus referente Athenæo, [g] *Cum eo proportionem habere Auratam, asserit Diphilus;* Quam quidem proportionem, & si ad figuram etiam (vt supra quoque diximus) referre non dedece; Diphilus tamen de ea proportione, quæ ad nutriendi rationem spectat, intelligit, vt ex præcedentibus & subsequentibus verbis eius manifestissimè patet. Mediæ itaque carnis est Melanurus, satis boni succi, vbi probè concoquatur; Et licet cum sapidioribus piscibus conferendus non sit, non tamen prorsus insipidus est; Et maximè vere, & autumno, & in petrosis litoribus captus; Cum paruus sit non elixatur, sed Auratæ instar, in craticula assus aut in sartagine frixus comedi solet. [e]li7.fo.156.31. [f]li.7.f.160.18. [g]li.8.f.177.19.

C

P.66



HISTORIA SEXAGESIMA PRIMA DE MORMYRA.

NOMEN.



EXAGESIMVS sextus piscis noster Romæ & Venetiis *Mormoro*, in Liguria & Massiliæ *Mormo*, & in Hispania *Marmo* appellatus, Eustathio authore, Græcè[a] *à uerbo μορμύρω, quod murmurare ut aquæ significat*, μορμύρος, ab Oppiano (ni mendum sit) μορμύλος, [b] *& ab Epicharmo μύρμη*, ni diuersi sint, dicitur; Latinè ab Ouidio, atque à Plinio *Mormyrus*, à Theodoro verò *Mormur* vocatur.

[a] fol.1150 33.
[b] Athe.lib.7.fo,156.37.

A

DESCRIPTIO.

Mormyrus corpore longiori, & minus in latera compresso est quàm Aurata, Sparus, Sargus, & Melanurus. Capiteque tenuiore & cælato; Rostróque acutiori; Os autem mediocre habet; Dentes exiguos; Labia crassa, oculósque medios; Branchiæ vtrinque sunt quaternæ. Ad quas binæ etiam sunt pinnæ, vtrinque scilicet vna; Et binas alias & minores in ventre gerit; In dorso verò vna sola satis longa & tota aculeis horrida erigitur; Ac vnica alia, sed parua imo ventri prope caudam subest: Cauda in lunatam pinnam degenerat; Et cum argenteo sit ventre, dorso verò ex albo ad cœruleum vergente, denis duodecímue lineis latiusculis atque nigris, à dorso ad ventrem transuersis, æqualibúsqꝫ interuallis distinctis, depingitur. B Vnde iure dixit Ouidius,[c] *Et pictæ Mormyres*, Pliniúsqꝫ hunc Ouidii locum citans,[d] *pictas Mormyras*, atque demum Oppianus, [e] *καὶ μορμύλος αἴολος ἰχθύς*, id est *Mormylus uarius piscis*; quod tamen perperam interpretatus est Lippius, *Et pictus Mormylus ore*; Cum non ore, sed lateribus (vt diximus) pictus sit; Ventriculum haud magnum habet; Intestina alba, triplici inflexione conuoluta; Hepar grandiusculum subrubrum, atque ventriculum ambiens; Lienem exiguum & subnigrum, quæ omnia nigerrimo continentur peritonæo. Haud multum augetur, pedalem nanque magnitudinem nunquã superasse perspeximus.

[c] in frag.f.37.3
[d] lib.32. cap.11.
[e] li.1.fo.108.26

HVNC PISCEM NOSTRVM, MORMYRVM ESSE QVO PROBARI POSSIT.

C

Veteres pauca adeo, eáque ita & piscibus aliis communia, de Mormyro scripserunt, Vt solis eorum testimoniis, neque piscem hunc, neque alium, Mormyrum esse comprobare possimus; Verùm si vnà vulgare etiam nomen consulamus, clarè certè hunc antiquorum Mormyrum esse cognoscemus; Quippe qui, non solùm nunc vulgò (vt diximus) *Mormoro*, *Mormo*, *& Marmo* vocetur (quæ omnes vulgares nomenclaturæ vti græcum ac latinum vetus nomen exactè imitantur, ita ab eo deductæ, atqꝫ vsque ad hæc nostra tempora, per hominũ manus traditæ censendæ sunt,) Sed etiam (vt supra monstrauimus) depictus piscis sit, vti depictum Mormyrum esse, Ouidium, Plinium, atque Oppianum tradidisse, declarauimus; Ad hoc accedit, quòd illa etiam reliqua pauca, quæ ab antiquis de Mormyro dicuntur, huic pisci probè respondent; quibus omnibus eum Mormyrum dubio procul existimamus; D

LOCVS.

Marinus piscis est; Nec vllibi in fluminibus reperitur; Non pelagius, sed litoralis, vt testis est apud Athenæum Archestratus, cuius verba infra citabimus, arenosa maximè litora frequentans, vt author est Oppianus, inquiens.

[f] *Nonnulli flauam pisces in littore arenam*
Mandunt, & terra quicquid nutritur in alta,

[f] li.1.fo.108.21

Hippi, Cocciges celeres, Flauique Erythini
Citari, Triglæque simul, tenues Melanuri,
Trachuronque greges, Buglossæque, & Platanuri,
Tæniæ imbelles, & picto Mormylus ore,
Scombri, Cyprini, stabulantur littora iuxta.

PARTVS.

Cum teste Aristotele,[g] *Partus piscium neque eodem tempore, nec simili modo omnium fiat, nec pari temporis spacio geratur uterus*. Licet vt idem alibi tradit,[h] *Pisces plurima sui parte mensibus his tribus Martio, Aprili, et Maio, pariant*, ex eorum tamen numero est Mormylus, qui æstate pariunt; vt ipse etiam Aristoteles testatur scribens,[i] *Quinetiam sacer æstate parit, mox Aurata, Lupus, Mormur, Molaris*; Vbi aduertendum est neque in impresis, neque in manuscriptis Aristotelis exemplaribus græcis, *Molaris* legi, & ob id mirandum, cur Theodorus hic *Molarem* subiunxerit; Et vel maximè cum neque alibi apud Aristotelem, neque apud aliquem alium authorem pro pisce Molaris habeatur vnquam.

A *Theodorus notatur.*

g Hist. lib. 6. ca. 17.
h Hist. li. 5. ca. 11
i Hist. lib. 6. ca. 17.

NATVRA ET MORES.

Soliuagus piscis est, & non gregalis, & propterea nunquam simul captos plures videmus; variis cibis vescitur, minoribus scilicet tũ Testaceis, tum Crustaceis, ac pisciculis quibuscunque; Neque etiam à terrestribus sordibus abstinet; In euitandis retibus astutus & solers est; Vnde, Lupi instar, inclusus retibus, imis in vadis sulcum crebro caudæ motu, reiectis arenis facit, atque ita subterlabitur, vt Oppianus author est his versibus;

B

[K] *At fuluam Labrax aliis effodit arenam,*
Conatur foueam branchis aptare capacem
Corporis, ut magnos sub terris occulat artus,
Ac ueluti lecto iaceat, per littora grypos
Piscantes uerrunt, hic cœno immersus in alto
Effugit exitium prædæ, fugit humida lina;
Astutus talem meditatur Mormylus artem,
Tentas sub bibula maculas declinat arena.

K li. 3. fo. 134. 3


C

VT SAPIAT, VT NVTRIAT, ET VT CONDIATVR.

Et si apud Athenæum,[l] *Hicesius Mormyrum copiosè nutrire crediderit*. Ita tamen insipidus est, vt non solùm nunc vilis vbique iure habeatur, sed à Veteribus etiam plebeius existimatus sit; Quinimo vt idem tradit Athenæus,[m] *Ab Archestrato Mormylus, litoralis, malus piscis, neque ullo tempore bonus dicitur*. Quamobrem ægri ab eo prorsus abstineant; Sani verò nonnisi in sapidorum penuria eo vtantur; Et licet quouis modo conditus, malè sapiat, in craticula tamen assus, crebráque ex aceto & oleo irrigatione conspersus, minus ingratus esse solet.


l lib. 7. fol. 156. 37.
m lib. 9. fol. 156. 42.

D


N. G. Χελιδών
L. Hirundo
V. Rondine

HISTORIA SEXAGESIMA SECVNDA DE HIRVNDINE.

NOMEN.



SEXAGESIMVS septimus piſcis, Romæ ac pleriſ-
que alijs locis *Peſce Rondine* appellatus, à græcis χελιδών, à latinis ve
rò *Hirundo* dicitur. Nec me latet ſequentem etiam piſcem in or-
E dine noſtro ſexageſimum octauum, tum Romæ, tum locis ali-
js permultis *Peſce Rondine* vocari; ob idque à iunioribus ferè
Juniorum ferè omnium error
omnibus Hirundinem veterum creditum eſſe. Verùm nos ſe-
cus ſentientes illum ſexageſimum octauum (vt in ſequente do
cebimus hiſtoria) Miluum, hunc verò ſexageſimum ſeptimum Hirundinem eſſe
aſſeueramus. Nec id citra rationem; Primùm enim, ſi hunc Hirundinem eſſe non
ſtatuerimus, cum neque Miluus, vt ſequente dicetur hiſtoria; neque vllus alius anti-
quorum piſcis cenſeri poſſit; innominatus & tãquam antiquis incognitus derelinque
tur. Quòd licet nonnullis piſcium neceſſariò accidat (haud enim omnes ab antiquis
cognitos deſcriptoſque fuiſſe arbitrãdum) illi tamen, quibus aptè ac veriſimilibus
F coniecturis aptari nomina poſſunt (cuiuſmodi hic noſter eſt) innominati ac ceu ve-
teribus ignoti temerè derelinquendi non ſunt. Præterea cum aut hunc aut ſexageſi-
mum octauum Hirundinem eſſe oporteat (nullus enim alius præter hos, piſcis eſt,
qui ab aliquo unquam Hirundo creditus ſit, credíue poſſit) cumque ſexageſimus
octauus (vt hiſtoria ſequente declarabitur) Hirundo cenſeri nequeat; reliquum eſt, vt
hunc Hirũdinem eſſe fateamur. Poſtremò eius etiam vulgaris nomenclatura id te-
ſtari videtur; cum (vti diximus) pleriſque locis *Peſce Rondine* dicatur. Verùm cum ſexa
geſimo quoque octauo æquè vulgaris faueat nomenclatura, vt qui etiam locis per-
multis *Peſce Rondine* vocetur; ea quæ piſci Hirundini ex antiquis authoribus debentur,
contemplemur; vtri eorum magis conueniant perpendentes. [a] *Latas igitur & longas pinnas* [a] Hiſt. lib. 4. cap. 9.
G *habere, quibus ſublimes haud quaquam mare attingentes, volitantes ſtrepitum aliquem faciũt,*
quod de Hirundine ſcripſit Ariſtoteles, æquè vtrique conuenit; Verùm [b] *ſanè perquàm* [b] Lib. 9. cap. 26.
ſimilem uolucri Hirundini eſſe, vt de Hirundine piſce teſtatur Plinius, huic ſexageſimo ſepti-
mo (quippe qui pinnis alas æmulantibus, cauda, capite, ac totius corporis tum figu-
ra tum colore, volucrem Hirundinem imitatur) pleniùs adeo quàm illi ſexageſimo
octauo reſpondet (cui pinnis demptis, quæ neque etiam ad volucris Hirundinis ala-
rum ſimilitudinem proximè adeo vt huius noſtri accedunt, nihil cum volucre Hirũ
dine conuenit) vt iurè hunc Hirundinem eſſe dicamus. Nec eſt vt quiſpiam obijciat,
H [c] *Cuculo ac Mullo ſimilem eſſe*, quod de Hirundine aſſeruit Speuſippus; [d] *ac duris ſtimulis pugnare*, [c] Athen. lib. 7. fol. 162. 8.
quod Hirundini tribuit Oppianus; ſexageſimo octauo probè, ſexageſimo verò ſepti- [d] Lib. 2. fol. 127. 58.
mò nullo modo conuenire; ob idque non hunc, ſed illum Hirundinem eſſe. Nam
Speuſippi locus ſuſpectus.
quòd ad Speuſippum attinet, ſuſpectus eius videtur locus; quando ſicuti Cuculus (vt
hiſtoria ſexageſima quarta declarabitur) ſi pauculam coloris ſimilitudinem excepe-
ris, Mullo ſimilis non eſt; ſic licet ſexageſimum octauum piſcem Hirundinem feceri
mus; non tamen vlla erit Hirũdinis cum Mullo ſimilitudo; vt in hiſtoria etiam octoge
ſima ſeptima explicabitur. Quòd verò ad Oppianum ſpectat, neque etiam eius ap-
probãda ſententia eſt. Recenſurus enim præcitato loco piſces, qui duris ſtimulis pu-
Oppianus notatur.
gnant, Scorpium, Gobium, Canem à centris (quibus inſtructus eſt) Centrinam vo
catum, Draconem, Hirundinem, Paſtinacam, & Gladium numerans; ſicuti perpe

ram eis Gobium ascribit, vt qui tantùm abest vt vllo armatus sit stimulo (vti historia Octogesima prima manifestabitur) vt sit etiam Ouidio authore, [e] *Lubricus & spina nocuus non Gobius ulla*; sic eis etiam Hirundinem malè annumerasse suspicandum est; & vel maximè, cum ipse alibi [f] *Hirundinem mitem appellet*; quo quidem epitheto, nec conuenit, nec ipse solet in illis vti piscibus, qui aculeis horrent. Tum itaque his, tum illis etiam, quæ in sequente historia dicemus, hunc sexagesimum septimum piscem nostrum, veterum græcorum χελιδόνα, latinorum verò Hirundinem esse, abundè comprobari arbitramur. A

[e] Infrag. fol. 37. 24.
[f] Lib. 1. fol. 113. 53. & 58.

DESCRIPTIO.

Hirundo, sicuti pinnarum & caudæ dempta magnitudine, proximè ad Mugilis accedit similitudinem; sic cum suas explicat pinnas, eam volucri Hirundini sanè perquàm similem esse (quòd, vt diximus, de Hirundine pisce testatum reliquit Plinius) nemo sanæ mentis inficiari potest. Capite enim est rotundiusculo; rostro acuto; ore paruo, & prorsus edentulo; inferiore maxilla paulò quàm superior, prominentiore; oculis rotundis, & maximis; & branchijs vtrinque quaternis. Prope quas binas pinnas (vtrinque scilicet vnam) [g] *latissimas atque longissimas* habet; ita vt corpus totum longitudine æquent; aliasque binas his multò minores, magnas tamen, in ventre; sed multò inferiore ventris parte, quàm in piscibus reliquis ventris pinnæ esse soleant. In dorso vnica pinna est breuis, nullis munita aculeis, & caudæ satis vicina; è cuius ferè regione altera paulò minor imo ventri statim ab ano subest. Caudæ etiam pinna magna & lunata est, cuius inferior pars superiore latior atque maior extat. Linea quæ in cæteris piscibus à branchijs, vel à capite per latera ad caudam ducitur, in hoc à pinnis ventris orta per imum ventrem ad caudam fertur. Squamis tegitur latis. Venter albicat, dorsum (quod Mugilum more latiusculum habet) ex cœruleo nigricat. Aristotele teste, fellis vesicam habet seorsum à iecore intestinis commissam; & si Theodorus (nescio qua ratione ductus) id in sua traductione omiserit. Et præterea cum apud Athenæũ à Diphilo dici legamus, [h] *proportionem cum Pelamide habet οἱ χελιδονίας, & si paulò durior sit*, ὁ δὲ χελιδὼν, id est, *Hirundo autem, quæ Polypo est similis, succum suum habet, qui bonum colorem facit, & sanguinem mouet*; *At Orcynus lutulentus est & maior, & Chelidoniæ carnis duritie similis*; aut locum hunc deprauatum suspicari debemus, aut tum Chelidoniam (vt in historia vigesima sexta) tum Chelidonem (vt in historia quinquagesima quarta diximus) diuersos pisces esse ab Hirundine (de qua hîc agimus) arbitrari oportet. Nam hæc vti tum à Pelamide tum à Polypo corporis figura prorsus discrepat; sic neutri duritie aut teneritudine carnis conferri debet; quando figura consimiles, & non toto genere diuersos pisces, carnis duritie atque teneritudine inter se comparare consueuerint scriptores.

B C D

[g] Hist. lib. 4. cap. 9. Aelia. lib. 12. cap. 59.
[h] Lib. 8. fol. 178. 3.

Theodori lapsus.

Suspitio mendi in Athenæo.

LOCVS.

Marinus piscis est Hirundo; & iurè [i] *Inter pisces maris peculiares* recensetur à Plinio; cum nusquam subire flumina visus sit. Neque enim Massario assentiendum est scribenti, [k] In quodam Mauritaniç flumine, inquit Srabo, Hirundines pisces gigni septenum cubitorũ, *quæ gulam perforatam habeant, per quam respirent*; cum Strabo de [l] *Hirundinibus*, & non de *Hirundinibus piscibus* id testatum reliquerit. Haud omnibus maris locis, sed in nonnullis solùm reperitur, & capitur Hirundo; Romæ enim perrarò admodum conspicitur.

[i] Lib. 32. cap. xi.
[k] In Castig. in lib. 9. Plin. cap. 16.
[l] Lib. 17. fol. 784.

Massarij error.

NATVRA, ET MORES.

Vt testis est Oppianus, [m] *Mitis piscis est Hirundo*. Et propterea (vt supra etiam admonuimus) alter locus eius, in quo [n] *Inter pugnaces, atque duris aculeis armatos pisces, Hirundinem* connumerat; haud ab re suspectus videtur. Non carne sed alga ac cæteris maris sordibus vescitur. Authore Aristotele, [o] *Marinæ Hirundines, quæ sublimes uolitant, haud quaquam* mare attingentes, sunt enim iis pinnę latę & longę, stridere sentiũtur. Vt igitur per volatum auium strepitus, quem alę excutiunt, nulla vox est; ita nec eiusmodi sonus vox appelletur. Quòd volent autem Plinius etiam testis est, inquiens (vt citauimus) [p] *Volat Hirundo sanè perquam similis uolucri Hirundini*, Cur verò & quàm sublimè volitent, Aelianus edocet his verbis [q] *Accipitres marini, Hirundo pelagia cum quippiam metuunt ex mari exilire dicuntur; Ac Hirundines quidem* pinnarum longissimo & sublimi tractu gregatim more auium efferri; Accipitres vero paulò supra summam aquam maris tolli solent; vt ad iudicandum sit difficile, natent ne an volitent. Et Oppianus his

[r] Lolligo Miluusque rapax & mitis Hirundo
Cum timeant magnum venientem è marmore piscem
Ex mare prosiliunt scindentes aera branchis,
Non volucrum species, non est Lolligo natantum,
Turmatim fertur ponto, gestitque volare,
Inferiùs multò se tollit mitis Hirundo,
At radunt summam Milui lati ęquoris vndam,
Hos nanti similes dices, similesque volanti.

In Oppianum animaduersio.


m Lib. 1. fol. 113. 53.
n Lib. 2. fol. 127. 58.
o Hist. lib. 4. cap. 9.
p Lib. 9. cap. 26.
q Lib. 12. cap. 59.
r Lib. 1. fol. 113. 53.

E

F

VT SAPIAT, VT NVTRIAT, ET VT CONDIATVR.

Esi inter sapidos pisces connumeranda non sit Hirundo; non tamen prorsus contemni debet. Carnem habet duriusculam, & propterea non facilem concoctu; sed vbi concoquatur, plurimùm nutrientem. Elixa magis commendari solet.


N. G. ἱέραξ.
L. Miluus.
V. Rondine.

HISTORIA SEXAGESIMA TERTIA.

DE MILVO.

NOMEN.



VM hic sexagesimus octauus piscis noster Romæ, ac plerisq; alijs locis *Pesce Rondine* vocetur, Græcorum χελιδὼν, Latinorum verò *Hirundo* à Iunioribus creditus est. Verùm cum huiusmodi vulgaris nomēclatura non minus sexagesimo septimo quàm huic sexagesimo octauo imposita sit, cumque [a] *volucri Hirundini sanè perquā similem esse*, quod pisci Hirundini (Plinio authore) debetur; pleniùs multò illi quàm huic (vt præcedente historia monstrauimus) respondeat; iurè vti illum *Hirundinem*, ita hunc *Miluum* esse asserimus. Et vel maximè, nam si hunc Hirundinem esse vellemus; aut nostrum sexagesimum nonum piscem, aut septuagesimum primum (sicuti & illi faciunt) aut sexagesimum septimum, Miluum facere cogeremur; cum nullus alius habeatur piscium præter hos, qui Miluus censeri possit. Sed sexagesimus nonus piscis noster cum rubro sit tergore, Miluus verò (authore Plinio vt infra citabimus) tergus habeat nigrum; cumque Miluus (vt infra etiam dicemus) super aquam volitet, ille verò tum ob capitis magnitudinem, tum ob alarum paruitatem ad volandū (etsi alioqui magnæ sint) volare nequeat, Miluus (ut falsò credit Massarius) esse non poterit, vti in historia sexagesima quarta explicabimus, ipsum Cuculū esse demonstrantes. Pari etiam ratione septuagesimus primus noster piscis, quippe qui ad volandum ineptus magis videatur, non Miluus sed Coruus est, vt in historia sexagesima sexta declarabimus. Postremò nec sexagesimus septimus (vt sequēte patebit descriptione) Miluus esse potest. Quā ob rem hunc Miluū esse, asserendū est. Hic itaq; sexagesimus octauus piscis, quē Romæ (vt diximus) *Rondine*, ac Hispani *Volador* appellāt; à Græcis ἱέραξ, & ab Oppiano ἴρηξ; à Latinis verò Miluus dicitur. Nec si auis græcorum ἱέραξ Accipiter, ἰκτῖνος verò Miluus à latinis vertitur, dubitandum est, quin piscis Miluus, ἱέραξ piscis sit. Nam [b] Plinio *ea Miluo* tribuente, *quæ* [c] *Hieraci* ex Oppiano debentur, ἱέρακα Miluum esse manifestissimum fit. Arbitrorque illum latinorum, qui primus hunc piscem Miluum appellauit, græco eius nomine ignorato, à volatu (vnde etiam eum græci ἱέρακα vocarunt) Miluum vocasse. Appellatur præterea ab eodem Plinio (vt clariùs in piscis descriptione docebimus) etiam [d] *Lucerna*; necnon aliquando (vt infra dicemus) [e] *Miluago*; à Petro verò Gyllio in Aeliani versione græci nominis rationem sequuto [f] *Accipiter*.

A

B

Massarij error.

C

[a] Lib. 9. cap. 26.
[b] Lib 9. cap. 27.
[c] Lib. i. fol. 113. 53.
[d] Lib. 9. cap. 27. lib. 32. cap. xi.
[e] Lib. 32. cap. 2.
[f] Lib. 12. cap. 59.

DESCRIPTIO.

D

Miluus rostro est breui & recuruo, ore paruo & edentulo, in inferiore rostri parte sito; labijs crassis; oculis rotundis, magnis, et splendentibus; capite osseo, non læui sed cælato, quadrangula ferè figura, posteriore parte duobus aculeis magnis & robustissimis ad caudam spectantibus armato. Branchias vtrinque quaternas osseo operculo in longum robustum & acutissimum aculeum desinēte, contectas habet; propè quas binæ sunt pinnæ, vtrinque scilicet vna, Hirundinis instar lōgissimæ & latissimæ;

è quarum regione aliæ duæ paruæ ventri hærent. In dorso aliæ etiam duæ anterior & minor vna, posterior & maior altera, eriguntur; vnaque alia imo ventri à podice subest. Cauda vnica atque lata pinna terminatur. Corpus oblongum est & rotundum. Squamis osseis & triangularibus, interse serpentium more commissis tegitur; quæ cum non æquè omnes asperæ & triangulares sint, læuium squamarum ordinibus (non secus quàm plerique serpentium) lineis quibusdam Miluus pingitur, asperarũ striatus, asperrimarum verò angulosus ac ferè quadrangulus efficitur. Ventre est
E subalbido, capite & lateribus subrubris, dorso ex rubro nigricante. Quod Ouidius etiam testatur dicens. [g] *Et nigro torgore Miluus*. Maculis præterea ex cæruleo virentibus dorsum, & grandiores pinnæ notantur. Lingua palatum & reliquæ internæ oris partes rubicundæ splendentesque sunt; quibus serena nocte emicat. Quod Plinius etiam his notauit verbis; [h] *Item Miluus sibit in summa maria, Piscis ex argumento appellatus Lucerna, lingua que* (vel vt nos ex vetusto manuscripto codice emẽdauimus, Lingua, qua) *ignea per os exerta tranquillis noctibus relucet*. Vbi aduertendum est in impressis plinianis codicibus mendosè legi in fine vigesimi sexti capitis, *Item Miluus*, ac si Miluus alius piscis esset ab eo, qui ex argumento appellatur Lucerna; cum id principium esse debeat capitis vigesimi septimi; vti tum ex vetustissimis manuscriptis exemplaribus, tum ex Oppiano & Aeliano cognosci potest; quippe qui (vt infra etiam declarabimus) per summa maria Miluum deferri testantur. Qui quidem Miluus Plinij testimonio ex argumento Lucerna etiam appellatur. Vnde & ipse Plinius cum in suo piscium catalogo, [i] *Lucernam* connumerasset, Milui non meminit. Ventriculum habet mediocrem, multis munitum appendicibus; hepar pallidum, cui fellis vesica commissa est; lienem oblongum & subrubrũ; vterum bifidum, rubentibus ouis refertum. Sesquipedalem mensuram, vel maximè auctum, nunquã superasse vidimus. Athenæo authore, [k] *uti Cuculo durior, sic ei rebus aliis similis est*; quo etiam argumento, vti hunc piscem nostrum sexagesimum octauum Miluum esse comprobatur; cum sexagesimo nono pisce nostro, qui (vt sequente historia declarabitur) Cuculus est, verè durior, eique rebus aliis similis sit; sic sexagesimum septimum nullo modo Miluum censeri posse, manifestissimum
G fit; cum neque Cuculo durior, neque ei rebus alijs similis sit.

Plinij locus castigatur.

Plinij locus alter corrigitur.

F

[g] In frag. fol. 36. 17.

[h] Lib. 9. cap. 27.

[i] Lib. 32. cap. xi.

[k] Lib. 8. fol. 177. 32.

LOCVS.

Marinus piscis est Miluus, nullibi enim (quòd sciamus) flumina subit. Non litora sed altum pelagum incolit. Vnde iurè ab Ouidio, inter pisces, qui pelago gaudent, recensetur his versibus.

[l] Descripsit sedes varias natura profundi.
Nec cunctos vnà uoluit consistere pisces.
H Nam gaudent pelago, quales Scõbrique Bouesq;
Hippuri celeres, & nigro tergore Milui,
Et pretiosus Helops nostris incognitus vndis,
Ac durus Xiphias, ictu non mitior ensis,
Et pauidi magno fugientes agmine Thynni.
Parua Echeneis adest, mirũ, mora puppibus ingẽs,
Tuque comes ratium, tractique per æquora sulci

[l] In frag. fol. 36. 14.

Qui ſemper ſpumas ſequeris Pompile nitentes.
Cercyroſque ferox ſcopulorum fine moratus,
Cantharus ingratus ſucco, tum concolor illi
Orphas, cæruleaque rubens Erythinus in vnda,
Inſignis Sarguſque notis, inſignis & alis,
Et ſuper Aurata Sparulus ceruice refulgens,
Et rutilus Pagur, & fului Synodontes, & ex ſe
Concipiens Channe gemino fraudata parente.
Tum viridis ſquamis paruo ſaxatilis ore, A
Et rarus Faber, & pictæ Mormyres, & auri
Chryſophrys imitata decus, tũ corporis Vmbra
Liuentis, rapidiq́ue Lupi, Percæque, Tragique.
Quin laude inſignis caudæ Melanurus, & ardens
Auratis Muræna notis, Merulæque virentes,
Immitiſque ſuæ Conger per vulnera gentis,
Et capitis duro nociturus Scorpius ictu,
Ac nunquam æſtiuo conſpectus ſydere Glaucus. B

Vti autem haud locis omnibus reperitur Miluus, ita ferè nuſquam frequens capi ſolet. Romano foro piſcatorio, quod toto anno diebus ferè ſingulis maximè venalibus piſcibus abundare ſolet, vix deni ſingulis annis conſpiciuntur.

NATVRA, ET MORES.

Et ſi edentulus piſcis ſit Miluus, carniuorus tamen eſt. Non ſolitarius ſed gregalis; nec obſtat enim, quòd non plures vnà, ſed ſinguli ferè ſemper capiantur; nam vti propterea quòd pelagij ſunt, ad litora (circa quæ maximè piſcari ſolent piſcatores) C non niſi rarò ac ſinguli adnatant; ſic pleriſque locis per altum mare magno agmine volitare videntur. Cur volitent autem, & quando, declarat Aelianus inquiens [m] *Accipitres marini Hirundo pelagia cum quippiam metuunt, ex mari exilire dicuntur; ac Hirundines quidem pinnarum longiſſimo & ſublimi tractu gregatim more auium efferri; Accipitres uerò paulò ſupra ſummam aquam maris, ut adiudicandum ſit difficile, natent ne an uolitent.* Quod etiam hiſce verſibus tranſcripſit Oppianus.

[m] Lib. 11. cap. 59.

[n] Lib. 1. fol. 113. 53.

[n] Loligo Miluuſque rapax & mitis Hirundo,
Cum timeant magnum venientem è marmore piſcem
Ex mare proſiliunt ſcindentes aera branchis.
Non volucrum ſpecies, non eſt Loligo natantum,
Turmatim fertur ponto, geſtitque volare. D
Inferiùs multò ſe tollit mitis Hirundo.
At radunt ſummam Milui lati æquoris vndam,
Hos nanti ſimiles dices, ſimileſque volanti.

Idemque ante ipſos teſtari videtur & Plinius, cum (vti diximus) ſcribat, [o] *Item Miluus ſubit in ſumma maria.* Eodem præterea teſte, [p] *Miluago quoties cernatur extra aquam uolitans, tempeſtates mutari Trebius Niger author eſt.* Quo quidem loco Miluago, cuius ipſe ſolus (quod ſciam) meminit, Miluus dubio procul ab ipſo vocatur. Solent autem volare Milui ad lapidis iactum. Poſtremò cum idem Plinius (vt ſupra etiam citauimus) ſcripſerit, [q] *ſu-*

[o] Lib. 9. cap. 27.

[p] Lib. 32. cap. 8

[q] Lib. 9. cap. 27.

bit insumma maria piscis ex argumento appellatus Lucerna, *lingua qua ignea per os exerta tranquillis noctibus relucet*; vti Miluum lingua ignea (quam vt diximus, rubicundam & splendentem habet) serenis noctibus emicare, & propterea Lucernam vocari verè asserit; sic haud propriè illam per os exeri, exertamúe esse dicit; quando Milui lingua non secus quàm & reliquorum ferè omnium piscium adiacētibus oris partibus firmiter adèo affixa sit, atq; hæreat, vt exeri nullo prorsus modo possit. Vnde lingua non exerta, sed ore tantùm aperto tranquillis noctibus relucere, credendus est Miluus.

Plinius notatur.

E


VT SAPIAT, VT NVTRIAT, ET VT CONDIATVR.

Miluus quemadmodum ob suam raram formam gratus est oculis; ita ob suam iniucunditatē ingratus palato existimatur. Vnde à plerisque ceu rarus piscis spectatoribus seruandus, exiccari tomentoque repleri potius quàm edi solet. Carnem paucam habet, eamque valde duram. Quamobrem iurè (vt supra etiā citauimus) apud Athenæum à Diphilo,

F

[r] *Durioris carnis Miluus quàm Cuculus esse* censetur. Et propterea si edatur, ægrè concoquitur; concoctus verò haud parùm nutrit. Si comedendus autem sit, elixari debet.

[r] Lib. 8. fol. 177. 32.


P. 69
G. κόκυξ.
N. L. Cuculus.
V. Capone.

HISTORIA SEXAGESIMA QVARTA DE CVCVLO

NOMEN.



EXAGESIMVS nonus piscis noster, Romæ *pesce Capone*, à Neapolitanis & Siculis *Cocco*, à Liguribus *Organo*, à Venetis *Lucerna*, à Massiliensibus *Galline*, & à Gallis *Rouget* vocatus; à Græcis κόκκυξ, à Latinis verò Cuculus dicitur; [a] *Propterea quòd* (authore Aristotele) *Cuculi auis more obstrepat*. Massarius tamen, [b] *hunc non Cuculum, sed Miluum facere* videtur, sed falsò. Nam cum [c] *nigro tergore sit Miluus*, vt testatur Ouidius; hic cui tergus rubet, Miluus non erit. Præterea cum veterum testimonio super aquam Miluus volitet; hic quippe qui magnas adeo alas non habet (& si grandiores sint) vt eis volare possit; quique capite ita permagno est, vt ad volandum idoneus prorsus non videatur, Miluus esse non poterit. Nec obstat quòd à Venetis *Lucerna* vocetur, vti Miluum à Plinio *Lucernam* vocari, in superiore diximus historia; quando vulgares nomenclaturæ fortuitu potius quàm ratione vlla sæpe imponi soleant. Quamobrem vti præcedente historia sexagesimum octauum piscem, Miluum esse statuimus; sic hunc, Cuculum esse dicamus. Quòd non solùm Siculorũ ac Neapolitanorum nomenclatura indicat (ab eis enim Cocco, quasi Coccyx dicitur) sed illa etiam omnia, quæ Cuculo à veteribus tribuuntur, demonstrant; vt quæ huic pisci nostro probè (quemadmodum procedente historia declarabitur) respondeant.

[a] Hist. lib. 4. cap. 9.
[b] Fol. 160.
[c] In fragm. fol 36. 17.

A — Massarij error. — B

DESCRIPTIO.

Authore Speusippo apud Athenæum; [d] *Cuculus Hirundo & Mullus similes sunt*; & vt apud eundem testatur Typhon, [e] *nonnulli arbitrati sunt Trigolam Cuculum esse, propter similitudinem*. Verùm siue in saporis bonitate, siue in carnis duritie & teneritudine, siue in corporis forma hanc esse velimus similitudinem, eam modiculam esse, fateamur oportet; vt ex Mulli & Cuculi comparatione intelligi potest; nam vt hic illo durior & insuauior est; sic ab illo (modica coloris dempta similitudine) corporis forma plurimùm distat. [f] *Est tamen* (vt author est apud Athenæum Diphilus) *Cuculus rebus plerisque similis Miluo*. Habet enim caput magnum, osseum, cælatum totum, & angulosum, aculeisque non nullis munitum. Nam præter id quòd rostrum in duas latiusculas eminentias semicirculum constituentes terminatur; super vtrunque oculum supercilij loco breuis sed acutissimus ac durissimus aculeus extat; posteriorque ac superior capitis pars duobus alijs consimilibus aculeis horret; ac vtrunque branchiarum operculum alio sed longiori aculeo (Draconis marini instar) armatur; statimque à branchijs vnus alius horum omnium lõgissimus vtrinque prominet. Oculi magni sunt. Os etiam satis latum ac edentulum; maxillæ verò extrema sui parte asperiores dentium vice extant. In vtroque latere à branchijs sub maiore illo aculeo pinna subrubra, maior quã in piscibus alijs, minor verò quàm in Hirundine & Miluo, enascitur; ex cuius regione in ventre vtrinque altera minor, & minus rubra exoritur. Inter has autem vtrinque etiam terni cartilaginei cirri pendent. A capite per dorsum vsque ferè ad caudam duo acutissimorum aculeorum ad caudam ipsam spectantium ordines deducuntur. In quorum medio duæ pinnæ conspiciuntur, vna capiti proxima breuior, sed latior

[d] Lib. 7. fol. 162. 8.
[e] Lib. 7. fol. 162. 9.
[f] Lib. 8. fol 177. 32.

C — Speusippus notatur. — D

nouemque fortissimis aculeis horrida; altera lõgior, sed strictior, ac nullis armata aculeis. Ventre est plano, Milui instar. Excrementorum orificium in medio ventre est, à quo alia exorta pinna ferè vsque ad caudam extenditur. Squamulis tegitur tenuissimis, ita vt squamis carere videatur. Capite, dorso, lateribus, ac pinnis rubet. Vnde iure [g] *Rubrum Cuculum uocauit Numenius*, apud Athenæum. Ventre est candido, aliquibus verò capitis partibus argentum æmulatur; quapropter apud eũdem Athenæum non ab re [h] *Splẽdidus Cuculus uocari uidetur ab Epicharmo*. Corpus totũ rotundũ est, carnosum, ac densum. Branchias vtrinque quaternas habet & duplices; ventriculum satis carnosum, cum multis appendicibus; intestina admodum lata, satis oblonga, inter se conuoluta, & multa pinguedine obducta; hepar subalbidum; splenem rubrum & paruum. Eorum quos vidimus, maximus tres libras non superauit. g Lib. 7. fol. 154. 49. h Lib. 7. fol. 154. 45.

E

LOCVS.

Cuculus maris peculiaris est piscis, nunq̃ enim ad flumina adnatat; & inter pisces litorales recensetur ab Oppiano his versibus.

[i] Hippi, Coccyges celeres, flauique Erythini,
Et Cithare, Triglęque simul, tenues Melanuri,
Trachuronque greges, Buglossęque, & Platanuri,
Tęniaque imbellis, pictus quoque Mormylus, atque
Scombri, & Cyprini, stabulantur littora iuxta. i Lib. 1. fol. 108. 23.

F

Aristoteles verò, [k] *Piscibus ambigẽtibus, qui scilicet partim pelagus, & partim litora incolũt, eum adnumerat.* k Hist. lib. 8. cap. 13.

NATVRA, ET MORES.


Non solùm alga ac reliquis maris purgamentis, sed crustatis etiam atque testatis minoribus vescitur Cuculus; vnde dissectus his omnibus repletum ventriculum ostẽdere solet. Oppiani (loco supracitato) testimonio celeris est; cuius celeritatis causam, pinnarum magnitudinem esse arbitramur; quibus (etsi volare, vt supra diximus, nequeat) celeriter moueri credendus est. Vt autem Aristoteles prodidit, [l] pisces vocis quidem expertes sunt, quippe qui neque pulmonem neque arteriam aut guttur obtineant; sed sonos quosdam stridoresque mouent, qui vocales esse existimantur, vt Lyra, vt Chromis; his enim quasi grunnitus quidam emittitur; Aper etiam piscis, quem amnis Achelous gignit, vocalis habitus est, & Erica, & Cuculus; alter enim quodammodo stridet, alter perinde vt Cuculus auis obstrepit, vnde nomẽ accepit. Quę omnia creditã illã vocẽ emittunt, aut attritu branchiarum, quas horridiusculas continent, aut suis interioribus, quę circa ventrem habẽt, spiritus enim inclusus in his est, quẽ dum atterũt, atque agitãt, sonos illos elidũt. l Hist. lib. 4. cap. 9.

G

VT SAPIAT, ET VT NVTRIAT.

H

Haud insuauis piscis est Cuculus, non tamen cum suauissimis conferẽdus; carnem habet plurimam, eamque albam & duram. Vnde & Galenus Philotimum sequutus ait [m] *Dracones & Cuculi omnibus ijs, qui ipsis uescuntur, duram habere carnem manifestè apparent*. Miluo tamẽ minus durus est, vt testatum reliquit apud Athenæum Diphilus scribens, [n] *Miluus autem durior est cuculo*. Et licet duriusculæ carnis sit, cum eam tamen friabilem habeat; haud temerè salubris piscis censetur à plerisque. Apud eundem [o] *Epicharmus dissectos Cuculos assari, atque condiri iubet. Dorion uerò eos priùs per dorsum diuisos, assandos, atque* (ni mendũ sit) χλόη, id est, *uirenti herba, caseo, malo punico, laserpitio, sale, & oleo condiendos esse asserit*. Hodie frixos etiam, ac arancij mali succo cõspersos edimus. Sunt præterea qui neque in aqua elixos aspernẽtur. m Clas. 2. fol. 30. B. n Lib. 8. fol. 177. 32. o Lib. 7. fol. 154. 45.


P.76
N. G. λύρα
L. Lyra
V. Capone.

HISTORIA SEXAGESIMA QVINTA DE LYRA

NOMEN.



EPTVAGESIMVM nostrum piscem, quem Romæ communi nomine (non secus quàm præcedentem) *pesce Capone*, & propria nomenclatura *pesce forca*, vocant, Ligures verò & Massilienses *Malarmat* appellant, Græcè ab Aristotele A
λύραν, latinè à Theodoro *Lyram* vocari arbitramur. Nam sicuti
[a] Hist. lib. 4. cap. 9.
[a] Inter pisces, qui aut attritu branchiarum (quas horridiusculas habent) aut suis interioribus (quę circa ventrem continent) sonos quosdã stridoresque mouent; & propterea vocales esse existimantur; Lyra ab Aristotele (vt infra latiùs dicemus) *connumeratur*; sic hic noster osseis operculis contectas habet branchias; quibus dimotis, non minus quàm Cuculus stridulus est. Ad hoc accedit, quòd cum Lyra piscis, vel quia Lyræ instar sonum reddat, vel quia Lyræ similitudinem repræsentet, dici videatur; Iste noster vtraque ratione Lyra censeri potest. Osseis enim branchiarum operculis sonorus est (vt diximus) ac suis cornibus, ita ad antiquæ Liræ accedit similitudinem, vt eam non ineptè repræsentet.
[b] Hist. lib. 2. cap. 17.
[c] Lib. 1. fol. 108. 24.
[d] Clas. 2. fol. 29. H.
[e] Lib. 17.
[f] Lib. 7. fol. 152. 48.
[g] Lib. 11. cap. 39.
[h] Lib. 32. cap. 11.
Aduertendumque est, *κίθαρον* (*cuius* [b] Aristoteles [c] Oppianus, [d] Galenus, [e] Strabo, [f] Athenæus, [g] Aelianus [h] Pliniusque *mentionem fecerunt*) diuersum piscem esse à Lyra; B
vti rursus, & explicatiùs in Cithari historia, quam secundo libro nostro habebis, declarabimus. Nemo enim Citharũ, sicuti Aristoteles Lyram, vocalem fecit; ipseque Aristoteles synonymis nominibus vti insolens, vtriusque meminit. Et Galenus Citharum Rhombo similem statuit; cum hic noster, quem Lyram esse satis persuasum credimus; à Rhombo plurimùm distet. Vnde Lyræ piscis, hucusque non nisi Aristotelem, eumque semel tantùm meminisse reperimus. Et si nos non lateat, in dubium verti posse (vt sequẽte dicemus descriptione) an Plinius etiam Lyræ mentionem fecerit.

DESCRIPTIO. C

Septuagesimus noster Piscis, quem (vt diximus) Lyram esse credimus; caput habet osseum, angulosum aculeis & eminentijs plurimis asperum; cuius anterior pars
[i] Lib. 9. cap. 10.
in duo longa, lata, & retusa cornua degenerat. Vnde cum Plinius, de Testudinibus agens, inquiat [i] *Troglodytæ cornigeras habent, ut in lyra, annexis cornibus latis*; si de lyra pisce, cuius nusque aliâs meminit, intelligit; hoc idẽ asseuerat. Quòd si non de pisce, sed de musico instrumento, eius intelligenda sint verba; hunc saltem piscem nostrum (vt qui cornibus, non secus quàm lyra musicum instrumentum, munitus sit) non temerè à nobis Lyram credi comprobatur. Sub quorum cornuum exortu os est satis amplum, rotũdum, & edentulum. Inferiori maxillæ cirri quidam breues & cutacij hæ- D
rent. Oculi magni sunt, superiore parte aculeis multis muniti. Branchias vtrinque quaternas habet, quarum ossea opercula, non solùm media sui parte, longa & aspera ossea eminentia armantur; sed etiam posteriore (marini Draconis instar) aculeis muniuntur. Ad branchias, vtrinque pinnam vnam habet paruam & rubentem; è cuius regione, in ventre etiam vtrinque vna alia minor & minus rubra exoritur. Inter quas cartilaginei cirri non terni, vt in Cuculo; sed bini vtrinque pendent. In dorso non vnica, sed duæ eriguntur pinnæ; quarum prior, minor est & breuior, in longasque admodum & rubentes setas degenerans; posterior verò, maior & longior; à medio enim dorso ad caudam vsque deducitur; neutra vllo munita est aculeo; sub

ventre, ab ano, alia vna eiusdem ferè magnitudinis & figuræ cum posteriore dorsi, ad caudam ducitur. Cauda verò in vnicam & paruam pinnam desinit. Ossearum atque grandium squamarum, (quæ media sui parte acutissimo, recuruo, atque ad caudam spectante aculeo muniuntur) octonis ordinibus tegitur; vnde sicuti asper totus, ita etiam octangulus redditur; paucamque admodum carnem habet. Ventre est subalbido; pinnis, cauda, atque corpore ferè reliquo rubet. Ventriculum habet exiguum, cum non multis appendicibus; hepar grandiusculum, & pallidum; ex quo fellis vesica pendet; splenem etiam paruum & subrubrum. Qui Romam deferuntur eiusdem sunt magnitudinis. Sicuti enim semper ad palmi accedunt mensuram; Sic
E eam excedunt ferè nunquam.

LOCVS.

Lyra peculiaris piscis est maris; in dulci enim aqua nusquam (quod sciamus) reperitur. In mari verò frequens satis, vbique ferè habetur. Litora potius quàm pelagum incolit.

NATVRA, ET MORES.

Lyra non carne sed marinis sordibus vescitur. Gregalis est; & propterea sæpe earum plures vnà captas cõspicimus. vt verò prodidit Aristoteles, [k] *Pisces uocis quidem expertes sunt;*
F quippe qui neque pulmonem, neque arteriam, aut guttur, obtineant. Sed sonos quosdã, stridoresque mouent; qui vocales esse existimantur; vt Lyra, vt Chromis; his enim quasi grunnitus quidam emittitur. Aper etiam piscis, quem amnis Achelous gignit, vocalis habitus est; & Erica & Cuculus; alter enim quodam modo stridet; alter perinde vt Cuculus auis strepit; vnde nomen accipit. Quę omnia creditam illam vocem emittunt, aut attritu branchiarum, quas horridiusculas continent; aut suis interioribus, quę circa ventrem habent; spiritus enim *inclusus in his est; quem dum atterunt atque agitant, sonos illos elidunt.* Quibus quidem verbis, non solùm creditis vocalibus piscibus Lyram adnumerat; sed quo etiam modo sonum grunnitùmue illum, quem vocem existimant non nulli, efficiat, edocet. Quæ omnia huic septuagesimo pisci nostro exactè (vt dictum est) respondent. Verùm mirari conuenit, cur nemo alius veterum Lyræ meminerit; & maximè cum Plinius hunc Aristotelis locum legerit, atque ferè transcripserit his verbis, [l] *Sed & cæteri pisces quanuis pulmone &*
G arteria careant; non intotum sine vllo sono sunt; stridorem cum dentibus fieri cauillantur. *Et is qui caper uocatur, in Acheloo amne grunnitum habet; & alij de quibus diximus.*


[k] Hist. lib. 4. cap. 9.

[l] Lib. 11. cap. 51.

QVALEM CARNEM HABEAT ET VT CONDIATVR.

Carnem habet duriusculam, Milui instar; eamque paucã adeo, vt haud multùm incibis expeti soleat. Totus enim ferè osseus squameúsue existit. Vnde facillimè & breui tempore exiccatur; exiccatusque in domibus à nonnullis suspenditur; vt ex eo, ex qua mundi parte ventus spiret, non minus quàm ex Orbe pisce intelligant. Vt enim Orbis (quemadmodum
H in historia septuagesima secunda notauimus) suspensus os suum semper ad eam cœli regionem conuertere creditur, ex qua ventus flat; sic hunc, ad eandẽ dirigere semper caudam solere, arbitrãtur. Cum autem in cibum paratur; frigi, atq; arancij mali succo condiri, debet.

P. 71.



N. G. κόραξ.
L. Coruus.
V. Capone.

HISTORIA SEXAGESIMA SEXTA DE CORVO.

NOMEN.



HIC noſter ſeptuageſimus primus piſcis, quem romæ (non ſecus quàm alios duos præcedentes) *Capone* appellant; grecè à Diphilo apud Athenæum (quem ſolum græcorum eius meminiſſe legimus) κόραξ; latinè verò à Plinio Celſo Iſidoroque Hyſpalenſi (quos etiam ſolos latinorum corui piſcis mentionem feciſſe ſcimus) *Coruus* vocatur. Diciturque [a] *Coruus* eodem A
Iſidoro Hyſpalenſi authore, à cordis voce, quia grunnit pectore, ſuaque voce proditus capitur. Animaduertēdum autem ne nominū decipiamur ſimilitudine, Coracinum (de quo in trigeſima ſecunda hiſtoria pertractauimus) alium piſcem eſſe à Coruo; vti ex [b] Plinio, *vtrumque in ſuo piſcium catalago* recenſente & ex [c] *Diphilo* (apud Athenæum) *vtriuſque eodem loco mentionem faciente*, manifeſtiſſimè intelligitur. Apud eundē præterea Athenæum. [d] κόρακος etiā à Coracino, & à Coruo diuerſus habetur; quippe qui teſtati generis eſt. Hunc autem noſtrum ſeptuageſimum primum piſcem, κόρακα ſiue Coruum eſſe; haud temerè conijcimus. Nam cum [e] Diphilus eodē loco Miluum Cuculum ac Coruū recēſeat, eos ceu conſimiles interſe cōparans, hic noſter, vt qui Miluo ac Cuculo ſimilis ſit, iurè Coruus cenſeri poteſt. Ad hoc accedit, quòd cum Coruus (vti præcitato loco teſtatur Iſidorus) grūniat; cumque non B
niſi branchiarum attritu (vt infra explicabimus) grunnire eum arbitrandum ſit; Hic noſter quippe qui ſuis oſſeis branchiarum operculis, non minus quàm Cuculus ſtrepere poteſt; Coruus, hac etiam ratione, credi debet.

[a] Lib. 12. cap 6.
[b] Lib. 32. cap. xi.
[c] Lib. 8. fol. 177. 29. & 33.
[d] Lib. 3. fol. 53. 21.
[e] Lib. 8. fol. 177. 32.

DESCRIPTIO.

Coruus piſcis Cuculo adeo ſimilis eſt, vt non ab re eius etiam genus exiſtimari poſſit. Et propterea minus mirari oportet, paucos adeo veterum κόρακα ſiue coruum inter piſces connumeraſſe. Vti enim hunc, hi pauci proprio nomine κόρακα, vel Coruum vocaſſe; ita reliqui omnes, eundem (quippe qui alterum Cuculi genus videa- C
tur) Cuculum appellaſſe, arbitrandi ſunt. Ore nāque, roſtro, capite oſſeo anguloſo & cælato, aculeorum, pinnarum, ac Cartilagineorum cirrorum, numero, & loco, totaque demum corporis figura, exactiſſimè Cuculum repræſentat. Rebus tamen non nullis ab eo differt. Binæ nanque roſtri eminentiæ, non adeo in eo prominent, vt in Cuculo; in quo manifeſtum magis & maiorem ſemicirculum efficiunt. Aculeique omnes non ſolùm capitis, & branchiarum, & prioris pinnæ dorſi, ſed illorum etiam duorum ordinum à capite per dorſum vſque ferè ad caudam excurrentium, longè minores quàm in Cuculo ſunt. Pinna præterea, quæ vtrinque lateribus hæret, non ſubrubra vt Cuculi, ſed interna parte cœrulea, externa verò ſubalbida conſpicitur; minorque extat. Poſtremò tergus nō rubrum, Cuculi inſtar, ſed ex rubro nigri- D
cans eſt. Partibus reliquis tum externis (vt diximus) tum internis Cuculo ſimillimus eſt. A quo magnitudine etiam differt, nam hunc nunquam bilibrā vidimus, cum Cuculus trilibris etiam reperiatur.

LOCVS.

Marinus tantùm piſcis eſt Coruus; nuſquā enim ad dulcem aquam adnataſſe viſus eſt, & nō ſolùm maris litora, ſed profundiora etiam pelagi loca aliquando frequentat.

NATVRA ET MORES.

Carne vescitur; nec solùm pisciculis, sed cancellis etiam, atq; Tellinis pascitur; vt manifestissimè ex ventriculi eius dissectione cognoscitur. Solitarius est, & non gregalis; quamobrem ferè semper, aut singuli, aut perquam pauci, vnà capi solent. Celerisque natatu est, non secus quàm Cuculus, cum magnas vt ille pinnas habeat. Estque, Cuculi etiam instar, ex illorum piscium numero, qui sonum stridoremque mouent; & propterea vocales creduntur. Quod Isidorus etiã testatur. Verùm cum is E dicat (vt supra etiam citauimus) [f] *Coruus à cordis uoce dicitur, quia grunnit pectore suaque uoce proditus capitur*, nõ de vera voce ipsum intellexisse; sed vocis nomine sonum quendam aut stridorem significasse, arbitrandum est. Cum Aristotelis testimonio [g] *pisces uocis expertes sint*, quippe qui neque pulmonem, neque arteriã, aut guttur obtineant; sed sonos quosdã stridores que mouent, qui uocales esse existimantur. Illud præterea Isidori, *quia grunnit pectore*, ad Aristotelis etiam censuram exponi debet, quippe qui supracitatis subdit, [h] *Quæ omnia creditam illam* uocem emittunt, aut attritu branchiarum quas horridiusculas continẽt, aut suis interioribus, quę circa ventrem habent, spiritus enim inclusus in his est, quem dum atterunt atque agitant sonos illos elidunt.

[f] Lib. 12. cap. 6.

[g] Hist. lib. 4. cap. 9.


[h] Hist. lib. 4. cap. 9.

VT SAPIAT, VT NVTRIAT, ET VT CONDIATVR.

F Coruus vti corporis forma, ita etiam sapore, & carnis bonitate Cuculo congener esse videtur; vt enim ille, ita & hic, neque vilis piscis est, neque cum nobilioribus comparandus; est tamen hic saporis suauitate illo paulò inferior. Carnem verò æquè atque ille duriusculam habet; minus tamen durã quàm Miluus, vt nobis videtur; & si secus sentiat apud Athenæum Diphilus inquiens, [i] *& Coruus durioris carnis quàm Miluus*. Cornelius verò celsus scribens, [K] *deinde qui, quanuis teneriores, tamen duri sunt, ut Aurata, Coruus, Scarus, Oculata*, vti certè haud ita durum facere videtur Coruum; sic an hunc nostrum piscem, vel alium, Coruum vocauerit facilè non est explicatu. Duriusculam nanque siue mediocrem carnem habere, vti huic nostro G Coruo respondet, ita haud peculiaris adeo nota est, vt Coruum eius, nostrum esse, indicet; & vel maximè cum ipse Coruum inter pisces, huic nostro haud similes connumeret. Tum frixus, tum elixus comeditur Coruus, sed frixus, ac acido aliquo succo conspersus, sapidior esse creditur.

[i] Lib. 8. fol. 177. 3.

[K] Lib. 2. cap. 18.



N. G. Ὀυρανοσκόπος
L. Vranoscopus
V. Pesce prete




N. V. Scrofano.
L. Scorpius.
G. Σκορπίος.

HIPPOLYTVS SALVIANVS.

HISTORIA SEXAGESIMA SEPTIMA DE VRANOSCOPO

NOMEN.



IC noster septuagesimus secundus piscis, quem Romæ *Messoro*, & *pesce prete*, Genuenses *Vn preue*, Veneti *Bec incauo*, & Massilien
ses obscœna voce (quòd pessum repræsentet) *Tapecon*, & (quòd
E ad scalpenda Mulierum pudenda Idoneus videatur) *Raspecon* ap
pellant ; Græcè à Galeno atque ab Athenæo ([a] *Ab oculo, quem in* [a] lib. 32. cap. 7.
capite habet, vt Plinins testatur) ὀυρανοσκόπος, hoc est, *cœli speculator* ;
Ab aristotele verò à Dioscoride & ab Aeliano, καλλιώνυμος, id [b] Athen. lib. 7. fol. 142. 5.
est, *pulchri nominis*, dicitur . Nec propterea quòd, ([b] *Dorione in libro de piscibus, Hicesioque in libris* [c] Athen. lib. 7. fol. 142. 8.
de materia, authoribus) *Anthias à quibusdam Callionymus uocetur* ; atq; [c] *ab Epicharmo Ellops Callionymus esse creda*= [d] Clas. 1. fol. 125. A.
tur ; aut quia, [d] *uno loco Vranoscopi*, [e] *altero uerò Callionymi* Galenus meminerit ; Callionymũ, [e] Clas. 5. fol. 78. B. C.
alium ab Vranoscopo piscem esse suspicari debemus . Cum [f] *ipsemet Dorion, in eodem libro* [f] Athen. lib. 7. fol. 142. 12.
de piscibus, Anthiam, Ellopem, & Callionymum ab inuicem differre asserat ; Atque Callionymum Vranos
copum esse manifestissimè testetur non solùm Plinius, inquiens, [g] *Callionymus, idem piscis* [g] Lib. 32. cap. 7.
& Vranoscopos uocatur . Et alibi, [h] *Callionymus siue Vranoscopus* ; sed & apud Athenæum Diphilus [h] Lib. 32. cap. xi.
F scribens [i] *vranoscopus, qui & Callionymus appellatur* . Eodemque ibidem authore, *Vranoscopus non so* [i] Lib. 8. fol. 177. 33.
lùm Callionymus, sed ἄγνος etiam, hoc est, *castus* nominatur. Appellatur præterea ab Oppi
ano eò quòd (vt ipse ait) interdiu dormiat noctu verò vigilet, ἡμεροκοίτης, id est, die
dormiens ac nocte vigilans ; & νυκτερίς, hoc est, Vespertilio ; inquit enim, de Hemero [k] Lib. 2. fol. 123. 46.
cœta pertractans, [k] *lucesque profuondo*

Conterit in sonno solidas, prostratus arena,
Et solus noctu vigilat noctuque mouetur,
Hinc piscis nigrę fertur cognomine noctis
Noctua.

Oppiani autem ἡμεροκοίτην (nam ipse solus eius inter pisces meminit) Galeni
atque Athenæi Vranoscopum, Aristotelis verò Dioscoridis Aelianique Callio-
nymum esse ; ipsa Oppiani verba, infra à nobis citanda, quibus ἡμεροκοίτην describit,
G manifestè adeo demonstrant, vt in dubio verti non possit. Plinius autem, cum latino
nomine careat piscis iste, modò Vranoscopum, modò Callionymum ; Galeni inter
pres οὐρανοσκόπου significationem exprimere conatus, cœli speculatorem ; Tehodorus
verò Gaza in Aristotelis versione pulchrum, vocant. Verùm cum Aristoteles
καλλιώνυμον (vt diximus) & non καλλίχθυν, hũc piscẽ vocauerit (est enim καλλίχθυς, id est, [l] Lib. 3. fol 135. 10 137. 50.
pulcher piscis, cuius [l] Oppianus, ac [m] Athenæus *mentionem fecerunt* ; alius à Callionymo) pis- [m] lib. 7. fol. 142. 5. 8. 12.
Theodori lapsus. cem pulchri nominis, & non pulchrum, conuertere oportebat.

DESCRIPTIO.

Vranoscopus caput magnum habet & osseum ; vertice admodum latum, posteri-
H ore verò parte, duobus aculeis ad caudam spectantibus munitum ; nulloque rostro
instructum. Os eius, præter cœterorum piscium morem, supra caput situm est ;
quod inferiore maxilla sursum maximè attracta clauditur, eademque inclinante val-
de hiat ; vti Oppianus quoque in suo Hemerocœta notasse videtur, cum inquit [n] *Rictus* [n] Lib. 2. fol. 123. 48.
est inter medios oculos . Dentes habet exiguos ; linguam latam ; oculos paruos, oblõgiuscu
los potiusquam rotundos, in summo capitis vertice collocatos, & rectà sursum cœlũ
intuentes ; quod non solùm Plinius loco supracitato testatus est, [o] *Vranoscopos*, inquiens [o] Lib. 32. cap. 7.
uocatur ab oculo quem in capite habet (vbi mirari conuenit, cur ab oculo dixerit ; cum geminos
Plinius notatur & non vnicum, in capite oculos habeat) sed Oppianus etiam, de Hemerocœta his
verbis tractans.

p Lib. 2. fol. 123. 47.

p Eſt pecus ignauum, capitis cui vertice ſummo
Sunt inuerſa ſupra radiantia lumina

q Clas. 1. fol. 125. A.

atque Galenus ſcribens, q *Vranoſcopus piſcis uel inuitus cœlum ſemper aſpicit*, comprobant. Pars oculos interiacens depreſſa eſt & concaua. Brãchiæ vtrinque quaternæ ſunt, quarum oſſea opercula poſteriore parte aculeo robuſtiſſimo ad caudam ſpectante horrent. Iuxta branchias pinnas duas, vtrinque ſcilicet vnam, craſſas & mucoſas habet; aliaſque duas ſed minores in ventre, inferiori maxillæ proximas; rurſuſque alias duas in dorſo, vnam capiti propiorem breuem nigram, atque veſpertilionis alæ æmulam; alteram poſteriorem longioremque, à priore ſcilicet ad caudam vſque deductã, atque cineraceam. Alia poſtremò ab ano per imum ventrem ad caudam defertur. Quæ quidem cauda in vnicam & latam pinnam degenerat. Corpore ferè rotũdo eſt Vranoſcopus; non ſquamis, ſed lubrica cute intecto. Venter ſubalbidus; dorſum verò ac partes reliquæ, ex cineraceo fuſcæ apparent. Ventriculum amplum craſſum & carnoſum habet; appendices plurimas; inteſtina terna reuolutione circunflexa; hepar pallidum, cui magna fellis, oleum æmulantis veſica annexa eſt. Quod non A

r Hiſt. lib. 2. cap. 15.

ſolùm teſtatum reliquit Ariſtoteles his verbis, r *Pulchro etiam in iecore fel ineſt proportione corporis maximè omnium copioſum*; ſed Plinius etiã, de Callionymi enim felle locutus, hæc ſubdit

s Lib. 32. cap. 7.

s *Nulli hoc piſcium copioſius, ut exiſtimauit Menander quoque in Comœdijs*, atque Aelianus, ſcribens,

t Lib. xi. cap. 34.

t Callionymo Ariſtoteles ait in iecore fel ſitum eſſe, proportione corporis maximè omnium copioſum; iecur autem ad dextrum latus collocatum eſſe. Cui quidem rei teſtimonio eſt Menander in Meſenia, Facio inquit, te habere fel Callionymo copioſius; Anaxippus item in Epidicazomeno, Niſi moueas & ſic, vt Callionymi feruere efficias omne fel. B

Lien exiguus rotundus atque rubens ventriculo hæret. Vulua bifida eſt & longa. Vranoſcopus haud multùm augetur; nunquam enim pedali magnitudine maiorem vidimus.

LOCVS.

u Hiſt. lib. 8. cap. 13.

Vranoſcopus marinus piſcis eſt; & ab Ariſtotele, u *Inter litorales connumeratus*. Verùm cum per rarò adeo, ac ſolus ferè ſemper capi ſoleat; pelagius potiuſquàm litoralis videtur. Litorales enim & crebriùs & ſimul plures; Pelagij verò & rariùs, & vnà pauciores capiuntur; vt qui ad litora circa quæ maximè piſcantur piſcatores, non niſi rarò & temere (& ob id ſoli potius quàm gregatim) adnatent. Quòd ſi Ariſtoteli ſubſcribendum ſit, rarioris eius capturæ eam reddemus cauſam; quòd die (vt infra dicemus) dormiat, & nocte (quo quidem tempore non piſcantur) vagetur. Quieſcentes enim piſces multò minus, vagãtes verò multò magis capi, certiſſimum eſt, & piſcantium omnium teſtimonio comprobatum, C

NATVRA, ET MORES.

Soliuagus piſcis eſt; & carne veſcitur; & vti piſcium omnium ignauiſſimus, ſic etiam voraciſſimus eſt. Interdiu dormit, noctu verò vigilans uagatur; quemadmodum Oppianus (Hemerocœtam eum appellans) non ſolùm hæc omnia, ſed deſcriptionem eius quoque, his verſibus tradit, D

x Lib. 2. fol. 123. 46.

x Stultitia excellit cunctis ferus Hemerocœta.
Eſt pecus ignauum capitis cui vertice ſummo
Sunt inuerſa ſupra radiantia lumina; rictus
Eſt inter medios oculos; luceſque profundo
Conterit in ſomno ſolidas, proſtratus arena;

Et solus noctu vigilat, noctuque mouetur.
Hinc piscis nigræ fertur cognomine noctis
Noctua; sed ventris sortitur damna voracis.
Non modus est luxus, non est mensura ciborum;
Indomitam seruat rabiem sub ventre rapaci;
Quam saturare potest nunquam, sed crescit edendo.
Donec cum rapido disrumpat viscera ventre,
E Inuersus tento moriatur corpore in vndis;
Vel nimio pastu vita spolietur onustus.
Est tantæ signum crapulæ, ventrisque rapacis,
Apprendat si quis piscem, vel porrigat escas,
Est cibus ore tenus, pastu summa ora replentur.
Non tamen est tantus ardor compressus edendi.
Aduertat mortale genus, cognoscere uentris
Ediscat finem; luxum, crapulamque sequuntur
Innumeri morbi, domito sunt ventre fugandæ
Mensarum illecebræ, manibus, pedibusque reuincta
Pellenda ingluuies, epulis mensura tenenda,
Plurima neu variis ponantur fercula mensis.
Et ventris mortale genus dissoluit habenas,
Per luxum rapitur præceps, ruit impete vasto,
F Talia prospiciens finem fugit Hemerocetæ.

Oppiani autem Hemerocœtã siue Vespertilionem, Vranoscopum Callionymum ve esse; non solùm (vt supra diximus) ex hac eius descriptione dignoscitur; vt pote quæ & Vranoscopo exactissimè respondeat; sed ex eò etiam quòd apud eundem Oppianum neque Vranoscopus, neque Callionymus legatur.

VT NVTRIAT, ET VT SAPIAT

G Et si authore Aeliano, [y] *Sint qui Vranoscopum dicant esse esculentum, alij verò plerique negent.* Vti tamen res ipsa indicat, vbique temporibus nostris, in cibum admittitur. Sed cum duræ carnis sit, insuauis, virus ferè resipiens; atque (apud Athenæum) [z] *teste Diphilo, grauis cibus;* non nisi à pauperibus & plebeis hominibus comeditur.

[y] Lib. xi. cap. 34.
[z] Lib. 8. fol. 177. 33.


QVIBVS MEDEATVR.

In re medica vtile esse Callionymi fel, author est Dioscorides, inquiens, [a] *Omne fel* mordet, excalefacit plus minus, prout animalium differentiæ sunt. Præstantissima in effectu existimatur è Scorpione marino, è pisce, qui Callionymus dicitur; è marina testudine, ex Hyena *perdice, Aquila, Gallina alba, Capra siluestri.* Quæ sic à Galeno, de fellibus agente transcribuntur [b] Taurorum his valentior bilis, inferior tamen bile Hienarum, & hæc quoque inferior bile H *Callionymi, & Scorpij marini, & marinæ testudinis.* Quibus autem particulariter affectibus medeatur, tum Plinius edocet inquiens [c] *Callionymi fel cicatrices sanat & carnes oculorum superuacuas consumit;* Et paulò post, *Auribus utilissimum Callionymi fel, cum rosaceo infusum.* Tum Galenus, scribens, [d] Animalium quorundam singulariter bilis à medicis extollitur, tanquam aciem exacuat oculorum, & suffusionum initia digerat; veluti piscis, quem vocant Callionymon.

[a] Lib. 2. cap. 70.
[b] Clas. 5. fol. 78. C.
[c] Lib. 32. cap. 7.
[d] Clas. 5. fol. 78. B.

HISTORIA SEXAGESIMA OCTAVA DE SCORPIONE MARINO

NOMEN.



SEPTVAGESIMVS tertius piſcis noſter, *Scorfano* Romæ, *Scorpena* Maſſiliæ, & *Scorpidi* à Græcis noſtri temporis appellatus; græcè Σκορπίος, latinè ab Ouidio *Scorpius*, à Plinio verò *Scorpio* etiam vocatur. Non tamen propterea quòd ſui corporis figura, ad terreſtris Scorpionis ſimilitudinem accedat; ſed quia vt teſtatur Plinius, [a] *lædit dum manu tollitur*; quod & in terreſtri experimur; & ſi eo differãt, quòd terreſtris caudæ aculeo, marinus verò (vt infra monſtrabimus) aculeato capite aut dorſo lædat. Verùm cum apud Ariſtotelẽ, non Σκορπίος ſolùm ſed Σκορπίς etiã legatur; & Athenæus ſcribat, [b] In quinto de animalibus Ariſtoteles Scorpios & Scorpidas in variis locis nominat, immanifeſtũ *autem eſt, an eoſdem intelligat*; nos Scorpidas Ariſtotelis (nam ipſe ſolus earum meminit) à Scorpionibus ſolo ſexu differre arbitramur; non ſolùm ex ipſa Græcorum nominum ratione; ſed ex Ariſtotelis etiam verbis id coniectantes. Nam vbi Ariſtoteles, [c] De appendicibus ventriculi, [d] Ac de differentia à loco, in quo piſces degunt, deſumpta pertractat (quippe quæ tum maribus tũ fœminis Scorpionibus æquè communia ſunt) Σκορπίου nomine vtitur. Vbi verò, [e] *de loco in quo pariunt, agit* (cum parere proprium fœminis ſit) non Σκορπίους, ſed Σκορπίδας appellat; *Eas & Orcinas in alto fœtificare dicens*. Quòd ſi obiiciatur; Ariſtotelem paulò ſuperius, [f] *Scorpionem bis anno parere teſtantem*, Σκορπίου & non σκορπίδος vocabulo vſum eſſe; reſpondendum eſt; aut non ſemper, & locis omnibus eadem loquendi proprietate ſcriptores vti; aut corruptum eſſe locum; Nam cum σκορπίος τίκτει δίς legatur nunc; σκορπίς forſan legendum eſſet; facillimè enim σκορπίς in σκορπίος corrumpi potuit. Nec obſtat, quòd Athenæus etiam (vt ex loco præcitato colligitur) ibi σκορπίος legerit; nam poſt tot annos Ariſtotelem ſequutus eſt Athenæus; vt eo quoque intermedio tempore σκορπίος pro σκορπίς mendoſè ſcribi potuerit. Præterea cum σκόρπαινα etiam piſcibus annumeretur; qui piſcium ſit; & quomodo à Scorpione differat; in ſequente hiſtoria declarabimus.

[a] Lib. 32. cap. xi.
[b] Lib. 7. fol. 160. xi.
[c] Hiſt. lib. 2. cap. 17.
[d] Hiſt. lib. 8. cap. 13
[e] Hiſt. lib. 5. cap. 10.
[f] Hiſt. lib. 5. cap. 9.

A B C

DESCRIPTIO.

Scorpio maximũ caput habet, oſſeum anguloſum, plurimiſque atq; robuſtiſſimis aculeis armatũ; vti his verbis teſtatur Ouidius, [g] *Et capitis duro nociturus Scorpius ictu*; atq; Plinius, Oppianus, & Athenæus; qui, & ſi Scorpionis caput aculeis munitũ eſſe non exprimant, eum tamen aculeatum faciunt. Plinius enim ſupracitato loco inquit, [h] *Et Scorpio lædit, dũ manu tollitur*. Et Oppianus, [i] *Inter piſces, qui duris pugnãt ſtimulis, eum connumerat*, Athenæus verò, [k] *Ariſtotelis teſtimonio* (& ſi in Ariſtotele non legatur) πληκτικόν, id eſt, *ferientem* eũ appellat. Os magnũ eſt, exiguis dentibus inſtructum. Oculi etiam magni & rotundi, & in ſuprema temporum ſede collocati; ſupercilij loco, acutiſſimo aculeo, Cuculi inſtar, præmuniuntur; cutaceaque appendice ornantur. Branchias, oſſeo atque aculeis quibuſdam munito operculo contectas, vtrinque quaternas habet; iuxtaque eas, binas latas admodum atque craſſas pinnas; è quarum regione aliæ duæ ſed minores in ventre ſunt. In dorſo præterea vna alia lata, atque longa pinna, toti ferè dorſo æqualis, anteriore parte vndecim aut duodecim aculeis horrida, poſteriore verò obtuſa, atque aculeis carens, erigitur. Imo ventri alia etiam vna latiuſcula, ſed breuis, ac tribus aculeis armata, à podice ſubeſt. Cauda in pinnam vnicam & latam degenerat. Corpore eſt rotũdo, anteriore parte craſſiſſimo, poſteriore verò multò tenuiori facto. Tenuibus adeo ſquamulis tegitur, vt niſi diligentiùs aduertas, ſquamarum expers videatur. Venter ſubalbidus eſt, corpus verò reliquũ rubet. Vnde apud Athe-

[g] In frag. fol. 37. 9.
[h] Lib. 32. cap. xi.
[i] Lib. 2. fol. 127.
[k] Lib. 7. fol. 169. 56. 9.
Athenæus notatur

D

næum, [l] *à Numenio in libro de piſcibus* ἐρυθρός id eſt, *rubeus*; [m] *ab Hiceſio* πυῤῥός hoc eſt, *rufus*; & — [l] Lib. 7. fol. 141. 46. fol. 160. 7.
[n] *à Diphilo* κιῤῥός id eſt, *Gilnus dicitur*; à Plinioque [o] *rufus etiam Scorpius appellatur*. Sed cum — [m] Lib. 7. fol. 160. 5. [n] Lib 8. fol. 17720
præterea quibuſdam etiam nigris notis conſpergatur; nō ab re, [p] ποικίλον id eſt, *uarium* — [o] Lib. 32. cap. 10. [p] Athen. lib. 7. fol. 160. 9.
Epicharmus eum eſſe dixit. Lapidem in capite gerit. Fauces quaternis vncinatis oſſibus ar-
matæ ſunt. Ventriculum amplum habet, [q] *cum multis circa pilorum appendicibus*; inteſtina lata — [q] Hiſt. lib. 2. cap. 17.
bina reuolutione inflexa; hepar album, cui fellis veſica commiſa eſt; ſplenem verò
ſubrubeum. Trilibrem Scorpionem aliquando, maiorem verò nunquam vidimus.

QVOTVPLEX SIT SCORPIONVM GENVS.

E Ariſtoteles præter eam, quæ ſexus ratione cōſtituitur, differentiam nullam aliam
in marinis Scorpionibus agnouit. Mares (vt diximus) Scorpiones, fœminas Scorpi-
das appellans. Apud verò Athenæū duo Scorpionū genera facit Hiceſius, inquiens;
[r] *Scorpionum, hic quidem pelagius eſt, ille* τεναγώδης, id eſt paluſtris, ſiue lutulentus; — [r] Lib. 7. fol. 160. 4.
Et pelagius rufus, alter verò nigricans eſt. Pręſtat autem ſapore & nutrimento pelagius.
Ex quibus verbis manifeſtiſſimè (mea quidem ſententia) patet, ab Hiceſio Scorpionē
pelagium, hunc noſtrum appellari; paluſtrem verò, aliorum Scorpænam ab eo dici.
Cum ea, quæ hîc ſuo paluſtri Scorpioni js tribuit, exactè Scorpænæ reſpondeant; vt
ſequente hiſtoria Scorpænæ dicata, declarabimus. Eandem generum diuerſitatem
in marinis Scorpionibus, Diphilus quoque apud eundem Athenæum, notaſſe vide-
F tur, his verbis, [s] Σκορπίοι δὲ οἱ πελάγιοι καὶ κιῤῥοὶ τροφιμώτεροι τῶν τεναγώδων τῶν ἐν τοῖς — [s] Lib 8. fol. 177. 20.
αἰγιαλοῖς, τῶν μεγάλων, id eſt, *Scorpiones autem pelagij & Giluui magis alunt quàm lutulenti in litoribus degen-
tes; qui magni ſunt*.

LOCVS.

Scorpio marinus piſcis eſt, & litoralis; in ſaxoſis, & arenoſis litoribus victitans; vt
teſtis eſt Oppianus, dicens.

[t] Cautibus & bibula multi paſcuntur arena, — [t] Lib. 1 fol. 109. 9. 31
Auratę fuluę ſplendoris nomine dictę,
Et Symii, & Glauci, & dēſato dēte Dracones,
Scorpius in pugna fortis,

G Et alibi [u] Horrendus curuo qui gaudet Scorpius antro. — [u] lib. 2. fol. 127. 56.
Ouidio verò authore, [x] *Inter piſces qui pelago gaudent connumeratur*; cui & Hiceſius loco ſupra ci- — [x] infrag. fol. 37. 9.
tato ſubſcribere videtur. Nec tamen pugnantia hos authores ſcripſiſſe ſuſpicandum
eſt. Nam ſicuti Ariſtotelis teſtimonio, [y] *Piſcium nonnulli litorales ſunt, alij pelagij, & alij rurſus utrū-
que indifferenter locum habitare ſolent*; ſic ab eodem, *Inter piſces qui in utriſque indifferenter locis degere conſueue-* — [y] Hiſt. lib. 8. cap. 13.
runt, Scorpio recenſetur. Hîc præterea aduertendum eſt, quòd & ſi Athenæus ſcribens, [z] *Et* — [z] Lib. 8. fol. 178. 30.
ſaxoſi uocati, Gobij, & Scorpiones, & paſſeres, & conſimiles; Scorpium ſaxatilem facere videatur;
eum tamen ex verè Saxatilium numero non eſſe; ſed latiori loquendi modo, ſaxati-
lem ab eo appellari, vti in hiſtoria octogeſima rurſus explicatiùs edocebimus.

H PARIENDI TEMPVS, ET RATIO.

Vt proditum eſt ab Ariſtotele, [a] *Scorpio bis parit, uere & autumno*. Quod quidem tum — [a] Hiſt. Lib. 5 cap. 9. [b] Lib. 9. cap. 51.
[b] Plinius, tum [c] Athenæus ex eo tranſcripſerunt. Quamobrem mirari conuenit, cur — [c] Lib. 7. fol. 160. 7.
ſolus Oppianus Scorpionem quater parere aſſeueret; inquiens.

Oppianus notatur.

[d] At bis Lucinam Labrax toto inuocat anno — [d] Lib. 1. fol. 116. 36.
Quatuor at partus horrendus Scorpius edit.
Accipiunt Triglę terno cognomina partu.

Et maximè cum ipſum quoq; Oppianum, hæc ſua ex præcitato Ariſtotelis loco tran-
ſcripſiſſe, certum ſit, vti luce clarius fiet, ſi quis vtraq; eorum loca ad inuicem diligen-
ter conferat. Non circa litora aut fluuiorum oſtia, vti piſces quamplures; ſed eodem
Ariſtotele authore, [e] *Orcinæ, Scorpiones, & multa alia genera, in alto fœtificant*. — [e] Hiſt. lib. 5. cap. 10

NATVRA.

[f] Lib. 7. fol. 160. 11.

Non gregalis, *sed solitarius piscis est Scorpio*; vt[f] Athenæus etiam testatur. Et propterea fere semper vnà captos paucos uidemus. Sicuti enim gregales pisces vnà plures sæpissime capiuntur, sic solitarij, aut soli, aut unà pauci admodum capi solent. Et licet vt idem tradit, [g] *alga uescatur*; tamen carniuorus etiam est; vti ex eò manifestissimè patet, quod in eius ventriculo sæpissime pisciculi reperiantur.

[g] Ibidem.

VT SAPIAT, VT NVTRIAT, ET VT CONDIATVR.

Scorpio vti cum sapidioribus piscibus conferendus non est; sic nec prorsus negligendus. Hyeme enim, in saxoso litore, aut in puro mari captus; haud ingratus esse solet. Et (vt supra citatis locis diximus) authore Hicesio, saporis suauitate, & nutrimento Scorpænam antecellit; teste verò Diphilo magis quàm ea nutrit. Dure tamen carnis est, vt Galenus non solũ, [h] *Philotimo subscribens* asseuerat; sed alibi etiã innuit dicens; [i] Cũ igitur saxatiles desunt, Asellos, Mullos, & alios eiusdem generis pelagios possumus exhibere, *& eos potissimũ, qui cum sinapi mandũtur, cuius generis est Scorpius*; alio nanq; loco dixerat, [K] Marinũ canem, vt qui carnem habeat duram & excrementitiam, ac ingrati saporis sit & mucosus, cũ *sinapi & oxelæo, atque id genus acribus condimentis, mandunt*. Apud autem Athenæum, inquit Hicesius, [l] εἰσὶ δὲ οἱ σκορπίοι σμηκτικοί, εὐέκκριτοι, πολύχυλοι, πολύτροφοι, χονδρώδεις γάρ εἰσι. id est, *Sunt autem Scorpij abstersorij excretu faciles multi succi, & plurimùm nutrientes, cartilaginei enim sunt*. Quæ omnia vti clara, ita etiam vera sunt preterquam illud, χονδρώδεις γάρ εἰσι, hoc est, *cartilaginei enim sunt*. Nam neque aliquis alius, cartilagineum piscem, Scorpionem fecit, neque re vera ex cartilagineorum numero est; cum non cartilaginem, sed spinas habeat. Et propterea aut mendosum esse locum, suspicandum; aut ipsum impropriè locutum, Scorpium cartilagineũ, pro Scorpione duram carnem habente, dixisse credendum. Nam sicuti durior caro cartilaginẽ præ se ferre videtur, ita hæc nostra interpretatio reliquis verbis eius perbellè quadrat. Cum enim multi succi esse, ac plurimùm nutrire Scorpiones dixerit; huius causam reddens subdit, χονδρώδεις γάρ εἰσι. hoc est (vt nos exponendum censemus) *duræ enim sunt carnis*. Quod autẽ, quæ durioris sunt carnis atq; crassioris substantiæ; vti ægrè concoquuntur, ita concocta, plurimùm nutriant; manifestissimum est. Et propterea quòd duriusculus sit Scorpio, si in aqua & oleo, bene olentibus herbis, & aromatibus iniectis, elixetur; non solùm salubrior sed palato etiam gratiosior fiet.

A

[h] Clas. 2. fol. 30. B.
[i] Clas. 2. fol. 44. A.
[k] Clas. 2. fol. 30. B.
[l] Lib. 7. fol. 160. 6.

B

C

ICTVS EIVS REMEDIA.

Cum Scorpio vt supra dictum est, tum caput, tum dorsum, aculeis plurimis armatum habeat; vtraq; parte eos, qui ipsum tangunt, lædere solet. Et licet non omnes, qui ictus eius meminerint, eum venenatum esse dixerint; Oppianus tamen cum loco supra citato, inter pisces eum recenseat, qui non solũ aculeis feriunt sed venenum etiam inferunt, inquiens, D

[m] Lib. 2. fol. 127. 56.

[m] Horrendus curuo qui gaudet Scorpius antro.
Gobius in fulua nimium contentus arena,
Et Canis, atque draco volucrisque perequora Hirundo
Hi duris pugnant stimulis, funduntque venenum

Venenatum ictum eius esse, testari videtur. Vnde non ab re Plinius, & Paulus Aegineta, aduersus marinos Scorpiones præsidia edocent; ille enim scribens, [n] *Menta sumitur & cõtra Scolopẽdras, & Scorpiones marinos, & ad serpẽtes*. Et alibi, [o] *Contra omnia ea auxiliatur ut diximus,*

[n] Lib. 20. cap. 14.
[o] Lib. 32. cap. 5.

Mullus; Itē contra Pastinacā, & Scorpiones terrestes, marinosque, & Dracones, & Phalágia ictus, *sumptusue in cibo*; hic verò inquiens, [p] *Scorpij marini ictum sanat Mullus piscis dissectus impositusque*, sulfur viuum cum aceto infricatum; baccę lauri tres concisę potęque. [p] Lib. 5. cap. 23.

EX MARINO SCORPIONE MEDICINAE.


Ad varios etiam medicinæ vsus vtilis est; & in primis, vt author est Dioscorides, [q] Recentium piscium ius modò per se, modò vini comitatu aluum emollit. Optimum è Phycidibus, Scorpionibus, Iulide, perca, & saxatilibus teneris nec virus resipientibus; coqui debēt *simpliciter in aqua oleo addito & anetho*. Quod sic ex eo transcripsit Plinius, [r] *Aluum emollit omnium* piscium ius. Idem & vrinas ciet è vino maximè. Optimum è Scorpionibus & Iulide, & saxatilibus, nec virus resipientibus; coqui debent cum anetho, apio, coriádro, porro, additis oleo & *sale*. Marcus cato etiā, [s] *In iure ad aluū deijciendū parato, Scorpionē tū rebus alijs plerisque, tū per se, elixandū*; tradidit. Præterea scripsit Plinius, [t] *Iecinoris doloribus Scorpio marinus in uino necatur, ut inde bibatur*. Et paulò infra, [u] Scorpius marinus necatus in vino, vesicę vitia & calculos sanat; Lapis, qui *inuenitur in Scorpionis marini cauda pondere oboli potus*. Sed cum in eius cauda lapis nullus reperiatur; hoc quod vltimo loco dicitur, aut mendosum aut falsum esse suspicandum est. Ille verò, qui tertium librum de facilè parabilibus Galeno falsò ascriptum edidit, ait [x] Ad exterendos calculos expertum, Scorpiones marinos exiguos tres integros comburito, & *cinerem ex condito propinato*. Et vt idem testatur Plinius, [y] *Panos discutit Scorpio in uino decoctus, ita ut fouecantur ex illo*. Postremò cum [z] Dioscoridis [a] & Galeni testimonio, *Omne fel mordeat, & excalefaciat, inter ea omnia, id efficacius efficit marini Scorpionis fel*. Quamobrē vt testatum reliquit Dioscorides [b] *Eius fel oculorum suffusiones & albugines discutit, aciem oculorum, quæ hebetata sit excitat*. Quod ab eo mutuatus videtur tum Plinius, inquiēs, [c] *Et marini* Scorpionis rufi cum oleo vetere, aut melle Attico incipientes suffusiones discutit, inungi ter oportet intermissis diebus Eadem ratio albugines *oculorum tollit*, tum Galenus, dicens, [d] *Animalium quorundam singulariter* bilis à medicis extollitur, tamquā aciem exacuat oculorum, & suffusionum initia digerat; veluti Calionymi piscis, *Hyænæ, & Scorpij marini*. Et vt Plinius etiam prodidit, [e] *Alopecias replet fel Scorpionis marini*. Et alibi [f] *Cicatrices fel Scorpionis marini tollit*. Et paulò infra, [g] *Fel Scorpionis marini rufi unguium scabritiam extenuat*.

In Plinium animaduersio

E F G

[q] Lib. 2. cap. 32.
[r] Lib. 32. cap. 9.
[s] Lib. de re rust. cap. 166.
[t] Lib. 32. cap. 9.
[u] Lib. 32. cap. 9.
[x] Clas. 7. fol. 174. A.
[y] Lib. 32. cap. 9
[z] Lib. 2. cap. 70.
[a] Clas. 5. fol. 78. C.
[b] Lib. 2. cap. 12.
[c] Lib. 32. cap. 7.
[d] Clas. 5. fol. 78. B.
[e] Lib. 32. cap. 7.
[f] Lib. 32 cap. 10.
[g] Lib. 32. cap. 10.

P. 74



N. G. Σκορπὶς.
L. Scorpena.
V. Scrofanello.



HISTORIA SEXAGESIMA NONA DE SCORPAENA

NOMEN.



HIC noſter ſeptuageſimus quartus piſcis, quem Romæ
Scrofanello, Maſſiliæ verò *Scorpeno & una Raſqueſſa* appellant; Scor
pioni piſci (de quo in ſuperiore egimus hiſtoria, & à quo nõ
niſi colore, & magnitudine differre videtur) perſimilis adeo
eſt; vt nonnulli ſolo ſexu, aliqui verò ætate tantùm eos ab
inuicem diſtinxerint. Verùm rem aliter ſe habere manifeſtiſ- A
ſimè probatur; nam quòd ad priorem attinet opinionem; cũ
in pleriſque eorum vtrorumque oua reperiantur; haud aſſe-
rendum eſt, ipſorum hos tantùm mares, alteros verò ſolùm fœminas eſſe; Quòd autẽ
ad alteram ſententiam ſpectat, ſi ſola ætate differentes eſſent; ita vt hi ijdem (de qui
bus hîc agimus) nunc minores & nigricãtes ſint, deinde verò (vt inquiunt) maio-
res & rubẽtes efficiantur; cum toto anno vtrique capiantur, neceſſum profectò eſſet
eorum nonnullos aliquando capi, qui neque hos, neq; illos ad vnguem repræſenta-
rent; ſed magnitudine & colore inter vtroſque medij apparerent; quando rationi cõ
ſonum non ſit, tantam & magnitudinis & coloris mutationem illico fieri. Sed cum
nullus vnquam eorum eiuſmodi capi ſoleat, non ſexu, non ætate, ſed ſpecie ab inui- B
cem diſiungi, fatendũ eſt. Cum igitur hic noſter ſeptuageſimus quartus piſcis, ab alio
noſtro ſeptuageſimo tertio ſpecie differat; non ſolùm nomine quoque veteres non-
nulli hunc ab illo diſiunxere; ſed ſicuti horum vtrorumque ſpecies admodum proxi-
mæ & ſimillimæ ſunt, ſic etiã & conſimilia eorum vtrique impoſuere nomina. Et cum
ille (vt præcedente hiſtoria diximus) græcè Σκορπίος latinè uerò *Scorpius* vel *Scorpio* dica-
tur; hic græcè ab Athenæo (cuius verba infra citabimus) Σκόρπαινα, & à Plinio latinè
Scorpæna vocatur. Quòd autem Scorpius & Scorpæna diuerſorum piſciũ nomina ſint;
& non vnius & eiuſdem Synonyma; vt quiſpiam forſan, etymi ſimilitudine decep-
tus, ſuſpicari poſſet; Plinius & Athenæus manifeſtiſſimè declarant; ille enim [a] *In ſuo
piſcium catalogo utriuſque ceu diuerſorum piſcium mentionẽ fecit*; hic verò ſcripſit [b] *Scorpænas & Scorpiones edi-* C
mus ſæpe, eoſque & colore & ſucco differre nemo non cognoſcit. Quòd verò hic noſter piſcis Scorpæna
ſit, ex ijs proximè citatis Athenæi verbis clariſſimè declaratur. Sicuti enim is à Scor
pione Scorpænam ſucco & colore ſeperat; ſic rebus cæteris eos ſimillimos eſſe mani-
feſtiſſimè innuit atque oculatos lectores admonet. Scorpænam enim à Scorpione di-
uerſam mõſtraturus, ad ſucci & coloris differentiam temerè confugiſſet; ſi potiori-
bus atque euidentioribus notis & differentis deſtingui poſſent. Vnde ſicuti Scorpæ-
nam Scorpioni ſimillimam ſoloque colore & ſucco ab eo differre, ita hunc piſcem no
ſtrum Scorpænam eſſe, fateamur oportet; quando hic, ſicuti à Scorpione (vt infra
mõſtrabimus) & colore & ſucco differet; ſic nullus alius piſcis Scorpioni ſimilior (vt
res ipſa indicat) reperitur. Hic idem præterea piſcis, quem Σκόρπαιναν Athenæus (qui D
ſolus græcorum Σκόρπαινης, quod ſciam, meminit; nam falſò [c] Raphael Volaterranus,
[d] Iouius, & [e] Mathiolus *Ariſtotelem quoque Σκόρπαινης meminiſſe* aſſeuerant) & Scorpænam
Plinius vocarunt; apud Athenæũ ab [f] Hiceſio, atque [g] Diphilo, Σκορπίος τιναγώδης hoc
eſt, *Scorpio paluſtris ſiue lutulentus appellatur*, vt infra monſtrabimus, ea omnia, quæ ſuo paluſtri
Scorpioni tribuunt ij, huic noſtro probè reſpondere declarãtes. Poſtremò aduerten-
dum, quòd cum Diuus etiam Ambroſius [h] *Scorpænæ meminerit*, Scorpænæ nomine Scor
pionem, aut indiſferenter vtrumque, Scorpionem ſcilicet & Scorpenam ſignificaſſe

[a] Lib. 32. cap. xi.
[b] Lib. 7. fol. 160. 12
[c] Lib. 25.
[d] Lib. de piſcib. cap. 23.
[e] In vulg. comm. in Dioſc. lib. 2. cap. 12.
[f] Lib. 7. fol. 160. 4.
[g] Lib. 8. fol. 177. 20.
[h] Hex. lib. 5. cap. 3.

R. volaterrani Iouij & Mathioli error.

videtur; cum nullibi Scorpionis mentionem fecerit; & credibile non ſit, Scorpione nobiliori piſce poſthabito, Scorpænæ ſolùm eum meminiſſe.

DESCRIPTIO.

Diligenter adeo in præcedente hiſtoria Scorpionem deſcripſimus, vt in præſentiarũ non longa opus ſit Scorpænæ deſcriptione; quandò hæc ab illo, quòd ad corporis deſcriptionem ſpectat, ſolo colore atque magnitudine (vt ſupra etiam dictum eſt) differat. Quòd colore autem diſcrepent, Athenæus ſupracitato loco teſtatur. Et li-
E cet qualis vtriuſque color ſit, non explicet; ab Hiceſio tamen apud eundem, his verbis declaratur, [i] *Scorpionum hic quidem pelagius eſt, ille verò* τεναγώδης, id eſt, *paluſtris uel lutulentus; & pelagius rufus, alter verò nigricans eſt. Preſtat autem ſapore & nutrimento pelagius.* Quod quidem veritati conſonat. Nam ſicuti eius pelagius Scorpius (qui, is piſcis eſt, de quo in præcedente hiſtoria pertractauimus) verè rubet; ſic eiuſdem alter, ſiue paluſtris (qui hic noſter eſt; quique ab alijs Scorpæna uocatur) cum ventre ex albo rubeat, dorſo verò atque corpore reliquo ex cineraceo nigricet, nigricans apparet. Magnitudine etiam Scorpionem à Scorpæna differre, & ſi nemo Veterum (quòd quidẽ ſciam) teſtatũ reliquerit, ipſa tamẽ experiẽtia demõſtrat. Cũ enim (vt ſuperiore diximus hiſtoria) trilibris aliquando reperiatur Scorpius, Scorpæna nunquam mediam libram excedit. Vnde cum apud Athenæum inquiat Diphilus [k] Σκορπίοι δέ οἱ
F πελάγιοι καὶ κιῤῥοὶ τροφιμώτεροι τῶν τεναγώδων τῶν ἐν τοῖς αἰγιαλοῖς, τῶν μεγάλων, id eſt, *Scorpiones autem pelagij & Giluui magis alunt quàm paluſtres* (ſiue lutulenti) *in litoribus degentes, qui magni ſunt;* ſicuti Scorpæna, non ſecus quàm ab Hiceſio, ab eo (vt ſupra etiam diximus) Σκορπίος τεναγώδης appellatur; ſic illud τῶν μεγάλων, hoc eſt, *qui magni ſunt;* menda non carere ſuſpicamur; quando Scorpænæ ſi cum Scorpionibus conferantur, non magnæ ſed paruæ cenſendæ ſint: Ore autem capite oculis aculeis pinnis cauda corporis figura atque internis partibus omnibus, Scorpioni ſimillima eſt Scorpæna.

[i] Lib. 7. fol. 160. 4.

[k] Lib. 8. fol. 177. 20.

In Athenæum animaduerſio.

LOCVS.

Marinus piſcis eſt Scorpæna, vti & Scorpius; ſed non eaſdem maris ſedes incolũt; ſicuti enim aut in pelago, aut in ſaxoſis arenoſiſue litoribus (vt præcedente hiſtoria
G declaratum eſt) degit Scorpius; ſic Hiceſij & Diphili præcitatis locis teſtimonio, aut in marinis paludibus, aut in cœnoſis maris litoribus victitat Scorpæna.

NATVRA ET MORES.

Gregalis piſcis eſt Scorpæna; & propterea ſemper vnà plures capiuntur. Alga & maritimis ſordibus veſcitur. Dum manu tollitur, Scorpionis inſtar, lædit; licet ictus eius ita pernicioſi, vt Scorpionis eſſe non ſoleant, vt qui à minoribus inlati ſint aculeis; ſunt enim minores multò Scorpænæ quàm Scorpij aculei. Teſte diuo Ambroſio [l] *Scorpæna caſtitatem immaculati connubij generi ſuo ſeruat; itaque habet pudicitiam ſui generis, ſed uenenum ſui generis non habet, non enim percutit Scorpæna, ſed reficit;* niſi (vt diximus) Scorpænæ nomine Scorpionem ab eo intelligi velimus.

[l] Hex. Lib. 5. cap. 3.

H
VT SAPIAT ET VT NVTRIAT.

Inſuauis eſt Scorpæna; & propterea vilis habetur piſcis; à plebeiſque & paupercu lis ſolùm editur; & Diphili authoritate loco ſupracitato, minus nutrit quàm Scorpio; Hiceſio verò (vt ſupra diximus) teſte, ſapore & nutrimento inferior eſt Scorpione. Quod & Athenæus ipſe confirmare videtur; nam cũ loco ſupracitato inquiat, Scorpiones & Scorpænas ſucco differre; has ſucci bonitate ab illis antecelli, intellexiſſe credendum eſt. Cum minores piſces ſint Scorpænæ, & propterea neque ad elixandum, neque ad aſſandum admodum idoneæ; frixæ fere ſemper comedi ſolent.


P. 75
N. G. χαλκεύς,
L. Faber,
V. pesce s. pietro.

HISTORIA SEPTVAGESIMA.

DE FABRO

NOMEN.



HVNC nostrũ piscẽ septuagesimũ quintũ, quem Romæ *Citula*, & (propterea quòd ex nigris atque orbicularibus laterum notis imprimentium digitorum vestigia repræsentantibus, piscis ille esse credatur, qui domino nostro IESV Christo iubente, à diuo Petro captus fuit, vt ex eius ore numum, tributi nomine pendendum, extraheret) *Pesce san pietro*; Ligures (ob rotundam eius formam) *Rotula*; Massilienses (ob eius voracitatẽ vel quia grunniat dum capitur) *Trueie*; Hispani *Gal*; Baionenses (quia erectis dorsi pinnis gallinacij galli erectas caudæ pinnas præseferat) *un iau*; Galli (à lateribus aurum ementientibus) *Doree*; Dalmatæ (quoniam multiformibus tum dorsi tum ventris aculeis, atque capitis ossibus, fabrilia instrumẽta omnia æmulari videatur) *Fabro*; et Græci nostri temporis (eò quòd à Diuo Christophoro, Christum dominum nostrum humeris per mare deferente captus comprehendentium digitorum vestigia in vtroque latere insculpta seruauerit) *Christopsaro* appellant; quo nomine veteres græci atque latini vocauerint, difficile est explicatu. Vnde vt Iouius refert, [a] *Quibusdã uidetur esse Chalcis*. Verùm cum Chalcis vel Aerica (vt vertit Theodorus) teste Aristotele [b] *fluuiatilis piscis*, authore verò Athenæo [c] *Thrissis & Sardinis similis sit*; hic noster, qui marinus piscis est, & Thrissis & sardis haud similis, Chalcis esse non poterit. Iouius autem putauit [d] *hunc Acanthiam esse; propterea quòd spinosus sit*; sed cum Acanthias ex galeorum sit genere, vt ipse etiã Oppiani testimonio testatur; hic, quippe qui galeis annumerari non potest; Acanthias dici non debet. Et propterea subdit idem Iouius, [e] *Aliquando quoque dubitaui, an* esset Citharus, quem sępius Galenus cum Rhombo nominauit; asserens Rhombos sapidiores & meliores esse Citharis; vt manifestè in mensa vtriusque collatione dreprehendimus; hæc Iouius. Et licet ob nominis Cithari & Citulæ affinitatem, atque ob corporis similitudinem, quam hic piscis noster cum Rhombo habet, [f] *cui similem Citharum facit Galenus*, in eam sententiam facilè animus inclinare posset; res tamen aliter se habet. Nam piscem Rhombo multò similiorem, atque talẽ, cui ea omnia, quæ à veteribus Citharo tribuuntur, egregiè respõdent; secũdo libro nostro exhibebimus; eumque & non hunc, verum Citharum esse ibidem demõstrabimus. Postremò cum addat Iouius, [g] Inuenio tamen apud Athenęum piscem Citulum dicari libero patri, sicuti Citharum Apollini, Triglam Hecati, Apuam Veneri; qui si nominis coniecturam sequemur, profectò Citula *Romanus, antiquorum Græcorum Citulus esse poterit*; multò minus ei assentiendum est. Nam etsi piscem Baccho siue Libero patri sacrum Cyttum (& non vt citat Iouius Citulum) Athenæus appellet, inquiens [h] διονύσῳ δὲ κυττόν, haud tamen leui adeo coniectura res pendi debet; & vel maximè, cum nullo alio prorsus modo confirmari possit. Quoniam præter Athenæum, nullus alius veterum (quòd sciamus) κυττοῦ meminit; ipse verò nil aliud, nisi quòd (vt citauimus) Baccho dicatur, de eo testatum reliquit; & propterea nulla alia ratione, veterumúe authoritate, præter leuem illam coniecturã ex aliquali nominum similitudine desumptam; hunc piscem nostrum Athenæi Cyttum esse probari aut persuaderi potest. Græcorũ igitur nec χαλκίς, nec ἀκανθίας, nec κίθαρος, nec κυττός, hic piscis noster est; sed χαλκεύς. Qui quidem Chalceus à Chalcide varius est, atque differt; vt Athenæus testatur inquiens. [i] διαφέρει δὲ τῆς χαλκίδος ὁ χαλκεύς, hoc est, *Differt autem à Chalcide Chalceus*. Hunc autem piscem nostrum Oppiani &

Margin letters: A (beside "te, à diuo Petro captus fuit"), B (beside "que latere insculpta seruauerit"), C (beside "& meliores esse Citharis"), D (beside "pendi debet").

Marginal notes:
[a] Lib. de pisc. cap. 27.
[b] Hist. lib. 6. cap. 14.
[c] Lib. 7. fol. 163. 46. lib. 8. fol. 177. 27.
[d] Lib. de pisc. cap. 27.
[e] Ibidem.
[f] Clas. 2 fol. 29. H.
[g] Lib. de pisc. cap. 27.
[h] lib. 7. fol. 162. 14.
[i] Lib. 7. fol. 163. 50

Iouij lapsus.

Iouij alter lapsus.

Tertius Iouij lapsus.

Athenæi (quos ſolos veterum græcorum, quorum ſcripta extant, χαλκέος mētionem facere ſcimus) χαλκέα eſſe, haud temerè aſſeueramus. Primùm enim (vt procedēte hiſtoria mōſtrabimus) ea paucula, quæ Chalceo ipſi tribuunt, huic probè reſpondent. Deinde cum hic (vt iamiam declarabimus) à latinis Faber vocetur, iurè illorum χαλκεύς creditur; cum χαλκεύς græcis propriè ærarium, aliquādo verò ferrariū etiam ſignificet fabrum. Latinè hic idem piſcis noſter, Faber ſiue Zeus dicitur. Quòd autē Faber & Zeus, vnus & idem piſcis ſit; author eſt Columella inquiens, [k] *Faber, eumque priſca conſuetudine Zeum appellamus*; atque Plinius dicens, [l] *Zeus, idem Faber appellatus*; & alibi ſcribens, [m] *Faber ſiue Zeus*. Quòd verò hic noſter Faber ſit piſcis; Primùm ex vulgari dal-
E matica nomenclatura conijcitur; Dalmatæ enim (vt diximus) eum *Fabro* vulgò appellant. Deinde veluti ob multiformes dorſi & ventris aculeos, atque varia capitis oſſa, quibus fabrilia omnia inſtrumenta repræſentantur; hunc piſcem Fabrum ſe appellare inquiunt Dalmatæ; ita eadem ratione perſuaſos veteres, latinè Fabrum, græcè verò χαλκέα hunc eundem vocaſſe, arbitrari poſſumus. Poſtremò quæ Fabro ex veteribus debentur, hunc (vt infra patebit) non dedecent.

[k] Lib. 8. cap. 16.
[l] Lib. 9. cap. 18.
[m] Lib. 32. cap. xi.

DESCRIPTIO.

F Faber caput habet compreſſum extentum oſſeum, oſſibus quàmplurimis varijs angulosis tenuibus, atque perlucidis cōſtructum; os latiſſimum plurimùm hians & edentulum; oculos magnos rotundos & aureos; branchias vtrinque quaternas, quarum oſſea opercula in aculeos deſinunt; pinnas verò duas mediocres ad branchias, aliasque duas in priore ventris parte, paulò longiores, ac in quinos veluti longos pilos degenerantes. Dorſi pinna magna eſt & vnica, paulò enim ante dorſum medium exorta ad caudam ferè vſque extenditur. Eſtque illis, quas in aliorum piſcium dorſo videmus, ſatis diſſimilis. Primùm nanque in quoſdam longiſſimos pilos (inſtar pinnarum prioris ventris) degenerat. Deinde plurimis robuſtiſſimis atque longiſſimis aculeis eidem intertextis, armatur. Poſtremò quibuſdam etiam alijs acule-
G is oſſeis, breuioribus multò, ſed validioribus, bifidis atque recuruis, ſecundum eius ortum ex dorſo, præmunitur. Ab ano autem binæ aliæ ſingulares pinnæ, huic haud abſimiles, & ſi longè minores, per imum ventrem ad vſque ferè caudam deducūtur. Cauda vnica atque lata pinna conſtat. Linea quæ à capite per vtrunque latus ad caudam excurrit, curua admodum eſt. Non ſquamis (vel certè perpaucis atque tenuiſſimis) ſed læui cute tegitur. Coloribus pingitur varijs; ventris nanque atque dorſi pinnæ fuſcæ ſunt; dorſum, atque capitis ventriſque partes nonnullæ liuent. In medio vtriuſque lateris nota nigerrima orbicularis, aurei ferè numiſmatis magnitudine, apparet; quibuſdam alijs laterum partibus aurum ementientibus, alijs verò ex cæruleo uirentibus; nec purpureæ quædam paruæ maculæ in capite, & ad brāchias deſunt.
H Quamobrem cum tot Fabri piſcis nigricent partes, à græcis χαλκέα, à latinis verò fabrum, ob ærarij fabri ſimilitudinem (quippe qui liuere fuligine ſoleat) ipſum forſan appellatum fuiſſe, haud ab re eſſet arbitrari; dummodo ex Oppiano dicente.

[n] Ἄλλαι δὲ αὖ ποίησιν ἐπίχλοοι ὑγρὰ μέτωπα
πέτραι σαργὸν ἔχουσιν ἐφέστιον, ἠδὲ σκίαιναν,
χαλκέα, καὶ κορακῖνον ἐπώνυμον αἴθοπι χροιῇ
καὶ σκάρον, id eſt vt vertit Lippius.

[o] *Sunt udæ cautes herbis à fronte uirentes,*
Hic domus eſt Sargis, hæc ſtatio læta Sciænis,

[n] Lib. 1. fol. 6. 17. græ.
[o] Lib. 1. fol. 108 55.

Et Faber, & nigro cui nomina dicta colore,
Hæc Coracinus habet, hæc Scarus saxa frequentat;

id etiam conijciendum esse (quod nonnulli perperam faciunt) non contendamus; quando non χαλκέα, sed κορακῖνον à nigro colore cognominari asseueret Oppianus. Ventriculus Fabri mediocris est; Intestina sunt parua & satis circumflexa; Hepar pallet; Lien verò rubet. Piscis totus est valde compressus atque latus. Nec solùm huius piscis lata est figura, sed ferè etiam orbicularis; vt de Chalceo, siue fabro testari videtur Athenæus his verbis; [p] *De Chalceo mentionem fecit Heraclides in re coquinaria; & Euthydemus in libro de salsamentis, dicens eos nasci in Cyzicenorum regione; rotundosque esse & orbicularis figuræ.* In nostro mari haud multùm excrescit; raro enim cubitalem excedit mẽsuram; In oceano tamen multò maior capi solet. A

[p] Lib. 7. fol. 163. 50.

LOCVS.

Marinus piscis est Faber; & propterea [q] *Inter peculiares maris pisces* iurè connumeratur à Plinio. Oppiano authore (vt ex supracitatis versibus eius patet) [r] *Saxosa atque herbis uirentia loca incolit.* Nec cum apud Columellam de piscinis pertractãtem legatur; [s] *vt litorum, sic & fretorum differentias nosse oportet; ne nos alienigeni pisces decipiant; non enim omni mari potest omnis esse; vt Ellops, qui in Pamphylio profundo, nec alio pascitur; vt Atlantico Faber, qui & in nostro Gadium municipio generosissimis piscibus adnumeratur; eumque prisca consuetudine Zeum appellamus;* Gaditani freti atque Atlantici maris dũtaxat alumnum Fabrum esse, arbitrari debemus; quando præter id, quòd Athenæo teste (vt paulò etiam ante diximus) [t] *In Cyzicenorum quoque regione nascitur* (*est autem* [u] Pomponio Mela, & [x] Valerio Flac. authoribus *Cyzicus nobilis Bithyniæ urbs*) in plerisque etiam alijs tum mediterranei, tum oceani maris locis reperiri solet. Quamobrem Atlanticum, atque Gaditanum Fabrum, ceu aliorum locorum præstantiorem à Columella celebrari opinor. Cuius opinionis videtur & Plinius, inquiens; [y] *Est & hæc natura, ut alii alibi pisces principatum obtineant; Coracinus in Aegypto, zeus idem Faber appellatus Gadibus; circa Ebusum Salpa; obscœnus alibi.* Quòd si quispiam Columellæ verbis pertinaciter innixus, eorum vi, in solo Atlantico atque Gaditano mari Fabrum reperiri; & propterea hunc piscem nostrũ, quippe qui locis alijs permultis nascatur, Fabrũ non esse, obstinatè contendat; dicemus & nos, neque rei piscatoriæ, neque locorum omnium, tam peritum fuisse Columellam, vt in re adeo lubrica, labi non potuerit; & vel maximè cum eodem etiam loco, Ellópen in Pamphylio profundo, nec alio pasci asseueret; [z] *Quem tamen Archestratus* apud Athenæum, *in Syracusano mari natum, ceu aliorum locorum præstantiorem celebrat.* Pari etiam ratione, cum Ouidius inter pisces pelago gaudentes Fabrum recenseat, dicens, [a] *Et rarus Faber;* non propterea quòd vno, aut altero solùm loco nascatur, rarum eum appellat (quando plerisque locis, vt diximus, nasci solet) sed quoniam rarò capi conspiciatur. In Romano nanque mari, alioqui valde piscoso, vix quotannis quinquageni Fabri capiuntur. Quod ferè omnibus etiam alijs locis, in quibus reperiuntur, vsuvenire solet. Id autem fieri arbitror, propterea quòd (vt author est loco supracitato Ouidius) pelagus frequentent, atque per rarò ad litora adnatent; piscatores verò haud longius à litoribus piscari solent.

B C D

Columella notatur.

[q] Lib. 32. cap. xi.
[r] Lib. 1. fol. 108. 55.
[s] Lib. 8. cap. 16.
[t] Lib. 7. fol. 163. 51.
[u] In suis commen.
[x] In suis commen.
[y] Lib. 9. cap. 18.
[z] Lib. 7. fol. 150. 26.
[a] Frag. de pisci. fol. 37. 3.

NATVRA, ET MORES.

Vorax est Faber, & carniuorus; nec pisciculis solùm, sed alga etiam atque alijs maris purgamentis & sordibus vescitur. Non gregalis, sed soliuagus piscis est.

Erectus natat, & non (vt quispiam forsan opinari posset) Passerũ more in latus conuersus. [b] *Sunt quidam*, vt refert Gyllius, *qui testantur ipsum grũnire dum capitur*. Quod si verum est, non vox, sed sonus stridórue quidam branchiarum, erit ille grũnitus; vt ex Aristotele intelligi potest, dicente. [c] *Pisces vocis quidem expertes sunt quippe qui neque pulmonem, neque* arteriam, aut guttur obtineant; sed sonos quosdam stridoresque mouent, qui vocales esse existimantur; vt Lyra, vt Chromis; his enim quasi grunnitus quidam emittitur; Aper etiam piscis, quem amnis Achelous gignit, vocalis habitus est, & Erica, & Cuculus; alter enim quo-
E dammodo stridet, alter perinde vt Cuculus auis strepit; vnde nomen accepit; quę omnia cre ditam illam vocem emittunt, aut attritu branchiarum; quas horridiusculas continent, aut interioribus, quę circa ventrem habent; Spiritus enim inclusus in his est, quem dum atterũt, *atque agitãt, sonos illos elidunt*; hæc Aristoteles. Sunt enim branchiarum opercula Fabri adeo horrida, vt vehementiùs dimota, facilè resonare posse, credenda sint.

[b] Lib. de nomi. pisc. cap. 42


[c] Hist. lib. 4. cap. 9.

VT NVTRIAT, ET VT SAPIAT.

Fabri caro satis tenera, & friabilis est; concoctu facilis, & satis etiam boni succi.
F Quamobrem iurè inter salubres pisces recenseri potest. Est præterea & suauis. Vnde nobilis quoque piscis habetur; nec eum principum mensæ aspernantur. Cum Rhombis nanque sapore & pretio non solùm contendit, sed eis etiam (multorum iudicio) antecellit. Quapropter apud veteres etiam in multa fuit existimatione; vt nobis author est Columella, inquiens (vt supra quoque retulimus) qui & in nostro Gadium municipio generosissimis piscibus adnumeratur.

VT CONDIATVR.

G Cum ob eius tenuitatem commodè assari Faber non possit; aut frictum & omphaci, siue arancij mali succo conspersum; aut in aqua & vino partibus æqualibus, oleo sale beneolentibus herbis, atque aromatibus additis, elixum comedimus.


F. 76
N. G. κάπρος.
L. Caper.
V. Pesce Balestra.

HISTORIA SEPTVAGESIMA PRIMA DE CAPRO.

NOMEN.



PISCIS noſter ſeptuageſimus ſextus, quem Romæ *peſce baleſtra* appellăt, græcè κάπρος, καπρίσκος, χοῖρος, ὗς, & μῦς dicitur; latinè verò *Caper*, *Aper*, *Porcus*, *Sus*, & *Mus* vocatur. Verùm ne citra rationem hæc edocere videamur; primùm hæc omnia nomina vnius & eiuſdem piſcis eſſe, & non diuerſorum, vt quiſpiam opinari poſet, explicabimus; deinde hunc piſcem noſtrum, eum eſſe, cui ea omnia indita ſint, demonſtrabimus. A κάπρον igitur (*cuius* [a] Ariſtoteles, & [b] Athenæus *meminit*; quemque Plinius græcam vocem imitatus [c] *Caprum*; & Theodorus latino vocabulo græcam æmulatus ſignificationem, [d] *Aprum* interpretatus eſt) & καπρίσκον (*cuius* [e] *Diphilus* apud Athenæum *mentionē fecit*) vnum & eundem piſcem eſſe; non ſolùm ex maxima nominum affinitate; ſed ex eò etiam intelligi poteſt, quòd vterque (vt infra declarabimus) duram pellem habere traditur. Quòd præterea κάπρος, χοῖρος etiam (*cuius* apud [f] Strabonem, & [g] Athenæum, *habetur mentio*) ſit & dicatur; præter quàm quòd vocum ſignificatu coniici poteſt (vti enim κάπρος ſilueſtrem, ita χοῖρος domeſticum porcum ſignificat) manifeſtiſſime probatur ex Athenæo; quippe qui (vt infra monſtrabimus) Ariſtotelis κάπρον, χοῖρον vocat. B ὗς verò (*cuius* [h] *Epicharmus* apud Athenæum *meminit*) licet dubitare videatur [i] Athenæus an κάπρος ſit; vnum tamen & eundem piſcem eſſe, tum eadem nominum ſignificatione, tum Ouidij teſtimonio, aſſeuerare poſſumus. Nam quemadmodū alij καπρίσκον & χοῖρον (vt dicemus deinceps) ferum eſſe tradunt; ita ipſe [k] *Sues diros appellat*. Poſtremò quòd μῦς etiam (*cuius* [l] Aelianus atque [m] Oppianus, *mentionem fecere*) & καπρίσκος vnus ſit piſcis, apertiſſimè declarat Athenæus dicens; [n] καπρίσκος, καλεῖται μὲν καὶ μῦς, hoc eſt, *capriſcus, uocatur quidem & Mus*. Nec eſt vt vnà cum Hermolao Barbaro, ὗς hoc Athenæi loco, pro μῦς reſtituendum conijciamus; quando quæ μυὶ ab Aeliano & Oppiano tribuuntur, καπρίσκῳ optimè (vt poſtea exponemus) reſpondent. Quamobrem vnum & eundem piſcem à Græcis κάπρον, καπρίσκον, χοῖρον, ὗν, & μῦν, à latinis verò *Caprum*, *Aprum*, C *Porcum*, *Suem*, & *Murem* vocari meritò aſſeueramus. Verùm ne nominibus decipiamur, aduertendum primùm, teſtatorum etiam genus vnum μῦν ab [o] Ariſtotele [p] Oppiano atque [q] Athenæo vocari. Notandum præterea Athenæo authore, [r] *Errorem non eſſe, Thynnos etiam appellare Sues marinos; propterea quod non ſecus quàm ſues, glandibus nutriantur*. Sciendum poſtremò [s] Iſidorum Hyſpalenſem non hunc piſcem ſeptuageſimū ſextum, ſed *ſturionem* (vt in hiſtoria trigeſima dictum eſt) *ſuem uocare*. Quòd autem piſcis noſter ſeptuageſimus ſextus, is ſit, cui prædicta omnia nomina conueniant; ex eò manifeſtum fiet, quòd omnia, quæ piſci horum nominum ex veteribus debentur, ei (vt deinceps declarabimus) egregiè quadrent.

[a] Hiſt. lib. 2. cap. 13. lib. 4. cap. 9.
[b] Lib. 7. fol. 152. 40. & fol. 163. 5.
[c] Lib. xi. cap. 51.
[d] Hiſt. lib. 2. cap. 13. lib. 4. cap. 9.
[e] Lib. 8. fol. 177. 25.
[f] lib. 7. fol. 781.
[g] Lib. 8. fol. 165. 27.
[h] Lib. 7. fol. 163. 3.
[i] Lib. 7. fol. 163. 5.
[k] In frag. de piſcib. fol. 37. 26.
[l] Lib. 12. cap. 26.
[m] Lib. 1. fol. 109. 37.
[n] Lib. 8. fol. 177. 25.
H. Barbarus notatur.
[o] Hi. lib. 4. cap. 4.
[p] Lib. 1. fol. 9. 22. græcè.
[q] Lib. 3. fol. 44. 35.
[r] Lib. 7. fol. 151. 19.
[s] Lib. 12. cap. 6.

DESCRIPTIO. D

Caper (Molæ piſcis inſtar) caput vtrinque admodum compreſſum habet; oculos rotundos atque in ſuperiore capitis parte locatos; os paruum & valde denticulatum; vtraque enim maxilla octonis dentibus validiſſimis magnis latis nō ſerratis ſed continuis, atque humanis ſimillimis munita eſt. Vnde iurè dicit Aelianus, [t] *Marini mures, & ſi non magno ſint corpore, inexpugnabili tamen ſepti ſunt robore atque muniti, quippe qui ad propugnandum duplici confidunt armaturę, prędurę nimirum pelli, & dentium robori, cum ualentibus enim piſcibus, & rei piſcatoriæ peritiſſimis hominibus pugnant.* Quod ſic tranſcripſit Oppianus.

[t] Lib. 12. cap. 26.

[w] Audaces Mures non magno corpore fidunt, [w] Lib. 1. fol.109.37.
Viribus haud magnis, sed dura pelle vigorem
Ostentant, firmi confidunt robore dentis,
Contra mortales pugnant, contra agmina ponti.

Branchias vtrinque quaternas non osseo & de articulato (reliquorum squamatorum instar) operculo, sed cute contectas; nec lata sed modicula scissura (Molæ piscis more) peruias habet. Nec si Aristoteles dicat [x] *Habent quibus paucissimæ sunt singulas branchias utrinque, easque duplices, ut κάπρος* (*sive Aper* vt vertit Theodorus) *alijs binæ utrinque sunt alteræ simplices alteræ duplices, ut congro*, suspicari debemus hunc piscẽ nostrũ Caprũ non esse; cum neque etiam verũ sit, quòd binæ vtrinque brãchiæ Congro sint. Et propterea mirari potius conuenit cur hæc ita tradiderit Aristoteles. Vtrinque vna tantùm pinna parua & rotunda ad branchias conspicitur; nam illis, quæ in piscibus alijs vtrinque in ventre sunt conspicuæ, prorsus caret. In dorso ferè medio tres menbrana inter se iuncti reperiuntur aculei robustissimi & magni; quorum prior reliquorum duorum triplus est, quosque omnes non solùm vbi vult, deprimit; sed in sulcum etiã osseum, in dorso ob id sculptum, recondit. Depressi autem & recõditi vti quàm facillmè omnes simul eriguntur, ita eorum vnus duntaxat erigi nequit. Et pari ratione erecti omnes deprimi possunt, cum eorum vnus solus nequeat; suntque ea arte fabrefacti, vt cum prior & maior quantumuis impulsus deprimi nullo prorsus pacto possit; postremi tamen depressione, quæ facillima est, statim deprimitur; non secus quàm in arcubalistis vocatis accidit; in quibus paruo ac inferiori ferreo vecte compresso, tensus illico remittitur arcus; ob cuius similitudinem hic piscis noster Romæ (vt diximus) *pesce balestra* vocatur. Et quòd maiore dignum est admiratione, si postremus aculeus nõ prorsus deprimatur, sicuti prior quoque proportione duntaxat deprimitur; sic ibidem etiam ita rursus consistit atque obfirmatur; vt nullo impulsu vlterius deprimi possit; nisi reiterata postremi depressione. Horum aculeorum meminit Strabo his verbis, [y] χοῖροι, id est porci, *cum rotundi sint & spinas ad caput habeant, periculum Crocodilis afferunt*. Et Plinius hisce; [z] *Inter venena sunt piscium porci marini spinæ in dorso*. Hos ternos aculeos pinna sequitur, ad caudam vsque deducta. Osse autem valido lato & recuruo, ex cordis loco ad eam ventris partem, quæ è branchiarum regione est primùm reflexo, deinde per ventrem sub cute vsque ferè ad podicẽ extenso, ibidemque postremò in acutissimum & conspicuum aculeum desinente, tota anterior ventris regio roboratur atque munitur. Quæ verò inter prædictum aculeum & podicem ventris portiuncula relinquitur plerisque aliis lõgè minoribus, sed satis robustis atque serratis aculeis armatur. A podice per ventrem reliquum ad caudam vsque alia singularis pinna deducitur. Cauda (quæ non sensim vt reliquorum piscium, sed repentè extenuatur) in vnicam & latam pinnam degenerat. Ventriculum habet amplum & crassum; intestina lata & valdè reflexa; hepar subalbidum, cui fellis hæret vesica. Corio tegitur squamoso, cuius tamen squamæ serpẽtis potius quàm piscis videtur; nam præter quàm quòd eo ordine sunt commissæ, vt lineas cancellatim se se intersecantes cõstituant; firmè etiam & validè adeo hærent; vt desquamari nequeant; vnde ita durum & asperum efficitur eius corium; vt vix dissecari queat; atque lignum & ebora eo poliri possint. Quamobrem iurè Aelianus atq; Oppianus marino Muri pellẽ (vt supra citauimus) prædurã tribuere; & Athenæus Aristotelis testimonio (& si apud Aristotelem nunc non legatur) [a] *Inter pisces qui aspera cute teguntur; κάπρον recensuit*. Quòd ad colorem attinet, ex liuido viret; nõnullis paruulis notis cœruleis cõspersus; dorsi verò & vẽtris pinnæ nigricãtes cœruleis & rubentibus maculis quamplurimis insigniuntur. Estque totius piscis figura valde compressa & lata atque ferè orbicularis. Et propterea non ab re à Strabone (vt supra citauimus) *porci rotundi esse dicuntur*. Ad multam magnitudinẽ non excrescit, duas enim libras rarò excedit; vnde meritò Aelianus & Oppianus, *cum* (supracitatis locis) *haud*

Marginal notes: E — Aristoteles notatur. — F — G — H — In Athenæum animaduersio.
[x] Hist. lib. 2 cap. 13.
[y] Lib. 17. fol. 781.
[z] Lib. 32. cap. 5.
[a] Lib. 7. fol. 152. 41.

b Lib. 32. cap. 2. *magno corpore eſſe dixerunt*. Etſi Plinius ſcribat, [b] *Apion maximum piſcem eſſe tradit Porcum, quem Lacedæmonij orthragoriſcum uocant*.

LOCVS.


Piſcem de quo agimus marinum eſſe, non ſolùm experimẽto (in pleriſque enim maris locis, etſi ferè nullibi admodum frequens, reperitur) ſed veterum etiam teſtimonio comprobatur. Nam præterquã quòd (vt ex ſupracitatis locis patet) Plinius
c In frag de piſcib. fol. 37. 26. *marinum Porcum*, Aelianus verò & Oppianus, *marinum Murem eum* vocant; [c] Ouidius etiam
d Lib. 7. fol. 152. 44. *Suem*, & [d] Archeſtratus apud Athenæum, *Caprum marinum piſcem facit*. Nec ſolùm in mari,
e Hiſt. lib. 4. cap. 9. ſed in aliquibus etiam fluminibus degit; vt infra nanque citabimus, [e] Ariſtoteles, A
f Lib. xi. cap. 51. g Lib. 17. 781. & [f] Plinius *Caprum in Acheloo amne reperiri* teſtãtur; [g] Srabo verò, & [h] Athenæus χοῖρον *inter*
h Lib. 7. fol. 155. 49. *Niliacos piſces* connumerant.

NATVRA, ET MORES.

Carne veſcitur Caper, piſces enim, Cancros, Squillas, atque teſtata, quæ facilè robuſtiſſimis ſuis dentibus atterit, mandit. Soliuagus eſt, & pelagi potius quàm litorum accola; vnde raró capi ſolet; Audax etiam & bellator; Aeliani nanque, & Oppiani teſtimonio (vt ſupra citauimus) *Duro corio & ualidiſſimis dẽtibus fidens, cum robuſtiſſimis piſcibus atque hominibus pugnare audet*. Et vt ſcribit Ouidius, *dirus eſt*. Lædit etiam dorſi aculeis; vnde Authore Strabone
i Lib. 17. fol. 781. [i] *Crocodili ab eo abſtinent; quia cum rotundus ſit, & ſpinas ad caput habeat, periculum belluis affert*. Et B
k Lib. 32. cap. 5. teſte Plinio [k] *Inter uenena ſunt piſcium, eius ſpinæ in dorſo, cruciato magno læſorum*. Ariſtoteles autẽ inquit
l Hiſt. lib. 4. cap. 9. [l] Piſces vocis quidẽ expertes ſunt, quippe qui neque pulmonem, neque arteriam, aut guttur obtinent; ſed ſonos quoſdã ſtridoreſque mouẽt, qui vocales eſſe exiſtimantur, vt Lyra vt Chromis, his enim quaſi grunnitus quidam emittitur; Aper etiam piſcis quem amnis Achelous gignit, *uocalis habitus eſt, & Erica & Cuculus*. Quibus verbis non ſolùm in Acheloo Caprum gigni (vt quiſpiam ſuſpicari poſſet) ſed ſolùm Caprum in Acheloo ortum grunnire edocet;
m Lib. xi. cap. 51. vt Plinius etiã declarat, ſic verba eius interpretatus; [m] *Et is qui Caper uocatur, in Acheloo amne grunnitũ habet*. Idem Plinius *Porcũ quoque grunnire cum capitur, Apionis teſtimonio* (vt ſupra citauimus)
n Lib. 8. fol. 165. 27. tradit. Athenæus verò ſcribens [n] *Et ſi Ariſtoteles uocales eſſe dixerit* μόνους σκάφρον (vel σκάρον, vt C Athenæi locus corrigitur.
o fol. 1720. 39. ex Euſtathio [o] *hunc Athenæi locum citante* corrigi debet) καὶ ποτάμιον χοῖρον, hoc eſt, *ſolum ſcarum & fluuiatilem porcum*; eandem Ariſtotelis ſententiam citare videtur. Verùm cum Ariſtoteles Scarum vocalem non fecerit; ac præter Caprum Acheloi, quem porcum fluuiatilem hîc vocat Athenæus; Lyram, Chromim, Ericam, & Cuculum, vocales eſſe teſtetur; hunc Athenæi locũ, quemadmodũ & alia eius pleraq;, mutilum eſſe ſuſpicandũ eſt. Athenæi locus corruptus.

VT NVTRIAT, ET VT SAPIAT.

p Lib. 7. fol. 152. 41. Duram carnem habet atque inſuauẽ; vnde iurè Athenæus inter [p] σκληρότατα κάπρον D
q Lib. 8. fol. 177. 25. connumerat. Et apud eundem hæc de Capriſco ſcribit Diphilus [q] βρομώδης δέ ἐστι καὶ σκληρὸς, κιθάρου δ' ἐστὶ δυσπεπτότερος, δέρμα δὲ ἔχει εὔσομον, id eſt, *Virus autem olet, & durus eſt, difficiliusque cũcoquitur quã Citharus*; quæ verò ſequũtur ſcilicet δέρμα δ' ἔχει εὔσομον, deprauata eſſe credimus; nam neq; ori gratum eſſe, cuti eius duriſſimæ & non eſculentæ conuenit; neque bene pronunciare, aut pulchri oris eſſe, quæ εὔσομον ſignificata ſunt, ad cutem pertinẽt. Et licet pleriſq; locis durus & inſuauis ſit (vt diximus) Caper; Archeſtratus
r Lib. 7. fol. 152. 44. tamen apud Athenæum; [r] *Caprum Ambracium adeo celebrat ut pari etiam auri pondere emendum ſuadeat*. Au
s Lib. 32. cap. 5 thore Plinio [s] *Læſis Porci marini ſpinarum ictu, remedio eſt limus, ex reliquo piſcium eorum corpore*.


N. G.
L. Orbis.
V. pescie Palombo.

HISTORIA SEPTVAGESIMA SECVNDA DE ORBE

NOMEN.



EPTVAGESIMVS septimus piscis, quem Veneti *Pesce Colombo*, Græci verò nostræ ætatis *Flascopsàro* (id est, *piscem Lagenam*) appellant, græco nomine caret; propterea quòd nullus veterum græcorum eius meminit. Latinè verò à Plinio, qui A solus latinorum mentionem eius fecit, [a] *Orbis* vocatur. Aduertendum tamen est, quòd in nonnullis Plinij codicibus non Orbis, sed Orchis, hoc est testis, mendosè legitur. Nam præter id quòd piscis iste teste multò rotundior est quàm ei à testis figura nomen imponi debeat; neque etiam ὄρχις ab vllo græcorum inter pisces numeratur; vnde eiusmodi mutuari nomen potuerit Plinius. Ad hoc accedit, quòd in Isidoro Hyspalensi (qui plus noningētis ab hinc annis vixit) Plinij locum citante, [b] *orbis* & non *orchis* habetur. Hunc autem piscem nostrum Plinij *Orbem* esse, Plinius ipse manifestissimè declarat inquiens, [c] *Durissimum esse piscium constat, qui Orbis uocatur; rotundus est & sine squamis; totusque capite constat.* Quæ omnia ad vnguem adeo huic nostro quadrant; vt eum Orbem esse, luce clarius pateat. B

[a] Lib. 32. cap. 2. & cap. xi.

Plinij locus corrigitur.

[b] Lib. 32. cap. 6.

[c] Lib. 32. cap. 2.

DESCRIPTIO.

Orbis piscis globosus est, cauda enim dempta, sphæricam figuram efficit. Vnde & à Plinio supracitato loco iurè rotundus esse dicitur. Rostro caret. Capitis nullum apparet vestigium; sed potius, vt Plinius etiam refert, totus capite constare videtur. Ore est paruo, binis magnis & latis dētibus tum infra, tum supra munito. Paulò supra os duo parua insculpta sunt foramina olfactui audituiue inseruientia; hisque paulò superius mediocres collocati sunt oculi. Vtrinque circa corpus medium vnica est & semicircularis branchiarum scissura; prope quam etiam vtrinque vnam haud ma- C gnam, sed rotundam pinnam habet. Posterior corporis pars in caudam breuem & rotundam, in latamque & ferè lunatam pinnam desinentem degenerat; in cuius parte media atque superiore, pinna vna erigitur; ex eiusque regione, altera quoque inferiori parti hæret. Squamis non tegitur; vt Plinius etiam notauit; sed dura & aspera cute, paruis atque quamplurimis aculeis horrida. Colore est cineraceo, lineis quibusdā latis & obscurioribus à pisce medio exortis posteriorem eius partem ad caudā vsque pingentibus. Partes internas (cum peregrinus sit piscis vt infra monstrabimus) contemplari hucvsque non licuit. Ad magnitudinem maioris pilæ, qua ludere consueuerunt, cuius etiam figuram (cauda dempta) æmulatur, excrescere solet. D Carnibus, & partibus reliquis internis adeo exterior eius distenta cutis est, vt dura reddatur. Vnde forsan & Plinius, piscium Orbem durissimum esse, scriptū reliquit.

LOCVS.

Orbis piscis non nostri maris, sed ægyptij accola est; ex quo quidem Nilum etiam subit; & ad illud Nili ostium maximè adnatat, quod Saiticum appellatur, in eoque potissimè capi solet. Accepimus præterea à quibusdam amicis, in septentrionali etiam

oceano quoddam Orbis piſcis genus reperiri. Verùm cum hactenus neque corium, neque icon eius ad manus noſtras peruenerit; hîc neque ipſius depictam exhibemus figuram, neque hiſtoriam conſcribimus. Quam enim hîc excudi curauimus Iconẽ, Niliaci, ægyptijúe Orbis eſt; cuius etiam hanc, quantula ſit, hiſtoriam commentati ſumus; quippe cuius corium ex Aegypto ad nos delatum vidimus ſæpe & pertrectauimus.


NATVRA.

Piſcis Orbis in cibos non admittitur; & propterea non ob aliud ab Aegyptijs capitur, quàm vt ſuum detractum corium tomento impleant, atque ceu rarum exteris E ad ipſos annauigantibus vẽdant. Qui ad ſuos reuerſi, poſtquam amicis nouam piſcis huius effigiem admirantibus, illud oſtenderint; ornatus cauſa in domibus ſuis ſuſpendunt. Sunt qui non ſolùm ad ornatũ illud ſuſpendẽdum cenſeant; ſed vt etiam ex eo ita ſuſpenſo, ex qua mundi parte ventus ſpiret, cognoſcatur. Arbitrantur enim hunc exiccatum piſcem ea præditum eſſe facultate, vt os ſuum ad eam ſemper cœli partem conuertat, à qua ventus flat.


EXCVSATIO BREVIORIS HISTORIAE.

Si alicui autem multa alia præter hæc de Orbe piſce hîc deſideranda videantur; vt F puta quales ipſius internæ partes ſint, quibus veſcatur, vt coeat, quando, quo modo, & vbi pariat, & conſimilia in piſcibus reliquis à nobis declarari ſolita; id potius noſtræ fidei integritati, quàm negligentiæ adſcribendum eſt. Nam cum ita noſtrum induximus animum, vt ne aliquid à nobis non viſum, aut à fide dignis non acceptum, in hiſce noſtris piſcium ſcriberemus hiſtorijs; cumque huius piſcis (quippe qui vti diximus, peregrinus eſt) neque interanea intueri, neque ab ijs, quibus indubitata adhibẽda fides eſſet, plura accipere potuerimus; his potius paucis & veriſſimis contenti eſſe voluimus, quàm pleraque alia haud prorſus falſitatis ſuſpitione carentia, ſubiungere.

P. 79.



P. 78.



HISTORIA SEPTVAGESIMA TERTIA.

DE GLANIDE

NOMEN.



SEPTVAGESIMVS octauus piſcis noſter, à Panno-
nibus *Harcha*, vel (vt [a] teſtatur Manardus, ſi rectè, vt ipſemet [a] Lib. 9. Epiſ. epiſ. 3.
proteſtatur, meminit) *Acchia*, à Germanis *Schadem*, aut *uualler*, &
à Byzantinis *Glagno* appellatus; à Græcis γλανὶς dicitur; Latinè
verò à Plinio (quem ſolùm veterum latinorum γλανίδος memi
E niſſe ſcimus) aliquando græcam imitato noměclaturam, vt [b] Lib. 9. cap. 43.
infra citabimus, [b] *Glanis*, & [c] *Glanus*; aliquando verò (vt infra [c] Lib. 32. cap. x.
etiam clarè patebit) *Silurus* appellatur. Verùm cum σιλόυρος græcum & non latinum
nomen ſit; cumque ἀπὸ τοῦ γλανίδος diuerſus ſit piſcis (vt manifeſtiſſimè in hiſtoria
noſtra trigeſima monſtrauimus) non ſolùm Ariſtotelis γλανίδα perperam Silurum in
Plinij error. terpretatus eſt Plinius; ſed Theodoro etiam Gazæ in Ariſtotelis verſione, atq; ijs qui
Theodori & interpretũ Pauſaniæ lapſus. Pauſaniam nuper latinum fecerunt, eodem modo errandi occaſionem dedit; quãdo
eorum quiſq; γλανίδα haud rectè Silurum interpretatur. Quinimo quod magis eſt re-
prehenſibile; Plinius ipſe vti γλανίδα modò Glanidem, modò verò Silurum vocat;
F ſic Siluri nomine aliquando γλανὶδα; aliquando verò verum σιλόυρον (vt in eadẽ trige-
ſima monſtrauimus hiſtoria) appellat. Quamobrem nos hunc piſcem noſtrum, quẽ
græcorum γλανίδα eſſe credimus, non Silurum, ſed prioris plinianæ interpretationis
inſtar, Glanidem vel Glanũ, græcum vocabulum mutuati, perpetuò nuncupabimus.
Quòd autem hic piſcis noſter græcorum γλανὶς ſit; præter eam, haud contemnẽdam
coniecturam, quam capere poſſumus ex vulgari Byzantinorum nomenclatura, By-
zantij enim, vt diximus, eum vulgò *Glagnum* appellant, quaſi Glanum dicere velint;
procedente etiam hiſtoria manifeſtum fiet. Omnia nanque Glanidi à veteribus attri-
G buta, ei egregiè reſpondere monſtrabuntur. Nec obijci debet, hunc glanidem eſſe
non poſſe, propterea quòd Sturioni (quem nos in hiſtoria trigeſima Silurum eſſe
comprobauimus) ſimilis non ſit; cum tamen Aelianus [d] *γλανίδα & σιλόυρον ſimiles faciat*. [d] Lib. xi. cap. 45.
Aelianus notatur. Nam (vti eadem trigeſima hiſtoria explicuimus) falſò illam (cuius ipſe ſolus antiquo
rum meminit) γλανίδος & σιλόυρου ſimilitudinem confinxit Aelianus.

DESCRIPTIO.

Glanis caput habet rotundum, & ad reliqui corporis rationẽ mediocre; in cuius
anteriore parte haud extenta ſed retuſa & omni roſtro carẽte, tanquàm impromptu
os poſitum eſt, magnum patulum vitulino ori ſimillimum, & valde denticulatum;
H vtraq; enim maxilla paruorum dentium ſed acutorũ & validorum ordinibus quam
plurimis armatur; præter quos innumeros denticulos maioribus etiam & robuſtio-
ribus muniuntur fauces. Ex ſuperiore maxilla duæ rotundæ atque lõgiſſimæ carneæ
ſiue membranaceæ appendices enaſcũtur, ex inferiore verò quaternæ multò mino-
res, vtrinque ſcilicet binæ pendent. Oculi parui ſunt & rotundi. Et vt author eſt Ari- [e] Hiſt. lib. 2. cap. 13.
ſtoteles, [e] *Branchias habet utrinque quaternas, & dupliçes, nouiſſima excepta*; & propè eas binas pinnas
vtrinque ſcilicet vnam; atque binas alias, vtrinque etiam vnam, in medio ferè vẽtre.
In primo autem dorſo parua erigitur pinna; poſt quam alia vna multò magis anguſta
in medio dorſo enata per dorſum reliquum ad caudam vſque æqualiter deducitur.
Et altera huic figura & magnitudine ſimillima à podice per imum ventrem ad vſque

etiam caudam excurrit. Cauda lata est & non lunata. Non squamis, sed corio læui & duro tegitur. Caput & dorsum nigricant, venter albus est, latera verò nõnullis nigri oribus, alijsque subalbidis maculis conspersa liuent. Vnde iure nigricantem esse Glanidem testatur Pausanias, vt infra ex citatis verbis eius, apparebit. Ventriculum amplum habet & crassum; intestina lata, nec multis gyris conuoluta; iecur ex albo rubens [f] *Cui fellis hæret uesica*, vt notauit etiam Aristoteles; lienem verò subatrum. Oblonga est piscis huius figura; estque piscis totus teres; etsi venter haud mediocriter extuberet. Ad multam magnitudinem excrescit; non solùm enim ducentarum librarum, sed maior etiam capi solet, A

[f] Hist. lib. 2. cap. 15.

LOCVS.

Cum authorum omnium testimonio Glanum siue Glanidem fluuiatilem piscem esse constet; haud Plinio assentiendum est, qui [g] *Eum maris peculiarem* facit. Aristoteles nāque non solùm semel, sed [h] vbi vbi Glanidis meminit, vt infra citabimus, ferè semper ipsum fluuiatilē esse testatur. Quinimo ipse quoqꝫ Plinius, vt infra patebit, aliquando Glanidē fluuiatilē facit. Nec vnius tātùm fluminis, sed multorū accola est. Nā cū Pausanias scribat, [i] *Feras in perniciem hominum non ferunt græcorum amnes, quemadmodum Indus & Nilus* preterea Rhenus & Istrus, Euphrates & Phasis; Hi enim feras hominū deuorātes, similes Glanidibus in Hermo & Męandro versantibus procreant, excepto colore nigriore, & robore; *nam his Glanides inferiores sunt*, Non solùm in Hermo & Mæandro (vt quispiam forsan putauerit) sed in alijs etiam recensitis fluminibus Glanides reperiri asseuerare videtur. Eorum nanqꝫ voratrices hominum feræ, Hermi atque Mæandri Glanidibus similes, excepto colore nigriore & robore, non nisi Glanides (vt in trigesima etiam explicatè declarauimus historia) esse possunt; quādo nigrius solùm, atque robustius esse generis diuersitatem non facit; & vel maximè, cum non omnibus Glanidibus, sed ijs solùm qui in Hermo & Mæādro versantur, feras illas nigriores atqꝫ robustiores esse dicat; quasi horum fluuiorum Glanides nigri atque robusti minus sint, quàm illi, qui in prædictis fluminibus reperiuntur; quos ceu ferociores, feras hominum voratrices appellauit. Adde quòd cū in Rheno & Istro (vt paulò infra dicemus) Glanis reperiatur, si feræ illæ à Glanidibus genere differrēt, eas Glanidibus assimilaturus Pausanias, haud ad Hermi & Mæādri confugisset Glanides; sed illis potius qui in eodē Rheno & Istro habentur, assimilasset. Aelianus etiam in pluribus fluminibus Glanidem degere prodidit his verbis; [k] *Glanis piscis incola Mæandri & Lyci asianorū fluminum, & Europei Strymonis, speciē Siluri similitudinemque gerit*. In Rheno autem Glanidē reperiri præter Pausaniam Plinius etiam testis est, inquiens; [l] *Silurus grassatur ubicunque est omne animal appetens equos natantes sæpe demergens, præcipuè in Rheno Germaniæ amne*, vel vt in alijs legitur codicibus, In Meno; qui quidem Menus, Pomponio authore, [m] *Germaniæ fluuius est, in Rhenum influens*, & propterea vtraque lectio verisimilis est, etsi nos priorem verisimiliorem credamus. Quòd autem hoc loco Glanidem Silurum appellet Plinius, infra demōstrabimus. In Istro verò Glanidē nasci, præter etiam Pausaniam, author est Athenæus scribens, [n] *Latus piscis similis est Glanidi, qui in Istro nascitur*. In quibus omnibus fluminibus, hunc piscem nostrum, quem glanidē esse credimus, reperiri certum est, Reperitur præterea satis magnus, & in Tibisco Daciæ flumine in Istrum influēte. In nostris verò Italiæ fluuijs nullibi (quòd sciā) habetur.

Plinij lapsus. — Plinij duplex lectio. — B — C — D

[g] Lib. 32. cap. xi.
[h] Hist. lib. 6. cap. 14. lib. 8. cap. 20. & 30. lib. 9. cap. 37.
[i] Lib. 4.
[k] Lib. xi. cap. 45.
[l] Lib. 9. cap. 15.
[m] Lib. 3.
[n] Lib. 7. fol. 155. 44.

PARTVS.

De coitu & partu Glanidum sic scripsit Aristoteles; [o] *Lacustres & fluuiatiles pisces quinto suæ* ętatis mense vterum gestare magna ex parte incipiunt; pariunt omnes intra annum; nec semē generationis simul omne emittunt; sed modo marinorum, hic quoque semper intra se aliquid

[o] Hist. lib. 6. cap. 14.

plus minus fœminę ouorum, mares liquoris prolifici retinent; Pariunt temporibus ęſtatis; Cyprini quinquies aut ſexies anno, partũque ſiderum ratione potiſſimũ faciunt; Erica ter; reliqui ſemel ędunt oua in ſtagnis fluuiorum, & arundinetis lacuũ; vt Phoxini & Percę. Glanides (ſiue vt perperam vertit Theodorus, *Siluri*) *& Percæ continenter emittunt ſuum fœtum, ut Ranæ;* adeo enim fętus ipſe continuo filo ſibi cohęret, vt Percę quidem, quoniam latior eſt, piſcatores in lacu arundine glomerēt, Pariunt Siluri grandiores ſtagno altiore, quippe cum nonnulli *uel* κατ ὀργυάς id eſt, *ſex pedum altitudine* (Theodorus vertit trium paſſuum altitudine, hoc eſt quindecim pedũ) *pariãt; minores breuiore cõtenti ſunt gurgite, precipuè ad radices ſalicis, aut cuiuſuis arborũ,* atque etiam inter arundines & algas & mucoſam congeriem. Non ſolùm pares cum paribus, ſed etiam admodum grandes cum paruis veniunt, admotiſque meatibus, quos aliqui vmbilicos vocant, fœmina ouum mas liquorem venereum depromit. Et oua quę liquor ille vitalis cõtiget, candidiora extemplo cernuntur, maioraque reddi eodem die propemodum dixerim. Paulò autem poſt oculi fętus exiſtunt conſpicui, qui in quouis piſcium genere perinde vt in cęteris animalibus ſtatim pateſcunt, pręgrandesque appa ent. Quę ex ouis non attigerit liquor maſculi ille vitalis, hęc ſterileſcunt & ſuperuacua ſunt, vt in marino etiam genere incidit. Fęcundis iam ouis piſciculo increſcente detrahitur velut putamen, quod membrana eſt ouũ ambiens & piſciculum. Oua tacta à fętifico maris ſemine admodum glutinoſa redduntur, ad ceſpites coeuntia, aut vbi pepererint. Mas oua, quę ędita ſunt cuſtodit, fęmina abit cum peperit. Tardiſſimum Siluri incrementum ex ouo eſt; quamobrem mas ſępe vel quadraginta vel quinquaginta diebus aſſidet, cuſtodiens oua, ne à piſcibus occurrentibus abſumantur. Secundę eſt tarditatis generatio Cyprinorum, parique modo oua ędita à mare ſeruantur. At minorum nonnulla vel tertio die ſpeciem piſciculi capiunt. Augentur oua, quę ſemen maris attigerit, vt dictum eſt, & eodem die & poſt. Fit ouum Siluri quantum eruum, Cyprini & reliquorum generis eiusdem, magnitudine milii. Hęc ad hunc modum pariunt atque *generant.* Quibus quidem verbis Ariſtoteles non ſolùm Glanidem (vt ſupra diximus) fluuiatilem facit; ſed eius etiam coitus & partus, tempus, locum, atque rationem omnem explicat; longamq́ue maris cuſtodiam ouis adhibitam indicat. Cuius cuſtodiæ alibi etiam ſic meminit [p] *Fluuiatilium Silurus mas plurimum curæ proli impendit, fœmina ut peperit,* abit; ſed mas quo in loco plurimus fętus conſtiterit, perſeuerans oua cuſtodit; nec alium prębet vſum, niſi vt piſciculos, ne diripiant fętum, arceat; idque vel ad quadrageſimum & *quinquageſimum diem facit, donec ſatis iam aucta ſoboles ſe tueri à cæteris piſcibus ualeat.* Huius cuſtodiæ Plinius etiam mentionem fecit, ſic Ariſtotelem tranſcribens, [q] *Silurus mas ſolus omnium ædita* cuſtodit oua, ſępe & quinquagenis diebus, ne abſumantur ab aliis, cętere fęminę in triduo *excludunt ſi mas attigit.* Quo quidem loco, non ſolùm culpandus eſt Plinius, propterea quòd Ariſtotelis Glanidem (vt ex locorum collatione clarè adeò patet, vt in dubium verti non poſſit) Silurum perperam (vt diximus) appellauerit; ſed ob id etiam, quòd Silurum ſolum omnium ædita cuſtodire oua teſtetur; cum Ariſtoteles inquiens (vt ſupra citauimus) *ſecundæ eſt tarditatis generatio Cyprinorum, parique modo oua ædita à mare ſeruantur,* atque paulò infra rurſus ſubdens, [r] *Neque eſt enim qui ſua oua cuſtodiat excepto Siluro & Cyprino, ſed Cyprinus tunc ea cuſtodit, cum congeſta reperit,* idem Cyprino quoque manifeſtiſſimè tribuat. Poſſemus tamē dicere forſan, pro excuſanda hac ſecũda Plinij incuria, nõ ſimpliciter à ſolo Siluro oua cuſtodiri, ipſum aſſeuerare; ſed cuſtodiri quinquagenis diebus; quod verè ſolus Silurus facit. Nam Cyprinus, quippe cuius Ariſtotele teſte ſecundæ tarditatis eſt generatio, haud tandiu ædita oua cuſtodit. Eandem præterea maris Glanidis cuſtodiã notauit & Ælianus his uerbis; [s] *Ex piſcibus Glanis ſuorum fœtuum amantiſſimus* eſt, Nam ſimul vt fęmina peperit, cura quidem illa de partu ſuo liberatur, ac nimirum cubitans ſuorum tuitione exſoluitur; At verò aſſiduum ſe pręſtans mas cuſtodem, ad conſeruationem eorum, quę procreauerit, aduigilat; & eos ab omnibus inſidiis prohibet.

Theodori lapſus.

Theodorus notatur.

E

F

p Hiſt. lib. 9. cap. 37.

q Lib. 9. cap. 51.

Plinij duplex lapſus.

G

r Hiſt. lib. 6. cap. 14.

s Lib. xi. cap. 45.

H

NATVRA, ET MORES.

Carniuorus eſt Glanis, nec minutis ſolùm atque paruis, ſed magnis quoque veſcitur piſcibus; ferociſſimus enim eſt. Vnde Plinius (ut ſupra quoq; citauimus) dixit

[t] Lib. 9. cap. 15. [t] Silurus grassatur vbicumque est, omne animal appetens, equos natantes sæpe demergens, *præcipuè in Rheno Germaniæ amne*. Et licet modò τόν γλανίδα, modò τόν σιλοῦρον, Silurum appellare soleat Plinius, hoc tamen loco Siluri nomine γλανίδα ab eo vocari, facilè intelligi potest. Nam (sicuti in trigesima etiam notauimus historia) cum nemo veterum sæuum & ferocem esse prodiderit Silurũ, Glanis verò (vt infra patebit) dentibus suis durissimis hamum rumpere, atque in Rheno homines deuorare soleat; γλανίδα potius quàm σιλοῦρον præsenti loco Silurum à Plinio appellari, credendum est. Nec solùm animalia, sed homines etiam in Rheno, in Istro, atque in plerisque alijs magnis fluminibus vbi maximè excrescit, aggreditur atque deuorat Glanis; vti ex supracitato Pausaniæ loco patet. Quamobrem vel hoc vno argumento piscem quem hîc exhibemus, Glanidem esse, clarè satis conijci potest. A Nam præter id, quòd scriptum reli-

[u] Lib. 9. Epist. Epist. 3. quit Manardus [u] *In animalia quantumuis magna, in Tibisco præsertim flumine, quod Istrum influit, audacissimè* adeo eum insurgere, vt nec hominibus parcat; publicamque apud Pannones famam esse, aliquando captum, in cuius visceribus humana manus ornata annulis inuenta sit; nobilissimus etiam Comes Hieronymus Martinengus (qui dum Viennæ apud Ferdinandum regem Romanorum pontificius erat orator, quo hosce meos piscatorios labores, quæ sua fuit humanitas atque erga bonas literas beneuolentia, iuuaret; non solùm huius piscis ad uiuum depictam iconem, sed eiusdem etiam exiccatũ caput, vt exactiùs ipsius mihi nota fieret structura, summa diligentia ad me transmisit) puerum in Danubio apud Possoniam natantem, paucis ante annis ab hoc pisce deuoratum, ac in interaneis eiusdẽ, post dies paucos Archiepiscopi strigonensis cura capti B atq; dissecti, pueri fragmẽta repta, à fide dignis Pannonibus se accepisse, me certiorẽ fecit. Aristoteles verò & si tantam Glanidi ferocitatem non tribuat, ipsum tamen plu-

[x] Hist. lib. 9. cap. 37. rimùm dẽtibus valere testatur, inquiens, [x] *Glanis prehenditur sæpe à piscatoribus, ubi oua custodit* dum enim arcet pisciculos, quatit, prosilit, & ictum sonumque mouet; manet apud oua tam ardente animo, vt cum sæpe à piscatoribus oua, si prealtis gurgitibus subsidunt, educantur, quo ad magis fieri potest in vadum, ipse tamen eodem studio fetum sequatur, neque deserere vnquam patiatur; tunc si minor sit natu, minusque vsu exercitatus, facilè hamo capitur; sed *si peritus, &* ἀγκιστροφάγος; id est, *hamos ante ederit*, vel *hamifraga est*, vt vertit Theodorus, *morsu dẽtis*

[y] Lib. xi. cap. 45. *sui durissimi rumpit hamũ, & fœtũ assiduè custodit*. Quod sic citat Aelianus; [y] *Atque sicut Aristoteles inquit, hamum deuorare potest*. Nec enim hoc eũ dedecet; ꝑpterea quòd paruos dẽtes habeat. Nam vti minores, ita validi atque frequẽtes sunt dentes eius, vt illis & hamum rumpere & C grandia animalia lacerare facilè possit. Plinius (nescio qua ductus ratione, quáue per- Plinius notatur

[z] Lib. 9. cap. 43. suasus authoritate) secus edocere videtur; Inquit enim, [z] *Cautius* (vel vt alij mẽdosè legunt, *Glanus* aut *Glanius*) *qui Glanis uocatur, auersos mordet hamos, nec deuorat, sed esca spoliat*. Non omnes tamen æquè robusti atque feroces sunt; Hermi nanque atque Mæandri Glanides (vt supracitato loco asseuerat Pausanias) inferiores sunt robore ijs, qui in Rheno

[a] Hist. lib. 8. cap. 20. Istro Euphrate & Phasi procreãtur. Vt tãdem testis est Aristoteles, [a] *Fluuiatile & lacustre* genus à peste quidem & ipsum inmune est, sed nonnullis morbi incidũt proprii; Silurus enim canis exortu potissimũ (quòd sublimis innatet) sideratur, & tonitruo sopitur magno, quod & Cyprino accidit, sed leuius; Silurus vel à dracone angue, gurgite parum alto ictus interit. D

[b] Lib. 9. cap. 16. Cuius loci priorem partem sic transcripsit Plinius; [b] *Fluuiatilium Silurus caniculæ exortu sideratur, & aliàs fulgore sopitur*; vel vt in quodam emẽdato codice legimus, *& aliàs semper fulgore sopitur*.

VT SAPIAT, VT NVTRIAT, ET QVIBVS MEDEATVR.

Glanis duram carnem habet, nec multùm suauem; & propterea nullibi multi pretij est. Aegrè etiam cõcoquitur; vnde non ab re in aliquibus locis (etsi apud veteres

[c] Lib. 32. cap. x. id vsitatũ fuisse non legatur) non secus quàm reliqui magni pisces, saliri solet. Recens elixus & assus manditur. Et Plinio teste, [c] *Verrucas tollit eius iecur illitum*.

HIPPOLYTVS SALVIANVS.

HISTORIA SEPTVAGESIMA QVARTA DE PISCE SEPTVAGESIMO NONO.



NDREAS Masius Bruxellensis hebraicæ græcæ latinæq; linguæ peritissimus, atque corrigẽdorum locorum, quæ antiquos authores perlegẽtibus (maximo huius nostræ ætatis detrimento, eorum qui transcripsere incuria) deprauata occurrunt studiosissimus, non solùm dum in Vrbe (ob publica quorundam Germanorum principum negotia) commoraretur, in plerisque excutiendis atque castigandis græcorum scriptorum & precipuè Athenæi locis, me (quo semper familiariter admodũ vsus fuit) plurimùm iuuit; sed in Germaniam etiã reuersus, quò hos conatus nostros cumulatiores redderet, hunc piscem ad viuum egregiè depictum ad me misit; à nonnullisque Germanorum Rutten, ab aliquibus Ruppen, ab alijs verò Treischen vocari commonuit; Cuius & si nullum veterum græcorum, latinorúmue mentionem fecisse sciamus, libuit tamen eum in septuagesima nona nostri ordinis sede collocatum exhibere; atque ea paucula, quæ de eo à viro doctissimo & amicissimo accepimus, scriptis mandare.


E

DESCRIPTIO.

F

Lacustris & fluuiatilis piscis est; capite compresso, oris rictu amplo, ex cuius inferiori labro pendet appendex tenuis. Branchias habet vtrinque quaternas, & pinnas etiam vtrinque binas, duas ad branchias, alteras verò duas è regione in anteriore ventris parte; ab ano per imum ventrem ad caudam vsque angusta pinnula excurrit, aliaque similis à medio dorso per dorsum reliquum ad caudam vsque extenditur. Cauda in rotundam pinnam degenerat. Non squamis, sed læui corio tegitur. Dorsum nigricat, partes reliquæ liuent, maculis permultis paruis atque nigrioribus conspersæ. Totius piscis figura oblonga est & rotunda, & propterea à pisce octogesimo haud prorsus absimilis. Spinam habet triangularem. Caro non est supra modum delicata, sed iecur longè delicatissimũ, & non nihil muscum redolens vel saltem gustu.

P.80



N.V.Bottatriæ

P.81.



N { G.Κωβιός
L.Gobius
V.Go

P.82



N.V.Iozo

HISTORIA SEPTVAGESIMA QVINTA DE TRISEO

NOMEN.



HIC octogesimus piscis noster, quem nonnulli Insubrium, apud quos reperitur, *Bottatrise*, alij verò *Strinzo* appellãt; [a] à Paulo Iouio, atq; [b] Mathiolo, *fluuiatilis Gobius esse creditur*; verùm quàm rectè, insequẽte historia Gobioni dicata, vbi Gobionum differentiæ explicabuntur, excutiemus; [c] à Benedicto verò Iouio *Triseus* vocatur. Quamobrẽ cum nemo antiquorũ græcorum, latinorúmue eius meminerit; & propterea græco latinóque nomine careat; ipsum vnà cum Benedicto Iouio, Triseum appellare libeat.

[a] Lib. de pisc. cap. 22.
[b] In comm. Diosl. lib. 2. cap. 29.
[c] In lib. Distic.

NATVRA, ET MORES.

E Triseus longum & acutum rostrum habet; os magnũ, cuius inferior maxilla Mulli instar, barba insignita est; caput compressum; oculos mediocres; et ad brãchias vtrinque pinnam vnam latiusculam & mollem; aliasque duas minores sub ventre; ac rursus duas alias cutaceas in dorso, priorem & minorem vnam; posteriorem verò & multò maiorẽ, à priori scilicet ad caudã vsq; deductam, alterã. E cuius regione vna quoq; à podice ad caudam vsque delata, imo ventri subest. Cauda in vnicam atq; cuspidatam pinnam desinit. Piscis totus rotundiusculus oblõgus atq; in latera compressus est; ita vt Anguillæ similis videri posset, ni breuior esset. Nõ squamis, sed lubrica cute tegitur. Venter omnibus albicat; sed haud omnibus idẽ reliqui corporis color. F Fluuiatiles enim nigricãt & vnicolores sunt; lacustres verò coloribus varijs depingũtur. Nam cum capitis partes aliquæ rubeãt, corpus reliquum luteũ est, cinereis atq; nigricantibus quibusdã maculis insignitum. Vẽtriculum magnũ habet; intestina ampla, ac plurima pinguedine obducta; hepar pallidũ & maximũ; lienẽ subrubeũ; spinas paucas. Bilibris & trilibris fluuiatilis; sex verò aut septẽ librarũ lacustris capitur.

LOCVS, ET PARTVS.

Non marinæ, sed dulcis aquæ alumnus est Triseus; in fluminibus enim & lacubus tantùm procreatur; nec in eis omnibus, aut quamplurimis; sed in nonnullis solùm Galliæ cisalpinæ, vt in Ticino flumine, & Verbano & Lario lacu. Circa autem scopulos, & saxa litoribus propinqua degunt; ibique in saxosis cauernis conduntur; vnde G persæpe in altum venatum exeunt. Omni anni tempore apparent, & capiuntur. Vere, & in saxosis locis pariunt.

NATVRA, ET MORES.

Viuax piscis est Triseus; denos nanq; annos ad minus viuere creditur. Nec facilè moritur. Non solùm enim dissectus validè mouetur; sed è sartagine etiã exilit aliquãdo. Gregatim viuit, & natat. Et vti aspectu truculentus videtur, ita re vera maximus est minorũ pisciũ hostis, quibus vescitur; sed cum eis caret, cœno etiã & alga pascitur. Capitur toto anno, tũ hamis, tum quodã retis genere, quod vulgò *Dottere* appellant.

VT SAPIAT, NVTRIAT, ET CONDIATVR.

Inter nobiles pisces cõnumerãdus est Triseus, & maximè hyeme captus; quo quidẽ H tẽpore pinguior tenerior atq; multò suauior est; & licet totus sapiat, eius tamẽ iecur quod sæpissime ad hædini iecinoris magnitudinẽ excrescit, mirè adeo sapit, vt non solùm reliquis Trisei partibus, sed piscibus etiam omnibus à nonnullis preferri soleat. Sunt etiam & lactes in eo suauissimæ; vnde iurè Benedictus Iouius scripsit.

[d] Triseus ardenti mihi sit bene coctus oliuo   Da iecur, & lactes; cætera reddo tibi.

[d] In suis Distichis.

Carnem habet teneram, sed non lentoris expertem; & propterea inter optimi succi pisces minimè recensendus. Mediocriter nutrit; nec ægrè admodum concoquitur. Quouis modo cõditus palato gratus est. Maiores tamen in frusta dissecti in aqua & vino, oleo, sale, cepis, & aromatibus additis elixãtur. Minores frixi, aut assi arancijque mali succo, vel omphacio conspersi, comeduntur.

HISTORIA SEPTVAGESIMA SEXTA DE GOBIONIBVS

GOBIONVM GENERA.



CVM plura Gobionum ſtatui genera ſoleant, de ijs generibus primùm diſerere oportet; quot, & quæ ea ſint declarantes. Sunt igitur Gobionum alij marini, alij fluuiatiles toto inter ſe genere diſtantes. Nam fluuiatiles hîc appellamus Gobios non è mari in flumina deuectos, ſed in fluminibus ipſis genitos, à mariniſque corporis etiam figura (vt infra dicemus) differẽtes. Quorum quidem fluuiatilium gobionũ nulla apud veteres græ A cos habetur mentio. Ariſtoteles nanque atq; Galenus de fluuiatilibus gobionibus pertractãtes, de ijs ſolùm, qui è mari ad flumina annatauerint (vt infra ex citatis eorum verbis clarè conſtabit) loquũtur. Quamobrem cum Athenæus ſcribat, [a] *Fluuiatilium gobionũ meminit Dorion in libro de piſcibus*, aut Dorionem quoque (vti arbitror) huiuſmodi marinos in flumina euectos, fluuiatiles appellaſſe; aut quos ipſe fluuiatiles vocauerit, nos ignorare, fatendum eſt. Veteribus etiam authoribus latinis incognitus fuit gobio fluuiatilis; primuſque omniũ (quòd ſciamus) eius meminit Auſonius his verſibus.

[a] Lib. 7. fol. 154. 44.

[b] Tu quoque flumineas inter memorande cohortes
Gobio, non maior geminis ſine pollice palmis;
Præpinguis, teres, ouipera congeſtior aluo,
Propexique iubas imitatus Gobio Barbi.

[b] In Moſella.

Vnde cum nonnulli (vt in ſeptuageſima quinta, & ſeptuageſima ſeptima diximus B hiſtoria) piſcem noſtrum octogeſimum, atq; octogeſimum ſecundum, fluuiatilium gobionum ſpecies faciant; ſi hoc, ceu ſuum adinuentũ proferant, id eis facilè condonari poteſt; ſi verò veterum quoque authorum teſtimonio, id cõprobari contendãt; haud illis aſſentiendum. Quando vti veterum ſolus Auſonius fluuiatilẽ cognouit atq; deſcripſit Gobium; ſic is vnicam fluuiatilium gobionũ ſpeciem, eamque octogeſimo atque octogeſimo ſecundo piſcibus noſtris (vt infra patebit) ſatis diſſimilem fecit. Marinorum quoque gobionum genus in diuerſas quaſdam ſpecies diuidunt aliqui. Aliquorum error. Verùm ſi notas, quibus ita Gobiones ſeparant, intimiùs contemplemur; differentiarum potius quàm ſpecierum ea eſſe videbitur diuiſio. Nam & ſi loco atq; colore (vt infra explicabitur) Gobij marini inter ſe differũt; non tamen ob id, variæ (vt ipſi arbitrantur) Gobionum marinorum ſpecies, ſed ſolùm differentiæ quædam conſtituuntur. C Ita vt duo tantùm ſint gobionũ genera, fluuiatilium vnum, marinorum verò alterum; de quorum vtroque hîc pertractabimus.

FLVVIATILIS GOBIONIS NOMENCLATVRA ET DESCRIPTIO.

Cum fluuiatilis Gobionis (quem Galli *Gouion*, Lugdunẽſes *Goiſon*, & Germani *Gob* appellant; Itali verò propterea quòd in Italis fluminibus inſolitus ferè ſit piſcis, innominatum reliquere) iconem (vti par erat) hîc exhibere nõ licuerit; ipſum ſaltẽ verbis pingemus. D Fluuiatilis igitur Gobio haud multùm ad marinorũ figurã accedit; non enim craſſo vt illi, ſed tenui capite conſtat; ore eſt prorſus edentulo, cum illorũ denticulatum ſit; geminaque Barba, barbi inſtar, inſignitur; vt Auſonius animaduertit inquiens, *Propexique iubas imitatus Gobio Barbi*; qua barba marini carent. In dorſo vnicã pinnam habet, cum marini in dorſo binas gerant. Brãchias habet vtrinque quaternas; & binas vtrinque pinnas; duas ad branchias, & alias duas in ventre; & rurſus aliam vnã ab ano imo ventri hærentẽ. Cauda non rotũda, vt marinorũ, ſed lunata eſt. Squamis exiguis tegitur. Notis quibuſdã nigricãtibus dorſum, & eius maximè ſingularis pinna cõſpergitur. Piſcis totus teres eſt; vt Auſonius etiã præcitatis verſibus notauit. Nec multùm excreſcit; nam eodẽ authore, eſt nõ maior geminis ſine pollice palmis.

MARINI GOBIONIS NOMEN.

Piſcis noſter octogeſimus primus (qui marinus Gobius eſt) à Venetis *Go*, à Liguribus *Zolero*, & à Gallis *Gouion de mer* appellatus; ab Ouidio *Gouius*, à Martiale *Gobius*, à Columella à Plinio atque Iuuenale *Gobio*; ab eodéque Plinio *Cobio* quoque (græco more) vocatur. Græcè verò κωβιός, & vt refert Athenæus, [c] *à Numenio in libro de piſcibus* κώθος, eodemque referēte, [d] *à Siculis, Nicandro Colophonio in linguis, & Apollodoro in ijs, quæ ſcripſit de Sophrone, authoribus* κώθων etiam nominatur.

[c] Lib.7.fol.154.34.
[d] Lib.7.fol.154.36.

MARINI GOBIONIS DESCRIPTIO.

E Gobius marinus caput habet craſſum, ceruicem latam, oculos eminentes & ſurſum ſpectantes, os mediocre & paruis dentibus munitum, branchias vtrinque quaternas, & binas vtrinque etiam pinnas, duas latas & rotundas ad branchias, reliquas duas in ventre. Quæ tamen duæ ventris pinnæ ita in Gobijs interſe iunguntur, vt ſingularis potiùs quàm gemina pinna appareat. Aliam præterea vnicā à podice in imo ventre, & alias duas in dorſo, priorem & minorem vnam, poſteriorem verò & maiorem alterā, vtranque aculeis carentem habet. Cauda non in lunatam, ſed in rotundā pinnam degenerat. Vētriculus oblōgus eſt, & ſatis amplus; [e] *Cui complures hærent appendices;* vt notauit etiam Ariſtoteles. Inteſtina ſunt mediocria, multis gyris reflexa. Hepar
F pallet; ex quo fellis veſica pendet. Piſcis totus rotūdus eſt & teres. Et licet lubricus ſit, vt Ouidius animaduertit inquiens, [f] *Lubricus & ſpina nocuus non Gouius ulla*, ſquamis tamen rotundiuſculis tegitur. Coloratus etiam piſcis eſt, verùm haud omnes ijsdē depicti ſunt coloribus. Hiceſius enim apud Athenæū inquiens; [g] διαφέρουσι δὲ ἐυσομίᾳ ὁι λευκότεροι τῶν μελάνων, ὁι δὲ τῶν χλωρῶν κωβίων σὰρξ, χαυνοτέρα ἐστί, καὶ ἀλιπεστέρα, id eſt, *ſuperant guſtu albi nigros; pallentium autem* (τῶν χλωρῶν enim, non viridium, ſed pallentium vel flaueſcentium hoc loco verti debet; quando χλωρὸς non ſolùm viridem ſed pallidum etiam atq; croceum ſiue flaueſcentem ſignificat; Gobij verò vti pallidi ac flaueſcentes ſæpe, ita virides nunquā apparent) *Gobionum caro laxior eſt, & minus pinguis*; & Diphilus apud eundem dicens, [h] κωβίων ὁι μικροί καὶ ὁι λευκοὶ ἁπαλοί εἰσιν, ἄβρομοι, ἔυχυλοι, ἐυπεπτοι. ὁι
G δὲ χλωροὶ (καλοῦνται δὲ καυλῖναι) ξηροὶ εἰσι καὶ ἀλιπεῖς; hoc eſt, *Gobionum parui & albi teneri ſunt, virus non reſipientes, boni ſucci, concoctu faciles; pallentes autem (quos caulines vocant) ſicci ſunt & minus pingues*; alborum nigrorum, atque pallentium gobionum meminerunt. Alborum præterea mentionem fecit & Ariſtoteles ſcribens; [i] *Gobionem album Euripi, non eſſe pelagium, certum eſt*; quæ quidē verba, infra vbi de loco pertractabitur, excutiemus. Hæc tamen colorum ſiue picturæ varietas, non ſpecies diuerſas (vt diximus ſupra) ſed differentias gobionum facit. Non ſecus enim quàm Anguillæ Tincæ (vt in earum hiſtorijs diximus) loci ratione colorem variant. Nam qui Gobionum puriorē maris partē incolunt, minus picturati ſunt; & propterea ab Hiceſio & Diphilo, non quia verè candidi ſint (quum nullus marinorū Gobionū ſit candidus) ſed quia minus colorati, ac ex albo leuiter flaueſcentes, albi vocantur. Qui verò in cœnoſis atque palu-
H doſis marinis locis degūt, cum ex flauo nigricent; cuiuſmodi noſter eſt octogeſimus primus piſcis, à Venetis (vt dictum eſt) *Go* appellatus, nigri dicuntur ab Hiceſio. Qui poſtremò circa ſaxoſa maris loca victitant (quales ſunt Venetijs *paganelli* appellati) etſi varijs depicti ſint coloribus, cum eorum tamen partes plurimæ flaueſcant, χλωροὶ id eſt *pallentes* ſiue *flaueſcentes* ab Hiceſio & Diphilo iurè vocantur. Haud multùm augetur Gobius, vix enim palmum ſuperat vnquam. Quod Columella etiam teſtatur, inquiens; [k] *Exiguusque Gobius, & quiſquis denique eſt incrementi minuti piſcis maiorem alit*; atque Galenus dicens; [l] *Gobius ex eorum etiam numero eſt, qui parui perpetuò manent.* Vt tamen author eſt Aelianus, [m] *In mari rubro duorum & ſæpe trium cubitorum naſcuntur.*

[e] Hiſt.lib.2.cap.17.
[f] In frag. fol. 37.23.
[g] Lib. 7. fol.154.31.
[h] Lib. 8. fol. 177.x.
[i] Hiſt. Lib.9.cap.37.
[k] Lib. 8. cap. 17.
[l] Claſ. 2. fol 29. D.
[m] Lib. 13. cap. 7.

FLVVIATILIS GOBII LOCVS, CAPTVRA ET PRAESTANTIA

Fluuiatiles Gobij (quorum, vt diximus, solus veterum Ausonius meminit) in fluminibus nascuntur & degunt. Et sicuti in plerisque Galliæ fluuijs frequentes adeo sunt, vt Gallis satis cogniti sint pisces; sic Italis parum sunt noti; propterea quod nō solùm in paucis nostrorum fluminum, sed in ijs rari etiam reperiri soleant. Cadauerum caluarijs in aqua proiectis magnopere delectantur; quod cum Gallis piscatoribus exploratum sit; boum & equorū asseruata capita in Ligerim atque in alios fluuios, in quibus victitant, conijcientes ea illecebra allectos facilè plurimos capiunt. Carnem habent tenerā, & præpinguē; vt supra citatis versibus Ausonius testatur. Sunt etiā boni succi, cōcoctu faciles, atque sapidi; vnde iure multis in locis nobiles pisces existimātur. A

MARINI GOBIONIS LOCVS.

Cum marinorum piscium alij in alto mari degant, & propterea pelagici appellentur; alij verò circa litora victitent, & litorales dicātur; ab [n] Aristotele & [o] Oppiano *inter litorales Gobio recensetur*. Quibus assentitur & Galenus noster inquiens, [p] *Gobio litoralis est*. Et cum rursus marina litora, aut arenosa, aut saxosa sint; in vtrisque Gobij degunt; vt author est Oppianus his verbis.

n Hist. lib. 8. cap. 13
o Lib. 1. fol. 109. 36.
p Clas. 2. fol. 29. D.
q Lib. 1. fol. 109. 31.

[q] Cautibus & bibula multi pascuntur arena, Scorpius in pugna fortis, genus unde gemellum,
Auratæ fuluæ splendoris nomine dictæ, Ambæ Sphirenæ longæ, tenuesque Belonæ,
Et Symij, & Glauci, & densato dente Dracones, Gobius, & Charax.

r Clas. 2. fol. 29. D. atque Galenus hisce, [r] *Gobius in arenosis litoribus, aut saxosis promontorijs uiuit*; idem præterea comprobare videtur & apud Athenæum Diocles, dicens; [s] *Gobionum qui saxatiles sunt carnem teneriorem habent*. Ex quibus clarè patet, quòd sicuti Gobij neque omnes, neque perpetuò in saxosis locis degunt; sic inter verè saxatiles pisces non sunt connumerandi; vt in historia octogesima explicatè declarauimus. Nec solùm in ijs, quæ diximus litoribus, sed in fluuiorum etiam ostijs, in fluuijs ipsis, in stagnis, atque in stagnis maritimis repe- B

s Lib. 7. fol. 154. 33.

t Hist. lib. 8. cap. 19. riuntur Gobij. Quòd tum Aristoteles tum Galenus notarunt; ille enim, [t] *Subeunt etiam fluuios genera piscium complura, & præstant in fluentis & lacubus, vt Amia, & Mugiles, Gobiones etiam pinguescunt in fluuijs* inquit; hic verò [u] *Gobiones in fluminum ostijs, aut stagnis, aut stagnis maritimis etiam uersari*, prodidit. Et licet in plerisque marinis litoribus frequentes satis esse soleant gobij; in nostro tamen Romano litore ferè nunquam cōspiciuntur. Vt demū testis est Aristoteles, [x] *De Euripo pirrhæo pisces per hyemem omnes, excepto Gobione foras enatant, propter frigus, locus hic enim frigidior est; sed in eunte uere eodem redeunt*. Et vt idem subdit, [y] τῶν δ' ἐν τῷ Εὐρίπῳ φυομένων, οὐκ ἔστι πελάγιος ὁ λευκὸς κωβιός, id est, *genitorum in Euripo, non est pelagius albus gobius* (vel vt vertit Theodorus, *Gobionem album Euripi, non esse pelagium certum est*) Quibus verbis albus Euripi Gobio (vt quispiam suspicari posset) haud quaquam fluuiatilis esse, credendus est; propterea quòd ipsum, pelagium non esse, testetur Aristoteles. Nam hoc loco pelagus non à flumine, sed ab Euripo, hoc est ab angusta maris parte insulam Euboeā à Bœotia breui spacio seiungente; & pelagios pisces non à fluuiatilibus, sed ab Euripicis, id est ab ijs qui in Euripo gignuntur, separat; vt ipsemet clarè his sequentibus verbis declarat; [z] *Apud Lesbum insulam, omnia tam pelagia, quàm Euripica, parere solēt in Euripo*. C

u Clas. 2. fol. 29. D. G.
x Hist. lib. 9. cap. 37.
y Hist. lib. 9. cap. 37.
z Hist. lib. 9. cap. 37.

NATVRA, ET MORES.

a Hist. lib. 6. cap. 33. Vt proditum est ab Aristotele, [a] *Pariunt iuxta litora Gobiones, suaque oua lapidum amplexibus mandant, latiusculа & arenida*. Eodémque authore, [b] ἡ δὲ ἄλλη ἀφύη, γόνος ἰχθύων ἐστίν, ὁ μὲν καλούμενος κωβίτης κωβιῶν τῶν μικρῶν καὶ φαύλων, οἳ καταδυόμενοι εἰς τὴν γῆν id est, *reliqua autem Apua, fœtura piscium est, κωβίτης quidem* (vel vt vertit Theodorus Gobionaria) *uocata Gobionum paruorum & ignobilium, qui terram subeunt*; & non vt vertit Theodorus, *quæ gobionaria dicitur gobiones paruos, ignobiles, qui terram subeunt, creat*. Quod sic transcripsit Athenæus; [c] *Est alia apua κωβίτης appellata, nascitur autem ex paruis & ignobilibus gobionibus, in arena versantibus*. Quæ autem sit Apua κωβίτης, in secūdo libro nostro, vbi de reliquis Apuarum generibus pertractabitur, explicatè declarabimus. Ab eodem præterea Aristotele, [d] *Inter gregales pisces Gobij connumerantur*. Et vt idem tradidit, [e] *Luto, alga, musco, & eo, quod caulium uocant, atque enescente materia nascuntur*. Aeliano autem teste, [f] *Gobio Draco pisces marini pungendo uenenum emit=* D

b Hist. lib. 6. cap. 15.
Theodori error.
c Lib. 7. fol. 143. 12.
d Hist. lib. 9. cap. 2.
e Hist. lib. 8. cap. 2.
f Lib. 13. cap. 7.

sunt, minimè tamen mortiferum. Quod sic transcripsisse videtur Oppianus.

[g] Horrendus curuo qui gaudet Scorpius antro, [g] Lib. 2. fol. 127.56.
Gobius in fulua nimium contentus arena.
Et Canis, atque Draco, volucrisque per equora Hirundo,
Hi duris pugnãt stimulis funduntque venenum.

Aelianus & Oppianus notantur.

Verùm cum Gobius nullo stimulo, aculeóue armetur; haud hoc illis assentiẽdum est. Plinius Theophrasti authoritate refert, [h] *In ponto apprehendi glacie piscium maximè Gobiones, non nisi patinarum calore vitalem motum fatentes*. [h] Lib. 9. cap. 57.

E

QVANTAE SIT AESTIMATIONIS.

Etsi Gobius cum nobilissimis piscibus conferri non debeat, vt testari videtur Iuuenalis inquiens; [i] *Nec Mullum cupias quum sit tibi Gobio tantùm In loculis*; haud tamen spernendus est; cum iucundè satis sapiat; & propterea apud etiam veteres in æstimatione fuit. Vnde cecinit Martialis, [k] *Principium cœnæ Gobius esse solet*. Et Galenus, [l] *præstantissimum ad uoluptatẽ*; Et *Hicesius* apud Athenæum, [m] *sapore gratum ipsum esse*, testãtur. Antiphanes verò apud eundem Athenæum, sic Gobios celebrat; [n] *Venio ad nuptias splendidè mercatus obolo thus dijs deabusque* omnibus; Heroibus verò liba tribuam; Vobis autem mortalibus emi Gobiones; furem recedere imperaui, Ichthyopolam addo; dico tibi populum horum; sunt enim Phalerici. Et Menander, vt idem refert Athenæus, inquit; [o] *Ichthyopolarum modò quidam quatuor drachmis æstimauit Gobios ualdè*. Non omnes tamen æqualis sunt præstantiæ; Aristotele nanque authore, [p] *Apud Cretam insulam satis pinguescunt*; & vt alibi tradidit, [q] *pinguescunt etiam in fluuijs*. Apud Athenæum, [r] *Hicesius albos nigris præfert*; [s] *Diphilus paruos & albos teneriores esse testatur*; [t] *Diocles saxatiles teneriorem carnem habere existimat*. Antiphanes verò (vt paulò ante citauimus) *phalericos celebrat*. Vt autẽ Galenus noster testis est, [u] *Præstantissimus ad uoluptatem, concoctionem, simul ac distributionem* & succi bonitatem est is, qui in arenosis litoribus, aut saxosis promontoriis viuit. Non autem equè est iocundus, neque boni succi, neque ad coquendum facilis, qui in fluminum ostiis, aut stagnis maritimis versatur. Quòd si aqua limosa quoque fuerit, aut fluuius vrbem expurget; Gobio, qui in eis gignetur, erit deterrimus; ceu alii omnes pisces, qui in aquis huiusmodi *uersantur*.

F

G

[i] Saty. xi. 4.
[k] Lib. 13. 88.
[l] Clas. 2. fol 29. D.
[m] Lib. 7. fol. 154. 31.
[n] Lib. 7 fol. 154. 40.
[o] Lib. 7. fol. 154. 43.
[p] Hist. lib. 8. cap. 13.
[q] Hist. lib. 8. cap. 19.
[r] Lib. 7. fol. 154. 31.
[s] Lib. 8. fol. 177. x.
[t] Lib. 7. fol. 154. 33.
[u] Clas. 2. fol. 29. D.

VT NVTRIAT.

Vt refert Athenæus authore Hicesio, [x] *Gobiones multi succi sunt, facilè excernuntur, non multùm* nutriunt, nec bonum succum gignunt. Flauescentium autem caro substantię est rarioris, minus pinguis, succumque tenuiorem, neque ita copiosum prebet; ob magnitudinẽ tamẽ magis *nutriunt*. Diphilus verò apud eundem Athenæum, [y] Gobij, inquit, *alendi ratione Percis similes* sunt; horum parui & albi sunt teneri, nec virus resipiunt; bonum succum gignunt, & facilè *concoquuntur; flauescentes (caulines dicti) aridi sunt, & minus pingues*. Galeno autem teste, [z] *Gobiorum* caro vti carne saxatilium est durior, ita mollior quàm Mullorum; ipsa igitur proportione *uescentium corpus nutrit*. Et vt rursus prodidit; [a] *Gobiones non perinde mollem, ac Aselli & saxatiles carnem habent*. Spinas perpaucas habet Gobius; vnde iurè dixit Ouidius, vt supra etiam citauimus, *& spina non nocuus ulla*. Vt author est Dioscorides, [b] *Gobius recens in aluum suillam consutus* decoquitur in sextariis aque duodecim, quoad sextarii duo supersint; deinde excolatus, & sub dio refrigeratus, bibentes per inferna sine molestia purgat; Idem vulneribus canum, & serpentium impositus medetur.

H

[x] Lib. 7. fol. 154. 30.
[y] Lib. 8. fol. 177. x.
[z] Clas. 2. fol. 29. E.
[a] Clas. 2. fol 29. G.
[b] Lib. 2. cap. 29.

HISTORIA SEPTVAGESIMA SEPTIMA DE CITO.

NOMEN.



ISCIS nostri octogesimi secundi; qui Romæ *Messore & capo grosso*, in Etruria *Ghiozzo*, in Gallia cisalpina *Capitone & Bot*, et in Gallia transalpina *Chabot* vocatur; veterum nemo (quòd sciamus) præter vnum Aristotelem meminit. Ab eo enim (vt in impressis habetur codicibus) βοῖτος, vel (vt legisse videtur Theodorus quippe qui Cottum vertit) κόττος, vel (vt in vetustissimo manuscripto exemplari uidimus) κοῖτος appellatur. Quam quidem postremam lectionem ueriorem putamus; non ex eò solùm, quòd codicis sit antiquissimi & præstātissimi Vaticanæ bibliothecæ; sed ob id quoque, quòd cum Aristoteles dicat, [a] *Addo etiam pisciculos fluuiatiles, quos κοίτους uocant, qui sub saxis stabulantur; ἀπὸ τοῦ κοίτου*, id est, à cubili, κοῖτοι hi pisces vocari potuisse videntur. Aduertendum tamen, ne nominum decipiamur similitudine, apud Athenæum κύττον etiam piscem reperiri; qui quidem Athenæi κύττος vti ab hoc nostro Aristotelis κοίτου diuersus esse videtur; sic qui piscis sit, haud facilè est intelligere; quando non solùm ipse duntaxat Athenæus mentionem eius fecit, sed neque etiam aliud, de eo testatum reliquit, quàm quòd [b] *Cyttus Baccho dicatur*. Quòd verò octogesimus noster secundus piscis, Aristotelis Citus sit; ex verbis eius clarè satis cōiicj potest. Nam cū ipse pisces audire declarās inquiat; [c] *Addo etiam pisciculos fluuiatiles, citos nomine* (vel cottos vt vertit Theodorus) *qui sub saxis stabulantur; capiuntur enim à nonnullis saxo percusso, sub quo latent; protinus enim inde exturbantur, ut qui audiant & caput strepitu tentetur*; hic noster paruus est & fluuiatilis; & sub saxis stabulari, eisdéque percussis fugari & capi, magis quàm quiuis alius solet. Hunc præterea cum fluuiatilem Gobionem esse asseuerēt nonnulli; si propterea quòd marino Gobioni simillimus sit, fluuiatilem gobionem eum vocari posse et debere contendant; non solùm id eis libenter assentimus; sed eorum etiam laudamus diligentiam; quippe qui nouum & congruum ob similitudinem huic pisci nomen imposuerint. Animaduertendum tamen neminem veterum tali nomine eum appellasse. Nam vti insuperiore diximus historia, solus antiquorum Ausonius fluuiatilis gobionis meminit, isque vt ibidem monstrauimus, alium ab hoc nostro piscem fluuiatilem Gobionem fecit.

A B C

Aristotelis locus corrigitur.

[a] Hist. lib. 4. cap. 8.
[b] Lib. 7. fol. 162. 14.
[c] Hist. lib. 4. cap. 8.

DESCRIPTIO.

Citus marino gobioni paruo (vt diximus) admodum similis est; magno enim est capite (vnde omnes ferè eius vulgares nomenclaturæ ortæ videntur) elata ceruice; oculisque eminentibus, & sursum spectantibus. Os habet latum & edentulum; brāchias vtrinque quaternas; & binas vtrinque pinnas, ad branchias duas satis magnas, & duas alias minores in ventre. In dorso præterea aliæ duæ eriguntur; quarum prior minor est, posterior maior. Et postremò imo etiam ventri alia vna singularis ab ano subnectitur. Cauda in vnicam & rotundam pinnam degenerat. Lubricus est vt Gobius, squamis tamen tenuibus contegitur. Ventriculus est satis amplus. Intestina gyris plurimis reuoluuntur. Hepar pallet. Fellis vesica ex hepate pendet. Totius piscis figura teres est. Dorsum ex cinereo nigricat, latera cineracea sunt, D

venter albicat, dorsi verò pinnæ liuentibus maculis insigniuntur. Minuti incrementi piscis est, rarò nanque annularis digiti longitudinem & crassitiem æquat.


LOCVS.

Fluuiatilis piscis est Citus; in fluminibus enim gignitur & degit; minorumque potius quàm maiorum fluminum incola est. In tãtumque minora diligit flumina, vt in riuulis etiam tenuissimis procreari soleat. Et paruorum fluuiorum atque riuulo-E rum adeo est amans, vt pauci sint, in quibus non reperiantur Citi.

VT SAPIANT, VT NVTRIANT, ET VT CONDIANTVR.

Sapidi adeo pisces sunt Citi, vt nullis aliis minutis pisciculis in gustus suauitate cedãt, Et iurè propterea vbique ferè in multa sunt existimatione; præstantiores tamen sunt, qui in purioribus & saxosis fluminibus, vel riuis victitant. Carnem habẽt nullis spinis præter eam quæ per dorsum excurrit præpeditam, teneram non viscidam boni succi & concoctu facilem. Vnde in marinorum penuria (quibus semper, quòd ad tuendam valetudinem attinet; fluuiatiles, vt in historia octogesima declarauimus, inferiores sunt) valetudina-F rijs concedi possent. Ob eorũ tenuitatẽ cum commodè neq; elixari, neque assari possint, in sartagine optimo oleo frixi, & arancij mali succo consperſi manduntur.


P. 83. N. { G. L. V. *Pesce pectine*



P. 84. N. { G. L. V. Mesoro.



P. 85. N. { G. Ἰουλίς. L. Iulia. V. Donzella.



HISTORIA SEPTVAGESIMA OCTAVA DE PISCE OCTOGESIMO TERTIO.



VM nihil magis probum dedeceat virum, quàm ementiri, & imposturā facere; nostri octogesimi tertij piscis græcū & latinum nomen ignorare, apertè atq; ingenuè cōfiteri potius volumus, quàm futilibus & commētitijs coniecturis græcè & latinè ipsum appellare cōtendentes, alieno abuti nomine. Huius
E igitur piscis nostri, quē Romæ *Pesce pettine*, & in plerisque alijs locis *Rason* vocant, prisca nobis adinuenire nomina hucusq; non licuit. Nec ob id tamē ab hisce nostris piscatorijs conatibus ipsum arcendū duximus; fieri enim forsan poterit, vt aut alij, aut nos in posterùm peculiare suum venemur vetus nomen. Quod si non accidat, præstantius nihilominus est, hanc quantulamcunque, quàm nullam eius tradi cognitionem.

DESCRIPTIO.

Peculiarem adeo figurā habet octogesimus tertius piscis noster, vt nulli alij pisciū similis videatur, ob omnibusque internosci facilè possit. Capite enim permagno est, valde tamē (non secus quàm corpore toto) cōpresso, & omni prorsus rostro carēte.
F Linea nanq; anteriorem capitis, siue totius corporis partem terminans, longa satis & recta, atque ferè ad perpendiculum è summo capitis vertice ad inferiorem usq; maxillam defertur. In infimo cuius anterioris atq; ferè perpendicularis partis loco os positū est paruum, dentibus acutissimis & paruis, præter quatuor anteriores & lōgiores, munitum. Oculi parui sunt, & in superiore capitis sede collocati. Branchias vtrinq; quaternas habet; & binas etiam vtrinq; pinnas, duas latiores ad branchias, & duas alias angustiores in ventre. In dorso vnica erigitur pinna, non multùm lata, sed satis lōga; à primo nanq; dorso exorta per dorsum totū ferè vsque ad caudā extenditur. Imo præterea vētri alia vna singularis pinna ab ano (qui in hoc pisce propiùs ad caput quàm ad caudam accedit) nata, & vsq; ferè ad caudam producta subditur. Cauda in vnam
G & latam pinnam degenerat. Ventriculum habet mediocrē; intestina pinguedine plurima obducta, & multis gyris circumacta; hepar pallidum; & fellis vesicam iecinori annexam. Piscis est latiusculus valdè, Fabri instar compressus, squamis magnis contectus, & varijs atq; pulcherrimis coloribus egregiè depictus. Caput enim, maxillæ, & branchiarū opercula plurimis cæruleis lineis insignita apparent. Imi ventris & caudæ pinnæ subflauis & virentibus lineis inter se cancellatim commissis, decenter admodum depictæ sunt. Pinna dorsi rubra est, nōnullis cæruleis cōspersa maculis. Corpus reliquum ex albo flauescit. Ad multam molem non excrescit, palmi nanque mensuram excedere non solet.

LOCVS, ET NATVRA.

H Piscis, de quo agimus, marinus est; litoralis & non pelagius; ac litorum maximè quæ saxis abundant, incola. Nec omni mari cōmunis est; in quāplurimis enim marinis locis ne reperitur quidem; in nonnullis verò rarus habetur. In nostro nanq; Romano foro piscatorio vix deni aut duodeni quot annis conspiciūtur. In Rhodio tamē in Siculo atq; in Hispano mari frequētior gignitur. Soliuagus piscis est, imbellisque & infirmus; carniuorus tamen. Vnde cum ob imbecillitatem corporis, ac paruitatem oris maiores aggredi non audeat pisces; paruis Loligunculis, Sepiolis, Apuis, atque reliquis minutioribus pisciculis vescitur.

VT NVTRIAT, ET VT SAPIAT.

Carnem habet teneram & friabilē, boni succi, atq; concoctu facilem; vnde in saxatiliū penuria, ipsis substitui, atq; valetudinarijs apponi potest. Nullis ferè alijs spinis, præter eas quæ dorsi spinā constituūt, interciditur. Gustui suauissimus est. Et propterea vbi vbi capi solet, in maxima habetur existimatione.

HISTORIA SEPTVAGESIMA NONA

DE BLENNO

NOMEN.



PISCIS noster octogesimus quartus, qui Romæ (non secus quàm Vranoscopus & Citus) *Messore*, In Narbonensi prouincia à nonnullis *Lebre de mar*, & à Corcyrensibus atque à quibusdã alijs nostri temporis græcis *Cepola* vocatur; ab Oppiano βλέννος, & ab Athenæo βελέννος appellatur; à Plinio verò priori græco seruato vocabulo, *Blennus* dicitur. A Et licet ex ijs, quæ hi de Blenno scripta reliquere (apud enim reliquos authores nullam Blenni piscis mentionem fieri scimus) comprobari posse non videatur, hunc piscem nostrum Blennum esse; quando Plinius non nisi, [a] *Blennorum cinerem cum ruta uesicæ uitia & calculos sanare* prodidit; & Oppianus solùm [b] *Inter pisces, qui herbosa litora incolunt, Blennum recensuit*; Athenæus verò [c] *Cothio duntaxat Belennum similem esse dixit*. Non tamen temerè sed verisimilibus coniecturis persuasi, hũc Blennum esse asseueramus. Nam cum βλέννα mucum, βλέννος verò ignauum & segnem significet; hic noster piscis, qui præ cæteris mucosus, quique ignauus & timidus, atque segnis & tardus est (vt infra dicemus) βλέννος iurè vocatur. Ad hoc accedit, quòd in herbosis litoribus viuit; quòd Blẽno tribuit Oppianus. B Adde postremò quòd (vt infra declarabimus) Cothio siue Gobio absimilis non est; quẽadmodum Cothio similem Belennum facit Athenæus. Verùm cum Athenæi verba sic legantur [d] Ἐ'σι δὲ κωθιῷ τὴν 'ιδέαν παραπλήσιος βελέννος, hoc est, *est autem Cothio forma similis Belennus*; tum in verbo κωθιῷ tum in βελέννος mendum suspicor. Nam cum apud eundẽ Athenæum (vt in septuagesima sexta Monstrauimus historia) à Numenio κώτος, & à Siculis κώτων Gobius appelletur; κώθιον verò nusquam alibi mẽtio habeatur; haud ab re esset ι expuncto, κώθῳ; aut θ in β commutato, κωβί'ῳ pro κωθιῷ corrigere; nam vti tum κώθῳ, tum κωβί'ῳ, facilè in κωθιῷ deprauari potuit; sic vtraque castigatio rationi admodum consentanea est. Pari ratione cum Plinius & Oppianus Blennum piscẽ vocent, Belennus verò à nullo, præterquam hîc ab Athenæo, inter pisces connumeretur, C ε expuncto, βλέννος in Athenæo etiam restituendum esse videtur. Cum præterea præcitatis verbis statim subiungat Athenæus [e] *Epicharmus autem in nuptijs hebes βαιόνας quosdam pisces uocauit, his uerbis; Age autem Triglas gibbas, Bæonasque insuaues; Et apud Atticos est etiam Prouerbium, ne mihi βαιών malus piscis*; Vti βαί'ωνα vilem & malum piscem esse testatur; sic haud explicat, an βελέννος & βαί'ων, vnus & idem piscis, vel diuersi potius sint. Verùm cum βαί'ων piscis 'απὸ τοῦ βαί'ου, hoc est, breui vel paruo dici videatur; & vilis sit & malus; haud ab re esset arbitrari, βλέννον, quippe qui (vt infra dicemus) paruus est & vilissimus, βαί'ωνα etiam vocari consueuisse.

[a] Lib. 32. cap. 9.
[b] Lib. i. fol. 108. 35.
[c] Lib. 7. fol. 144. 36.
[d] Lib. 4. fol. 144. 36.
[e] Lib. 7. fol. 144. 36.

Athenæi locus corrigitur.

DESCRIPTIO. D

Blennus magnum caput habet; oculos etiam magnos & eminentes, atque superiore parte duabus cutaceis appendicibus, marini Scorpionis instar, ornatos; os mediocre, ori piscis octogesimi tertij simillimum, serratis & validis denticulis munitum; branchias vtrinque quaternas; & binas etiam vtrinque pinnas, duas latas rotundas crassas & satis magnas ad branchias; & alias duas multò angustiores in ventre, sed capiti valde propinquas. Præter has autem, alia vna magna & inæqualis in dorso extat, quæ quidem vti à primo exorta dorso vsque ferè ad caudam deducitur, sic prior pars

eius capiti proxima latissima est, & tenuibus quibusdam aculeis instructa; posterior verò multò angustior. In latiore huius pinnæ parte macula nigra albicanti circũdata circulo, parui argentei numismatis magnitudine, figura verò illis, quæ in extremis pinnis caudæ Paui auis visuntur, similis, apparet. Ab ano rursus altera singularis pinna & angusta per ventrem imum, ad caudam vsque extenditur. Cauda verò non in bifidam, sed in vnicam pinnam desinit. Ventriculus est satis amplus & crassus. Intestina etiam lata sunt & multis gyris reflexa. Hepar albicat. Fellis vesica iecinori hæret. Piscis totus teres est, & adeo lubricus (ob plurimũ mucum, quo semper oblinitus capitur) vt vix manibus adstringi possit. Squamis tegitur paucis tenuibus & facilè deciduis. Depictus est piscis, cum enim totus ferè liueat, partes eius pleræque ex liuido rubent; nonnullæ verò flauescunt. Nec multùm excrescit, Gobium nanque magnitudine non superat. Quamobrem cum non solùm magnitudine, sed crassitie etiam capitis, tereti figura, corporis lubricitate, atque coloribus ipsis Gobius & Blennus inter se conueniant; haud ab re (vt supra citauimus) hunc illi similem fecit Athenæus.

E

LOCVS, ET NATVRA.

F

Marinus piscis est Blennus; non pelagius, sed litoralis; litoraque herbis virentia incolit; vt author est Oppianus, inquiens,

[f] Per molles tantùm ripas herbasque virentes,
Smarides, Blenni, cum Sparis, Bocces vtrique,
Menides, & Tragi, simul Antherina vagantur.

f Lib. i. fol. 108.34.

In cœnosis etiam & algosis litoribus libenter victitat. Locis plerisque rarus est, in mari enim nostro Romano vix quotannis deni Blenni capi solent; In Græco tamen frequentior habetur. Non vagabundus, sed tardus, atque piger est piscis; haud enim longè ab ijs, in quibus viuit locis, vagari solet. Est ignauus etiam & timidus; vnde frequenter inter algas latitat. Edax & gulosus est; minoribus Squillis, & minutis pisciculis, quos latens dolo potius quàm vlla audacia venatur, vescitur; in horumque penuria algas & diuersa maris purgamenta mandit.

G

VT NVTRIAT, ET VT SAPIAT.

Carnem habet mollem, verùm glutinosam, & excrementitiam; & propterea mali succi, atque concoctu difficilem. Insipidus adeo atque ita gustui ingratus est piscis, vt vbique nullius sit pretij; soleãtque infimæ etiã plebis homines eum aspernari; nec nisi in maxima aliorum piscium penuria eum comedunt.

QVIBVS MEDEATVR.

Vt author est Plinius, [g] *Blennorũm cinis* (vt supra etiam citauimus) *cum ruta uesicæ uitia & calculos sanat.*

g Lib. 32. cap. 9.

DE SAXATILIBVS PISCIBVS.



VM iam de saxatilibus piscibus pertractandum sit, in primis qui saxatiles sint pisces (quando haud id omnibus notum est) declarandum duximus. Fluuiatiles enim pisciculi in saxosis fluuijs degentes, saxatiles à veteribus medicis tantopere laudati, à Iunioribus quamplurimis crediti sunt atque creduntur. Verùm in quàm graui hi versentur errore, Galenus noster declarat; non fluuiatiles (qui semper quòd ad sanitatem spectat, marinis inferiores sunt) sed marinos saxatiles faciens; eosque in sex genera diuidens; atque cur saxatiles dicantur explicans his verbis. [a] *Scarum, Merulam, Turdum, Iuliam, Phucam, & Percam, à locis in quibus uersari comperiuntur, pisces saxatiles appellant. Non enim in laeuibus, aut arenosis, aut terreis litoribus, sed in petrosis promontoriis, & ubi saxa sunt delitescunt ac pariunt.* Veterum praeterea scriptorum quamplures in recensendis etiam saxatilibus piscibus errore, etsi non adeo caeco vt iuniores, capti sunt; omnes marinos pisces in saxosis locis repertos, saxatiles esse arbitrati. Cum tamen Galenus, cui in ijs quae ad artem medicam attinent, prae caeteris credendum est, secus sentiat. Nam cum marinorum piscium nonnulli etsi in saxosis locis degant; ea tamen loca neque semper, neque omnes eiusdem generis frequententi; alij verò in petrosis promontorijs atque saxosis locis nascantur, & perpetuò viuant (ita vt nullus vnquam eiusdem generis piscis alibi quàm in petrosis locis reperiatur) sicuti hos, quos supracitato loco sex illis generibus complexus est, saxatiles esse asseuerat (cum vt ipsemet testatur, [b] *Saxatiles nec alimenta, nec loca mutent, nec dulcibus aquis utantur, ob eamque causam omnes perpetuò sint inculpati.* Et vt idem alibi scribit, [c] *In Saxatilibus piscibus meritò nullum sit inter congeneres discrimen manifestum, ut qui perpetuò in purissimo mari degant, aquamque dulcissimam, & eam, quae ex eiusmodi & marina est mixta, fugitent*) sic illos, vt qui neque perpetuò, neque omnes eiusdem generis in saxosis locis victitent ([d] *Cuiusmodi*, ipso authore, *Gobio est*) à verè saxatilibus excludit. Etsi à plerisque antiquis scriptoribus hi quoque (vt supra diximus) inter saxatiles recensiti sint. Nos verò Galenum sequuti, de veris saxatilibus hìc pertractabimus. Inter quos etsi primas teneat Scarus, eius tamen hoc loco (vti par erat) non collocauimus historiam. Nam cum peregrinus piscis sit, eius icon (quam ex Graecia deferri curauimus) ad nos adhuc non peruenit. Quamobrem à Iulide exordiemur, Scari historiam & iconem in secundo libro nostro exhibituri.

Iuniorum error.

A

Veterum quorundam lapsus.

B

C

[a] Clas.2.fol.29.C.
[b] Clas.2.fol.29.E.
[c] Clas.2.fol.29.D.
[d] Clas.2.fol.29.D.

HISTORIA OCTOGESIMA. DE IVLIDE.

NOMEN.



ISCIS Octogesimus quintus, quem Romae & Neapoli obscoena voce *Menchia di Re*, Veneti *Donzella*, Massilienses *Douella*, Ligures *Zigorella*, Graecorum vulgus *Iglicqua*, Cretenses *Asdelles*, ac Rhodij *Zillo* appellant; à Graecis ἰουλίς, & apud Athenaeum [e] ab Hermippo ἴουλος; à Plinio *Iulis*, atque à Theodoro Gaza *Iulia* vocatur. Aduertendum tamen hìc est, praeter hunc nostrum ἰουλίδα siue *Iulidem* vocatum piscem, ἰούλου etiam inter pisces connumerari ab Aeliano atque Oppiano; etsi lanugo, & Cereris Proserpinaeque hymnus, & Vermis multipes parietibus arrepens, & praeterea fructus omnis (vt graeca lexica notant) ἴουλος alijs sit; atque [f] ἰούλους etiam, authore Athenaeo, *terrae intestina appellent*. Quòd autem Iulis nostra alius piscis sit à Iulo Aeliani & Oppiani (qui soli veterum, quod sciamus, piscis ἰούλου meminerunt) infra, vbi eorum etiam citabimus verba, declarabimus.

D

[e] Athe.lib.7.fol.163.18.
[f] Lib.7.fol.152.26.

DESCRIPTIO.

Iulis rostro est acuto; ore paruo, denticulis longioribus, atque crassiusculis labijs munito; capite tenui & rotundo; oculis paruis & rotundis, quorum nigram pupillam rubeus ambit circulus. In dorso vnicam habet pinnam, toti ferè dorso longitudine æqualem. A podice, qui in medio ventre consistit, pinna alia ad caudam vsque per ventrem imum ducitur. Ad branchias, quas vtrinque quaternas gerit, pinnæ duæ paruæ sunt, aliæque duæ etiam paruæ sub ventre. Cauda in latam & rotundiusculam pinnam degenerat. Piscis totus etsi palmi mensuram non excedat, si cum latitudine conferatur, longiusculus est. Squamis tegitur tenuissimis. Colore est admodum vario, ita vt pulchritudine cum Pauone pisce contendat; pisciumque omnium formosissimus videri possit. Venter enim ex albo purpurascit, latera ex cæruleo flauescũt,
E dorsum ex glauco nigricat. Linea præterea vtrinque serrata ex rubeis & quadrangulis maculis, extremis solùm angolis se inuicem tangentibus, conflata à summis branchiis secundum dorsi ductum in caudam defertur. Sub qua in lateribus iuxta branchias nota quædam violacea, vtrinque cærulea linea clausa, satis lata atque duplo longior apparet. Ab oris rictu per caput, & media branchiarum opercula ad earum usque scissuram cærulea etiam alia deducitur linea. Dorsi postremò ac ventris pinnæ versicolores sunt; alijsque lineolis & notis versicoloribus etiam (quas verbis exprimere difficile est) nonnullæ aliæ partes eius pinguntur. Ventriculus paruus est; intestina gracilia; hepar pallidum, lien subrubeus. Palmi (vt diximus) magnitudinem nõ superat.

F

LOCVS.

Marinus piscis est Iulis, in saxosis locis uictitãs; uti author est Oppianus his uersibus,

[g] scopulos quos abluit vnda g Lib.1.fol.108.50.
Alga conspersos, & multo murice tectos
Salpę habitant variis distincti tergora signis,
Iulides, & Percę, Channi, Turdiqúe virentes,
Phucides eunuci uero de nomine dictę
Cirris saltator, Mylus, Syene, Basiliscus,
Aspera saxa colunt imo defixa profundo.

G Galeno verò teste, vt supra etiam diximus, non solùm in piscium censu, qui largiori modo loquendi, saxatiles à scriptoribus reliquis appellari solent, sed in eorum etiam numero, qui verè saxatiles sunt, recensenda est Iulis.

NATVRA, ET MORES.

Ab Aristotele [h] *Inter gregales pisces connumeratur Iulis*. Verùm haud locis omnibus eam gregatim degere arbitror; nam in nostro Romano maris tractu non nisi rarissimè, & sola semper capi solet. Ni forsan id ea ratione accidat, quòd vt Hermippus testatum reliquit, [i] *difficilis captu sit*. Carne vescitur, minoribus nempe pisciculis; in quorum pe-
H nuria algam etiam comedit. Vnde apud Athenæum, [k] *Numenium* ᾽ιουλι'δα μα'ργον, hoc est, *Iulidem uoracem* vocasse opinor. Vere parit, circa saxa. Cum autem Aelianus tradat, [l] *Iulides pisces saxatiles sunt, quibus os sceleratissimi ueneni refertum est, quemcumque piscem degustarunt, inhabilem* ad edendum, perniciosumqúe ei qui postea gustauerit, efficiunt. Piscatores cum squillam quam media ex parte Iulides exedissent & confecissent, sine vllo pretio parabilem offendissent, cumqúe inopia pressi gustare ingressi essent, illorum aluos vehementes cruciatus exceperunt; In piscatu vrinatores & natatores infestissimè persequũtur; ac vt terrenę muscę mordicus premũt, similiter Iulides frequentes in eos quos dixi incurrentes, morsu affligunt, quas repellere necesse habent, aut ab his demorsi, cruciabuntur; in quibus repulsandis totus vrinandi & natandi *labor perit*; Cumqúe hoc idem, sic ex eo transcribat Oppianus,

h Hist.lib.9.cap.2.

i Athe.lib.7.fol. 163. 18.

k Lib.7.fol.152.25.

l Lib.xi.cep.52.

m Lib.2.fol.127.36.

[m] Ore venenato sic lędunt stigmate paruo
Iulides, has homines qui findunt ęquora vasta
Oderunt, coguntur enim densę agmine multo,
Si videant homines rimantes saxa profunda,
Et studio celeres sulcantes ęquoris vndas
Erumpunt curuis petris examine multo,
Atque cateruatim fusę per membra natantis
Circundant acri morsu, vel dente laborant.
Hic morsu & rapidis gemit exagitatus ab vndis,
Atque manu & pedibus madidas arcere cateruas
Nititur, hę firmę circum immotęque sequuntur. A
Sunt similes muscis, quę autumni tempore primo
Messores fessos circundant agmine denso,
Hi radiis Phębi domiti, magnoque labore
Sudant, mordaces addunt sua stigmata muscę,
Non cessant donec satientur sanguine rubro,
Sanguinis humani tanta est innata cupido;

non de hoc nostro pisce, qui (vt diximus) ἰουλὶς vocatur; sed de alio, quem eorum vterque non ἰουλίδα, sed ἰοῦλον appellat (etsi perperam Gyllius in Aeliani, & Lippius in Oppiani versione ἰοῦλον, ἀπὸ τοῦ ἰουλίδος non distinguentes Iulidem interpretati sint) loquuntur. Nec opinandum est, vnum & eundem piscem ἰουλίδα & ἰοῦλον vocari; cum ἰουλὶς & ἰοῦλος diuersorum piscium esse nomina, ex multis dubio procul intelligi possit. Primùm enim ea quæ Aelianus & Oppianus suo Iulo tribuunt, Iulidi ab alijs scriptoribus non ascribuntur; quinimo venenatum os habere, tantùm abest vt negligenter à scriptoribus prætermissum, atque ob id Iulidi non attributum credi debeat; vt ne vllo quidem modo ei conuenire posse videatur. Nam cum ex saxatilium numero sit Iulis, qui omnes Galeni testimonio (vt supra etiam citauimus) in cibo innoxij sunt & inculpati; quo pacto Iulis ore adeo venenato esse poterit. Nec est vt quispiam obijciat, Viperam etiam, cuius venenatissimum os est, esculentam esse; nam non nisi absciso capite, eam in cibum admittimus; Iulide verò non solùm integra atque capite non orbata citra noxam vescimur; sed neque etiam aliquis scriptorum Iulidi caput abscindi oportere, si ea vescendum sit, admonuit; vti eorum plures id in Vipera commonuere. Præterea etsi Aelianus Iulidis (quod quidem sciam) mẽtionem non fecerit, Oppianus tamen non solùm diuersis in locis vtriusque meminit, sed diuersos etiam pisces fecisse videtur; cum varia vtrique supra citatis locis ascripserit; [n] *Hippurosque Iulo*; alibi verò, [o] *Lolligines Iulide* capi asseueret. Sicuti igitur Iulidem à Iulo differre non dubitamus, sic quinam piscium Iulus sit, adhuc asserere non audemus. Neque enim Hermolao subscribendum censemus, qui [p] *Balenæ ducem* (quem alij Musculum vocant) *Iulum uocari* testatur.

Gyllij & Lippij lapsus.

B

C

n Lib.3.fol.135 7.
o Lib.4.fol.150.20.
p In castig.Plin.

Hermolaus notatur.


VT NVTRIAT, ET VT SAPIAT, ET QVIBVS MEDEATVR.

D

q Clas.2.fol.29.D.E.
r Lib.2.cap 32.
s Lib.32.cap.9


Galeno teste [q] *Vti et saxatiles reliqui, teneram & friabilem carnem habet Iulis, concoctu facilem, & humanis corporibus saluberrimam.* Quamobrem ægrotantibus etiam, vel Galeni consilio concedenda est. Quòd verò ad saporis suauitatem spectat, cum sapidissimis minimè conferri debet. Aegris in albo iure elixatur; sanis in sartagine frigitur, aut assatur. [r] Dioscoridis & [s] Plinij testimonio (quorum verba in historia sexagesima octaua citauimus) *idoneum ad aluum emolliendam Ius ex ea paratur.*

P. 86



N. { G. κίχλη.
L. Turdus.
V. Tordo.

P. 87




N. { G. κόττυφος.
L. Merulo.
V. Merlo.


P. 88
N. L. Turdi spes.
V. verdone.

HISTORIA OCTOGESIMA PRIMA. DE TVRDO.

NOMEN.



PISCIS noster octogesimus sextus, quem Itali Hispani & plerique alij *Tordo* appellant, authore Athenæo [a] *ab Atticis κίχλη uocatur*; nam vt idem subiungit, *Atticorum fœminina, quæ in λα desinunt, alterum Λ ante Λ habent; ut σκύλλα, κόλλα, βδέλλα; in λη uero desinentia non item; ut ὁμίχλη, αἴγλη, τρώγλη*. Eusthatio verò teste [b] *lingua Dorica κιχήλα uocabatur; Quã linguã Syracusii imitati, etiã κικήλα dixerũt*. Et apud Atheneũ, [c] *Pancrates Arcas in libro de rebus maritimis, κίκλην multis nominibus appellari testatur, σαῦρον ἤπερ & αἰολίην*. [d] *Nicãder etiã* apud eũdẽ *inquit, ἢ σκάρον, ἢ κίχλην πολυώνυμον*, id est *uel Scarũ uel*
E *Turdũ multi nominis*; Etsi forsã his verbis (vt ĩfra dicem⁹) celebrẽ atq; multæ existimatiõis piscem potius Turdum faciat, quàm eum multis vocari solere nominibus asseueret. Notandum autem est, *σαῦρον* (vt in historia nonagesima prima declaratur) alium etiam piscem ab hoc longè diuersum esse & dici. Animaduertendumque (vt in historia trigesima secunda habetur) Coracinum quoque [e] *αἰολίνα à Numenio, & Scarum* [f] *αἴολον à Nicandro uocari*; & propterea *κίκλην* cognomine potius quàm proprio nomine *αἰολίην* dici; idque non ineptè, cum varius piscis sit, vt postea dicemus. Latinè verò hic piscis noster *Turdus* vocatur. Dicitur autem Turdus (veterum etiam testimonio vt mox citabimus) propterea quòd aluo varius, vt Turdus auis sit.
F

[a] Lib.7.fol.152.30.
[b] fol.1934.15.
[c] Lib.7.fol 152.37.
[d] Lib.7.fol.152.39
[e] Athe.Lib.7.fo.154 16
[f] Athe.Lib.7.fol. 159.50.

TVRDORVM PLVRA GENERA.

Turdorum plura esse genera, res ipsa declarat; licet solus antiquorum Columella (quòd sciamus) id notauerit, inquiens, [g] *Turdi complura genera includemus*. Quot autem & qualia sint, uti nemo explicat, ita haud facilè est explicatu; quamobrem id nunc operam dabimus, vt quo faciliùs atque clariùs effici potest, explicentur. Primùm igitur præcauendum est, ne omnes picturatos pisces (quod Ichthyopolæ vbique ferè faciunt) Turdos vocemus, non solùm Turdos ipsos (qui verè vt mox dicetur, picti sunt)
G sed Percas etiam, Hiatulas, Fucas, Merulas, Pauones, atque reliquos depictos pisces, Turdos perperam appellantes. Hunc autem errorem facilè euitabimus, si ueterum authorum testimonio (vt infra patebit) Turdi piscis aluum Turdi auis instar, varium siue maculosum esse animaduerterimus. Quamobrem qui varium aluum non habent, Turdi non sunt. Verùm cum piscium, qui aluo sunt vario, quique verè Turdi dicuntur, plura (vt diximus) sint genera; ut quot sint, & quomodo internosci debeãt, nobis innotescat; commonendum est, primariam eorum distinctionem ex corporis figura atque magnitudine desumi. Vnde duo eorum prima constituuntur genera. Nam aut minor est & latus Turdus, cuius efigies octogesima sexta nostra est; aut maior & oblongus, cuius imago est octogesima octaua. Et quemadmodum maioris di-
H stinctionis gratia hunc maiorem, illum verò minorem Turdum appellare possumus; ita non solùm vterque proprijs pingitur coloribus; sed rursus etiam maior (vt in eius descriptione demonstrabitur) colorum varietate subdiuiditur in viridem, & rubrum; ita vt tria sint Turdorum genera, minorum vnum, maiorum verò duo, viride scilicet & rubrum.

[g] Lib.8.cap.17.

MINORIS TVRDI DESCRIPTIO.

Cum minorum Turdorum genus à maiorum genere non solùm colorum varietate, sed etiam figura & magnitudine (vt diximus) differat; seorsum vtriusque descri-

ptionem tradendam duximus, à minori exordientes. Minor igitur Turdus (cuius iconem octogesimam sextam esse præmonuimus) rostro est satis acuto, ore mediocri, dentibus validis recuruis atq; serratis; labijsq; crassis; oculis magnis & aureo circulo pupillam ambiente, insignitis. [h] *Branchias habet utrinque quaternas, easque duplices, nouissima excepta* vt author est Aristoteles. Pinnæ vtrinque binæ conspiciuntur; duæ ad branchias, & aliæ duæ in ventre, vna scilicet vtrinque. In dorso vna singularis erigitur pinna ferè vsque ad caudam deducta. Imo etiam ventri alia vna singularis & minor à podice subnectitur. Cauda quoque in vnicam & latam pinnam degenerat. Ventriculus carnosus est & amplus. Intestina etiam crassa & lata sunt. Hepar pallet, eique assuta est fellis vesica. Squamis mediocribus tegitur; & latiusculus piscis est, minori Tincæ non absimilis; atque totus picturatus. Caput enim, dorsum, cauda, atque pinnæ ex cine- A
raceò nigricant; latera verò cineracea, & venter subalbidus liuentibus maculis nullo ordine inter se permistis, Turdi auis modo, consperguntur. Vnde iurè M. Varro inquit, [i] *Vocabula piscium pleraque translata à terrestribus, ex aliqua parte similibus rebus, ut Anguilla, Lingulaca, Sudis; Alia à coloribus, ut hæc, Asellus, Vmbra, Turdus.* Et D. Ambrosius [k] *Turdum aluo uarium* appellat; atque ab Isidoro Hyspalensi [l] *Turdus Albouarius* vocatur, ni forsan (vt arbitror) ad D. Ambrosij censuram, aluo varius, corrigendum sit. Athenæus verò Aristotelis authoritate (etsi id apud Aristotelem non legi) [m] *Turdum μελανόστικτον*, id est, *nigris maculis insignem*; & Eustathius [n] *ποικιλόστικτον*, hoc est, *maculis uariis conspersum* esse testãtur. Et postremò [o] *αἰολίαν*, id est, *uarium*, non ab re eum (vt diximus) vocari asseuerat Pancrates. Quorum quidem authorum testimonio piscem nostrum octogesimum sextum, veterum Tur- B
dum esse, clarè satis constat. Nec Aristoteles dicens, [p] *Mutantur colore pisces, qui Merulæ, & qui Turdi appellantur atque etiam Squillæ, uere enim nigrescunt, post uer albedinem suam recipiunt*, huic nostræ repugnat opinioni; vt alicui videri posset; propterea quòd hic noster piscis toto anni tempore nigricat; cum tamen Aristotelis testimonio Turdus vere niger, post verò ver albus apparere soleat. Nam haud quaquam aliquo anni tempore Turdos pisces albos reperiri, credendus est arbitrari Aristoteles; quum hoc falsum esse experientia, & piscatorum consensu deprehendatur; sed id solùm intelligit ipse, quòd cum Turdi reliquo anno subnigri, siue ex albo nigricantes appareant; verno tempore ni-
griores conspiciuntur; quod vti verissimum est, ita non dedecet illam subnigrediñe C
huic nigredini collatam, largo loquendi modo, albedinem appellari ab eo. Magnus piscis non est Turdus iste; Rarò enim palmi mensuram excedit.

[h] Hist. lib. 2. cap. 13.
[i] Lib. 4. de ling. lat.
[k] Hex. 5. cap. 2
[l] Lib. 12. cap. 6.
[m] Lib. 7. fol. 152. 37.
[n] Fol. 1934. 21.
[o] Athe. lib. 7. fol. 152. 38.
[p] Hist. lib. 8. ca. 30.

MAIORIS TVRDI DESCRIPTIO.

Alter Turdus (quem distinctionis causa, maiorem vocare decreuimus, cuiusque iconem octogesimam octauam esse prædocuimus) sicuti ore, dentibus, labijs, oculis, branchijs, pinnis, cauda, atque interaneis descripto minori simillimus est; ita ab eo, corporis figura, colore, atque magnitudine plurimùm differt. Non enim Tincæ in-
star latæ figuræ est, vt ille, sed oblongæ. Nec eisdem depingitur coloribus. Nam D
cum hic maior, coloris ratione, duplex (vt diximus) sit, neutri cum minori conuenit color; horum nanq; vnus (quem Romæ & *Tordo*, & *Verdone* appellant) totus viridis est, alter verò subrubet. Et veluti hi duo maiores rebus reliquis simillimi sunt, nec nisi viriditate & rubedine internoscuntur; ita vtriusque dorsum maculis paruis rotundis atque cæruleis conspersum est. Venter verò & latera liuentibus maculis confusè permistis (Turdi auis more) insignita conspiciuntur; qua vna nota, minori Turdo similes sunt, atque Turdi dicuntur. Differunt postremò à minori & magnitudine; nam cum ille (vt dictum est) palmi mensuram non excedat, hi ad cubitalem aliquando excrescunt magnitudinem.

LOCVS.

Marinus piscis est Turdus. Et cum marinos pisces in pelagios & litorales diuidat Aristoteles, inter litorales Turdum connumerat, sic scribens, [q] *Litorales sunt Dentex, Scarabeus, Cernua, Aurata, Mugil, Mullus, Turdus, Draco, Pulcher, Gobio, atque omne saxatile genus*. Et rursus cum marina litora aut cœnosa, aut arenosa, aut saxosa sint; in saxosis solùm litoribus Turdus nascitur & degit. Vnde iurè saxatilis esse dicitur; vt author est idem Aristoteles inquiens, [r] *Saxatiles, ut Turdi, Merulæ, & Percæ*; & Columella dicens, [s] *Saxatiles dicti sunt, ut Merulæ, Turdique*; & Plinius [t] *Saxatilium Turdus, & Merula*; & alibi [u] *Turdus inter saxatiles*, scribens. Idem comprobat Oppianus his versibus,

> [x] In vastum pontum, scopulos quos abluit vnda
> Alga conspersos, & multo murice tectos,
> Salpę habitant variis distincti tergora signis,
> Iulides, & Percę, Channi, Turdiquè virentes,
> Phucides eunuchi uero de nomine dictę.

Et apud Athenæum [y] *Diocles inquiens in primo libro salubriũ, Qui saxatiles appellantur, molli sunt carne, ut Merulæ, Turdi, Percæ, Gobii, Phycides, Alphestiqus*; atq; Galenus noster hisce verbis; [z] *Scarum, Merulã, Turdũ, Iuliam, Fucam, Percam, à locis in quibus versari cõperiuntur, pisces saxatiles appellant; non enim in leuibus aut arenosis aut terreis litoribus, sed in petrosis promontoriis, & vbi saxa sunt delitescunt, & pariunt*. Et licet in omnibus ferè saxosis maris litoribus reperiri soleat Turdus, in Ponto tamen, si Plinio credamus, non reperitur; inquit enim (de Ponto pertractans) [a] *Saxatilium Turdus & Merula desunt*. Ex eorum præterea piscium est numero, qui in marinis piscinis inclusi claustra patiuntur; vt author est Columella scribens; [b] Turdi complura genera, Merulasquè, & auidas Mustellas, tum etiam sine macula (nam sunt & varii) Lupos includemus.

[q] Hist.lib.8.cap.13.
[r] Hist.lib.8.cap.15.
[s] Lib.8.cap.16.
[t] Lib.9.cap.15.
[u] Lib.32.cap.xi.
[x] Lib.1.fol.108.47.
[y] Lib.7.fol.152.33.
[z] Clas.2.fol.29.C. & fol.43.H.
[a] Lib.9.cap.15.
[b] Lib.8.cap.17.

E F

NATVRA, ET MORES.

G Turdus non solùm alga pascitur, sed carniuorus etiam est; pisciculis enim Sepiolis Loligunculis atque minoribus crustatis vescitur. Oppiano autem authore, [c] κόσσυφος, id est *Merula mas est*; κίχλη verò, hoc est *Turdus fœmina & Merulæ nubit*. Cui tamen nos assentiendum non credimus; nam præter quàm quòd authores omnes eos non solùm sexu, sed specie etiam separant; re ipsa quoque ita esse demonstratur; quum tum Merularum, tum Turdorum alios semine, alios ouis refertos esse verno tempore conspiciamus. Vagabundus piscis non est; neque longè à saxosis suis domicilijs recedere solet. Hyeme coniugatim mas cum fœmina latet, vt Aristoteles tradit his verbis; [d] *Saxatiles uerò coniugatim mares cum fœminis conduntur, quemadmodum & fœtificare solent, ut Turdi, Merulæ, Percæ*. Eodem authore Turdus vere nigrescit, & post ver albedinem suam recipit, quod non solùm supra citauimus, sed declarauimus etiam, quo pacto intelligi debeat. H

Oppianus notatur.

[c] Lib.4.fol.42.30. græcè prætermittitur ab interprete.
[d] Hist.lib.8.cap.15.

VT NVTRIAT.

Turdus mollem carnem habet; quod non solùm apud Athenæum [e] Diocles (vt supra citauimus) & Diphilus (inquiens [f] *Iis simile est genus eorum, quæ mollis carnis esse dicuntur, ut Turdi & Merulæ*) testãtur; sed apud Galenum etiam comprobat Philotimus [g] *Eum inter pisces mollis carnis, in libro tertio de alimentis connumerans*. Nec solùm mollem siue teneram, sed friabi-

[e] Lib.7.fol.152.33.
[f] Lib.8.fol.178.35.
[g] Clas.2.fol.29.E.

h Clas.2.fol.29.E. lem etiam eam habet; vti experientia monstrat, atque Galenus edocet, dicens; [h] *Saxatilibus omnibus caro inest quàm aliis piscibus mollior atque friabilior*. Et propterea boni succi est, atque
i Clas.2.fol.29.C. concoctu facilis; vti & saxatiles reliqui; vt idem tradit Galenus inquiens; [i] *Porrò alimentum, quod ex saxatilibus sumitur, non modò ad coquendum est facile, sed hominum etiam corporibus est saluberrimum, vt quod sanguinem medium consistentia generet, medium autem uoco, qui neque admodum tenuis est, neque aquosus, neque uehementer crassus*; & alibi [k] *Saxatiles uerò nec alimen-*
k Clas.2.fol.29.E. *ta, nec loca mutant, nec dulcibus aquis utuntur, ob eamque causam omnes perpetuò sunt inculpati*. Quamobrem valetudinarijs, atque ipsis etiam ægrotantibus tum Turdus, tum Saxatiles reliqui ab ipso Galeno conceduntur. A

VT SAPIAT, ET VT CONDIATVR.

Saporis etiam suauitate apud veteres cõmendabatur Turdus; vt Columella illis,
l Lib.8.cap.17. quæ ex eo supracitauimus, hæc subiungens, [l] *Item Flutas, quæ maximè probantur, Murenas, & si quę sunt alię saxatilis notę, quorum pretia vigent, Nam vile ne captare quidem, ne dum ale-*
m Lib.32.cap.xi. *re, conducit*, clarè satis indicat; & Plinius scribens, [m] *Turdus inter saxatiles nobilis*; atque Gale-
n Clas.2.fol.29.C. nus confirmat, his verbis [n] *Inter saxatiles Scarus excellere suauitate creditur, secundum hunc Merulæ ac Turdi, Tertio loco Iuliæ, Fucæ, & Percæ*. Idem comprobare videtur apud Athenæum Nicander dicens (vt supra etiam citauimus) [o] *Vel Scarum uel Turdum multi nominis*. Hac
o Lib.7.fol.152.39. verò ætate nostra nullibi ferè admodum suauis est, aut multæ existimationis. Aegrotantibus in aqua, vel albo iure elixus, aut assus apponi debet; sani verò eo etiam frixo vti solent. B

HISTORIA OCTOGESIMA SECVNDA
DE MERVLA

NOMEN.



IC noſter octogeſimus ſeptimus piſcis, quem non ſolùm Romæ, ſed alijs etiã locis *Merlo* appellant (vbi admonendũ eſt tum locis eiſdem, tum alijs pleriſque non hunc ſolum piſcem, qui verè Merula eſt, ſed alios etiam nonnullos, & ſi perperam, *Merli* vulgò vocari) à græcis κόσσυφος, à latinis verò *Merula* vocatur. Propterea quòd (vt Iſidorus Hyſpalenſis, à quo Merulus appellatur, author eſt) [a] *Merulæ auis inſtar nigra appareat*. à Lippio
E Merulus etiam dicitur.

[a] Lib. 12. cap. 6.

DESCRIPTIO.

Merula acutum roſtrum habet; os mediocre; labra craſſiſſima; dentes incuruos; oculos magnos & ſplendentes, quorum nigrã pupillam ruber circulus ambit; & brãchias vtrinque quaternas. Prope quas duæ ſunt pinnæ craſſiuſculæ latæ & rotundæ; duæque aliæ minores in ventre. In dorſo vnica eſt & longa; cuius anterior pars nouẽ aut decem tenuibus aculeis munita eſt, reliqua verò poſterior obtuſa aculeorumque expers exiſtit. A podice imo ventri vna etiam breuis ſubeſt. Cauda in aliã unã latam & ferè rotundã deſinit. Corporis figura minori Turdorũ generi ſimillima eſt. Squa-
F mis tegitur paulò latioribus quàm Turdus. Vnicolor ferè apparet; tota enim ex cæruleo nigricat. Quod etiã [b] Diuus Ambroſius, [c] Numenius in libro de piſcibus, atqʒ [d] Iſidorus Hyſpalenſis teſtantur, *Merulam nigram eſſe dicentes*; quibus aſſentitur & Euſtathius [e] *Et ſi non nigram, ſed ſolùm nigris notis conſperſam eam faciat*. Nec Ariſtoteles inquiẽs, [f] *Mutãtur piſces* qui Merulę, & qui Turdi appellãtur, atque etiã Squillę, vere enim nigreſcũt, poſt ver albedinẽ *ſuam recipiunt*, ſecus ſentire credendus eſt, quippe qui (vt quiſpiam arbitrari poſſet) vere ſolùm nigricare Merulam, reliquo verò tempore albam eſſe aſſeuerare videatur. Nam (vt in præcedente etiam hiſtoria declarauimus) id non intelligit Ariſtoteles, vt quod res ipſa manifeſtè redarguat; ſed hoc potius, quòd cum Merulæ & Turdi reliquo anni tempore ſubnigri ſint, vere nigriores fiant; vti verum eſſe experiẽtia ipſa cõ
G probatur. Cuius quidem maioris & vernæ nigredinis ratione, reliqui anni temporis eorundem piſcium ſubnigredo (& ſi impropriè, atque largo loquẽdi modo) albedo appellatur ab eo. Cum præterea ab Ouidio [g] *Merulæ virentes dicantur*, aut nigricantem ex cæruleo Merulam licentioſo poetarum loquendi more, ab ipſo virentem vocari; aut (quòd magis ſuſpicor) primam ſecundi generis Turdorum ſpeciem quam viridẽ eſſe in ſuperiore hiſtoria docuimus, pro Merula eũ intellexiſſe arbitrandũ eſt. Internis partibus Turdo ſimillima eſt Merula. Haud multùm excreſcit libram enim vix vnquam ſuperat.

In Ariſtotelem animaduerſio.

Ouidius notatur.

[b] Hex. 5. cap. 2.
[c] Athen. lib. 7. fol. 152. 35.
[d] Lib. 12. cap. 6.
[e] Fol. 1934. 21.
[f] Hiſt. lib. 8. cap. 30.
[g] In frag. fol. 37. 7.

LOCVS.

Marinus piſcis eſt Merula, in ſaxoſis ſolùm maritimis locis & litoribus naſcens &
H degẽs; vnde à Columella proditũ eſt [h] *Rurſus optimè ſaxoſum mare nominis ſui piſces nutrit, qui ſcilicet* quod in petris ſtabulentur, ſaxatiles dicti ſunt, vt Merulę Turdique nec minus Melanuri. Traditque Aelianus, [i] *Merula marina domiciliorum & ſedicularum loco, in petris & cauernis ſtabulatur*. [k] Ariſtoteles verò, [l] Plinius, [m] Galenus, atque apud Athenæum [n] Diocles *inter ſaxatiles eam recenſent*. Et licet vbiqʒ frequens ſatis eſſe ſoleat, Plinij tamen teſtimonio ex his piſcibus eſt, qui Pontum non intrant; quamobrem de piſcibus Ponti agens ſubdit, [o] *Saxatilium Turdus & Merula deſunt*. In maritimis etiã incluſus piſcinis(quibus vti nos caremus, ita apud ãtiquos magnus earũ fuit vſus) clauſtra patitur, vt teſtis eſt Columella inquiens [p] Turdi complura genera, Merulaſque, & auidas Muſtelas, tum etiam ſiue macula (nam ſunt & varii) Lupos includemus.

[h] Lib. 8. cap. 16.
[i] Lib. 12. cap. 16.
[k] Hiſt. lib. 8. cap. 15.
[l] Lib. 9. cap. 15. lib. 32. cap. xi.
[m] Claſ. 2. fol. 29. C.
[n] Lib. 7. fol. 152. 33.
[o] Lib. 9. cap. 15.
[p] Lib. 8. cap. 17.

NATVRA, ET MORES.

[q] Hist. lib 8 cap. 15.
[r] Lib. 12. cap. 18.
[s] Lib. i. fol. 115. xi.
[t] Lib. 4. fol. 146. x.

Eiſdem veſcitur quibus ſuperiore hiſtoria, Turdũ veſci diximus. Authore Ariſtotele [q] Merulę vti et ſaxatiles reliqui hyeme coniugatim mares cum fœminis condũtur; quo modo & *fœtificare ſolent*. Vt verò Aelianus tradit, [r] *Merularum mas cum multis fœminis complexu uenereo iungitur*; Vnde & Oppianus ait.

[s] Vxores Sargi multas, & Merulus ardens
Ducunt; Aſt alij contenti coniuge ſola,

& alibi

[t] Peſtifero ante alios Merulus cruciatur amore,
Vxores ardet plures, vexatur oeſtro
Vexatur Zelo, Zelus grauis vrit amantes.
Non vnus lectus Merulo, non vnica nympha,
Non thalamus, multæ vxores, multæque cauernæ
Semotæ occultant numeroſa cubilia Nymphæ.
Tota habitant curuis ſponſæ ſub luce cauernis,
Suntque nouis ſimiles nuptis, quæ limine nunquam
Diſcedunt thalami, tantum ſub corde pudorem
Voluunt, & tanto ſuffundunt ora rubore.
Sic in ſeceſſu ſcopuli gens iſta moratur.
Coniugis imperio parent, & iuſſa capeſſunt.

A

Lippij error.

Hoc autem loco cum Oppianus Merulam marem, Turdum verò fœminã eſſe, atque Merulæ nubere ſcribat (etſi prætermiſſum ſit ab interprete) an id ei aſſentiendum ſit; ſuperiore hiſtoria declarauimus. Nec ſolùm plures ducit, ſed eas etiam perditè amat atq; Zelotypus eſt, vti Aelianus teſtatur, hæc ijs quæ proximè ex eo citauimus ſubdẽs

[u] Lib. 12. cap. 18.

[u] Omnium autem piſcium eſt maximè zelotypus, cum ſemper aliàs, tum maximè cum eius vxores pariunt. Cum enim parturiendi doloribus eę tenentur, domi quieſcunt; mas autem, nempe maritus, foribus incubans cauet ne extrinſecus inſidię inferantur, metu paruulorum; videtur nondum genitos amare, metuque paterno motus his timere; & totos dies in eorum cuſtodia permanet, nihil guſtans; Cura ipſum alit; Sub crepuſculũ veſpertinum intermittit hác cuſtodiendi neceſſitaté, cibumque exquirit, ſingulisque coniugibus, quę ſunt intus, ſiue ſint in partus doloribus, ſiue iam enixę cubẽt, algas multas in cauernis, & circum petras ad victus *cõparationẽ affert*; quæ Oppianus ex eo trãſcribit, hos ſuis ꝓximè citatis ſubnectẽs verſus.

[x] Lib. 4. fol. 146. 22.

[x] Dilectas Merulus ſponſas non deſerit vnquam,
Obſeruatque toros, aliò conuertere mentem
Non potis eſt, ſcopulis ſemper verſatur in ijſdem,
Nunc iſtum quærit thalamum, nunc circuit illum,
Contemnit paſtum, totus ſuſpirat in iſtas;
Zelotypo miſero tantum cuſtodia curæ.
Nocte cibos quærit, paulum quid nocte quieſcit.
Cum pariunt fœtus ſponſæ, tunc æſtuat igne,
Tunc furit, atque timet, nunc coniuge pendet in illa,
Nunc obit, hunc pauidum credas, ſimilemque timenti,
Non aliter tantos voluit ſub mente dolores,
Mater cum primum fœtum parit vnica nata.
Hanc timor excruciat, furit exagitata dolore,
Per thalamum queritur gemitus a pectore mittens;
Atque preces fundens toto manet anxia corde.
Donec vagitus pueri pulſauerit aures
Sollicita eiciens tantos a matre dolores.

B

[y] Lib. 12. cap. 18.

Qui quidem ardens amor & Zelotypia non ſolùm marem Merulam, ſed vxores etiã omnes ſæpe in perniciem ducit; vt idem tradit Aelianus, hæc rurſus ijs, quæ proximè ex eo citauimus, ſubiungens, [y] *Experiens piſcator cum inſidias Merulæ molitur, hamum ſquilla implicatum* deiicit, atque is idem ſubmouet lineam, excitãs & exacuens piſcem ad cibum; Squilla verò mota ſpeciem quãdam ſui prębet ingreſſurę in cauernas Merulę, hoc enim ipſum capitaliter odit; Quamobrem cum id fieri ſentit, inuadit, exiſtimans eam hoſtem eſſe; non enim tũ cibus curę illi eſt; cumque Squillam dentibus lacerauerit, diſcedit cibo pręſtabiliorem & antiquiorem curam vigilandi ducens; Cum porrò quiddã ex obuiis comeſurus eſt, primo perfringit, deinde lacere finit, videnſque hoc idem non palpitare, et iam mortuum eſſe, comedit; Fœminę verò quandiu marem vident propugnantem, domi manent, formãque tuendę familię ſeruant; Cũ verò periit, eę prę mœrore acquieſcere nequeuntes errant, eas enim triſtitia foras educit, tũque capiuntur; Quid ad hęc poetę dicunt, Euadnem, Alceſtin dudum nobis glorioſè lugẽtes. C

[z] Lib. 4. fol. 146. 47.

Quæ etiam omnia, his verſibus tranſcripſit Oppianus.


[z] Nil peius Zelo mortalia pectora carpit
Cum triſti miſcens fletu ſuſpiria multa,
Et rabiem ſæuam miſeris mala damna miniſtrat.
Exitus eſt illi mortis ſæuiſſima peſtis,
Et dulces Merulos, in triſtia funera pellit
Qui triſtes duræ cupiunt fera præmia tedæ.
Cum prædo videat Merulam propè ſaxa profunda
Sæpe volutantem, & pro coniuge multa timentem,
Expediens hamum ſquillam configit in illo,
Et nexam cubo plumbi ſubmergit in altum
Aequor, & occultis thalamos rimatur in vndis.
Atque agitat circum ſaxoſa cubilia fraudem.
Erumpit Merulus thalamis, & carida viuum
Riualem punire ratus ſubit impia fata.
Nam prædo fixum mento mucrone coruſco
Traxit nitentem contra labique volentem.
Et carpens tali mouit conuitia voce
Nunc ſerua lectos, nunc ſint connubia curæ
Nunc ſponſis lætare miſer, nunc antra require,
Nunc thalamos, non vna venus, non vna voluptas
Eſt tibi, ſed lectis ſolus multiſque cauernis
Exultas; ſed ſponſe veni tibi teda parata,
Ignis lucentis ſplendor, flammæque corona.
At poſtquam tali ſublatus morte maritus,
Sponſæ pallentes fato rapiuntur eodem.

D


VT SAPIAT, VT NVTRIAT, ET VT CONDIATVR.

[a] Lib. 32. cap. xi.
[b] Lib. 7. fol. 152. 34. lib. 8. fol. 178. 35.
[c] Clas. 2. fol. 29. C. E.

Cum Plinius inquiat, [a] *Merula inter ſaxatiles laudata*; hæc laus eius ad ſanitatis potius vſum, quàm ad ſaporis ſuauitatem referenda eſt; Nam ſicuti apud Athenæum [b] *Piſcibus teneræ carnis aſcribitur*, & à Galeno inter ſaxatiles connumeratur, [c] *ex quibus omnibus* (eiuſdẽ teſtimonio) *alimentum ſumitur non modò ad concoquendum facile, ſed hominum etiam corporibus ſaluberrimum; ut quod ſanguinem medium conſiſtentia generet*; ſic ab hominibus noſtri temporis inter ſapidos piſces non recenſetur; omniumque iudicio palato haud admodum grata exiſtimatur. Valetudinarijs in albo iure elixa vel aſſa, non ſecus quàm Turdus apponi poteſt. Sani eam etiam oleo frixam mandunt.




P. 90



HISTORIA OCTOGESIMA TERTIA.

DE PERCA MARINA.

NOMEN.



PISCIS octogesimus nonus noster, quem Romæ *Perchia* (vbi tamen non Perca solùm, sed Phycis etiam, vt in historia quoque octogesima quinta Phycidi dicata dicemus, *Perchia* appellatur) Galli *Vne Perche*, & Germani *Persch* vocant; græcè *πέρκη*, & à Dioscoride [a] *περκὶς* dicitur; latinè vero *Perca*, & aliquando à Plinio *Percis* etiam appellatur. Nec si is [b] *eodem capite Percas & Percides* nominet, & vtrisque varia tribuat, *illas amni & mari communes, has uerò maris peculiares faciens*, Percam à Percide alium piscem esse arbitrari debemus. Cum neque græci ipsi *περκίδα* & *πέρκην* diuersos pisces, sed vnum & eundem appellent; vti ex eo manifestissimè patet, quòd sicuti Dioscorides (qui solus Veterum, quòd sciam, *περκίδος* meminit) [c] *περκίδα*, sic [d] Aristoteles atque [e] Galenus *πέρκην inter uerè saxatiles* recensent. Id itaque Plinianæ potius incuriæ adscribendum quàm verum existimandum est.

a Lib.2.cap.32.
b Lib.32.cap.xi.
c Lib.2.cap.32.
d Hist. lib.8. cap.15.
e Clas.2.fol.29.C.
A
Plinij incuria.

DESCRIPTIO.

B

Perca prominenti acutissimoq; rostro est; ore mediocri; dentibus exiguis; capite tenui. [f] *Branchias utrinque habet quaternas & duplices, nouissima excepta*; & iuxta eas binas pinnas; & binas alias sub ventre; vnamque longiusculam tenuibus munitam aculeis in dorso; atque aliam vnam paruam à podice in imo ventre. Cauda in pinnam vnam, & latam degenerat. Tergus & venter cum æquè promineant, totius Percæ figura ouata efficitur. Squamis paruis tegitur; Venter liuet, Latera purpurant, Tergus ex flauo nigricat, paruis quibusdam ac rufis maculis nonnullas partes eius, & maximè dorsi vētris & caudæ pinnas pingentibus. Quamobrem iurè [g] *Epicharmus Percas αἰόλας*, hoc est, *uarias uocauit*. Nonnullæ præterea ex violaceo nigricantes ac latæ lineæ ex dorso in latera deducuntur. Vnde ab Aristotele vt Athenæus refert, etsi id apud Aristotelem non legerim, [h] *Inter pisces uariarum linearum, obliquas lineas Perca habere dicitur*. Ventriculum mediocrem habet; [i] *atque circa eum plurimas appendices*; intestina latiuscula; hepar pallidum, satis magnum; lienem exiguum & subatrum. Ad multam magnitudinem non excrescit, pedalem enim nunquam implet mensuram. Channæ & Phycidi figura magnitudine atque ferè etiam colore simillima est. Quapropter non ab re [k] *Speusippus in secundo de similibus, Percam, Channam & Phycidem similes esse testatur*. Quibus autem notis à Phycide distinguatur, in historia octogesima quinta, quibus verò à Channa in historia octogesima sexta, explicabimus.

f Hist.lib.2.cap.13.
g Athe.lib.7.fol.159 24.
h Lib.7.fol.159.28.
i Hist.lib.2.cap.17.
k Athe.lib.7 fol. 159.23.
C

LOCVS.

D

Perca, de qua hîc agimus (nam & alia est fluuiatilis, de qua in sequente pertractabimus historia) marina est, & flumina subeundi insolens. Nec obstat quod Plinius [l] *Inter amni & mari communes pisces eam* recenseat; quando quo pacto intelligi is Plinij locus debeat, in sequente historia declarabimus, Ouidius [m] *Inter pisces, qui pelago gaudent*, ipsam cō numerat; Oppianus verò in saxosis maris locis eam vitam degere testatur, inquiēs:

[n] scopulos quos abluit vnda
Alga conspersos, & multo murice tectos
Salpę habitant variis distincti tergora signis;

l Lib.32.cap.xi.
m In frg.fol.37.5.
n Lib.1.fol.108.47.

Iulides, & Percę, Channi, Turdique virentes,
Phycides eunuchi vero de nomine dictę,
Cirris saltator, Mylus, Syene, Basiliscus
Aspera saxa colunt imo defixa profundo.

Quod Aristoteles Dioscorides atque Galenus Saxatilem eã esse (vti supra diximus) tradentes, comprobant. Estque ipsius Galeni testimonio, ex verè saxatiliũ numero.

NATVRA ET MORES.

Perca gregalis est; carniuora & vorax, pisciculis enim atq; cancellis pascitur. Vt E autem author est Aristoteles [o] *Percæ quemadmodum saxatiles cæteri, hyeme coniugatim mares cum fœminis conduntur, quo modo & fœtificare solent*. Vnde & Plinius idem ab eo mutuatus (vti vtriusque loca conferenti clarissimè patet) [p] *piscibus, qui hyeme condi solent*, eas ascribit. Athenæo autem authore [q] *in prouerbio est, Perca Melanurum sequitur*. Verùm quid hoc prouerbio significetur, neque ipse declarat, neque ex aliquo Veterum intelligi potest; cum apud nullum eorum (quòd sciam) legatur. Erasmus tamen, qui inter recentiores eius meminit [r] *De improborum societate dictum* conijcit; sed sicuti hanc eius coniecturam (vt quæ nulli probationi hæreat) vanam existimamus; sic ei succensemus, quòd *μελανοῦρον* Sepiam perperam interpretetur; inquit enim *ἕπεται πέρκη μελανούρῳ*, id est, comitẽ sibi ducit Sepia Percam; cum tamen Melanurum & Sepiam non nomine solùm, sed ipsa etiam corporis figura inter se plurimùm differre manifestissimum sit. Apud verò eundem F Athenæum [s] *Numenius in libro de piscibus, Percarum ducem Melanurum appellat*. Eadem pro esca in capiendis Anthijs vtuntur piscatores, vt Oppianus prodidit; modum enim quo Anthiæ capiuntur carminibus quamplurimis, quæ omnia longius foret recensere, explicans, subnectit;

[t] vastum piscator promptus in ęquor
Demittit Percas, vel niliacos Coracinos.

Erasmi error.

[o] Hist.lib.8. cap. 15.
[p] Lib.9.cap.16.
[q] Lib.7.fol.159.29.
[r] In prouerbijs.
[s] Lib.7.fol.156 30.
[t] Lib.3 fol.135.41.

VT NVTRIAT, VT SAPIAT, VT CONDIATVR, ET QVIBVS MEDEATVR.

G

Apud Athenæum [u] *Diphilo authore Perca æquè atque Phycis tenera est, minimè uirosa, & corruptu facilis, locique ratione parùm differt; & Gobiones ei similes sunt*. Verùm cum Perca (vt supra Galeni testimonio monstrauimus) saxatilis sit, saxatiles verò vt idem tradit, [x] *nec alimenta nec loca mutent*; Nec, vt alibi inquit, [y] *meritò nullum habeant inter congeneres discrimen manifestum, ut qui perpetuò in purissimo mari degant*; id quod Diphilus ait, locique ratione parùm differt, valde parùm & vix manifestum esse, fateamur oportet. Præterea cum Galenus [z] *Saxatilibus inferiores Gobiones* faciat; haud prorsus Percæ similes existimandi sunt, vt Diphilus sentire videtur. Eiusdẽ præterea Diphili sententia [a] *Channis tenerior est Perca*. Quæ quidẽ non secus quàm saxatiles reliqui Galeno teste, [b] *Carnem habet teneram & friabilem*; & propterea vt proditum est ab eodem, [c] *Alimentum quod ex ea sumitur, aliorum saxatilium instar non modò ad coquendum est facile, sed hominibus etiam saluberrimum, ut quod sanguinem medium consistentia generet*. Non tamen vti saluberrima, H ita etiam & sapidissima censenda est; cum communi omnium iudicio insuauis potius existimetur. Aegrotantibus elixanda est in albo iure; sanis assari aut in sartagine frigi debet. Authore Plinio [d] *Percarum capitis cinis, admixto sale, & cunila, oleoque uuluæ medetur; suffitione quoque secundas extrahit*. Vt verò testatum reliquit Dioscorides, [e] *Ius eius modò per se, modò uini comitatu aluum emollit, coqui debet simpliciter in aqua, oleo addito & anetho*.

Diphilus notatur.

[u] Lib.8.fol.177.9.
[x] Clas.2.fol.29.E.
[y] Clas.2.fol.29.D.
[z] Clas.2.fol.29.D.
[a] Athe.lib.8.fol.177 12.
[b] Clas.2.fol.29.C.
[c] Clas.2.fol.29.E.
[d] Lib.32.cap.x.
[e] Lib.2.cap.32.

HISTORIA OCTOGESIMA QVARTA.

DE PERCA FLVVIATILI.

NOMEN.



IC noſter nonageſimus piſcis, quem Inſubres (apud quos frequenter reperitur) *peſce Perſico*, Galli *Perche*, & Angli *Perc* appellant; græcè *πέρκη ποτάμια*, latinè *Perca fluuiatilis* vocatur.

DESCRIPTIO. A

Perca fluuiatilis roſtro eſt prominenti non ſecus quàm marina, verùm non adeo acuto; ore etiam vt illa, mediocri, ſed dentibus carente. In dorſo autem binas habet pinnas, quarum prior maior eſt & aculeis munita, poſterior verò minor & aculeis carens. Cauda in lunatam pinnam deſinit. Branchijs atque pinnis reliquis marinæ abſimilis non eſt; cum qua corporis etiam figura ei conuenit. Squamis minutis tegitur. Ventre eſt ſubalbido, corpore reliquo ferè cineraceo; nigricantibus quibuſdam ac latis maculis ex dorſo deductis (non ſecus quàm in marina) latera pingētibus. Cauda & pinnæ omnes, priore dorſi dempta, quæ lateribus concolor eſt, rubent. Ventriculus mediocris eſt; Inteſtina pauca & tenuia; Hepar ſubpallidum, cui aquei fellis veſica hæret; Lien ſubrubet. Ad maiorem magnitudinem excreſcit quàm marina, nam & trilibris aliquando capi ſolet. Hanc autem fluuiatilem Percam eſſe, tum vulgares eius nomenclaturæ, tum ſimilitudo, quam cum marina Perca habet, manifeſtè ſatis indicant. B

LOCVS.

Vti ea, de qua in ſuperiore pertractauimus hiſtoria, marina eſt Perca; ita hæc, de qua hîc agimus, fluuiatilis eſt. Verùm cum non Percis ſolùm, ſed alijs etiam nonnullis piſcium generibus tum maris, tum fluminis dulcisúe aquæ accolam eſſe contingat: cumque id haud omnibus eodem modo accidat; quot modis & marina & fluuiatilia eadem piſcium genera eſſe ſoleant, & quonam eorum, marinæ atq; fluuiales ſint Percæ, in veritatis lucem hîc proferendum duximus; vt fluuialis Percæ hiſtoria limatior C reddatur. Sicuti itaque piſcium nonnulli fluminis dulcisúe aquæ, alij verò maris peculiares ſunt, ita vt hi in dulci aqua, illi verò in ſalſa nuſquam reperiantur; ſic quidam amni ac mari communes exiſtunt; quippe qui tum in fluminibus dulciúe aqua, tum in mari degere conſueuerunt. Quod tamen haud eis omnibus vno atque eodem modo, ſed bifariam potius euenit. Nam aut ijdem eiuſdem generis piſces modò mare, modò verò dulcem aquam incolunt; & ſic Lupos, Siluros, Aloſas, Mugiles, Lampetras, & huiuſmodi marinos & fluuiales eſſe dicimus; quia ſcilicet quibuſdam anni temporibus in mare, quibuſdam verò in dulci aqua degant; Aut eiuſdem generis nonnulli perpetuò marini, alij verò perpetuò fluuiatiles ſunt; quo quidem ſecundo modo ſicuti Coracinos (vt in vigeſima ſecunda habetur hiſtoria) & Gobios (vt in hiſtoria ſeptuageſima ſexta diximus) ita & Percas marinas & fluuiatiles eſſe aſſeueramus; quippe quarum illæ, de quibus in ſuperiore egimus hiſtoria, maris; hæ verò fluminis alteriusúe dulcis aquæ perpetuò ſunt accolæ. Fluuiatilem autem Percam reperiri (ne id noſtrum videatur inuentum) teſtes habemus Ariſtotelem, qui [a] *Inter dulcis aquæ piſces eam* recenſet; & Plinium, qui [b] *amni & mari communem eam* facit; atque Auſonium Gallum, qui [c] *amnicis ſuæ Moſellæ piſcibus eam* annumerat. Nec obſtat quòd Plinius paulò infra ſupracitatum locum, [d] *piſcibus maris peculiaribus Percam* adſcribat, nam quum priùs paulò ſupra eodem D

a Hiſt. lib. 6. cap. 14.
b Lib. 32 cap. xi.
c In Moſella.
d Lib. 32 cap. xi.

Plinij incuria. capite (vt dictũ est) amni & mari communẽ eam esse dixerit, ipsemet suæ incuriæ testis est; quemadmodum in superiore etiam declarauimus historia. Hanc præterea, quam fluuiatilem appellamus Percam, in dulci duntaxat aqua gigni & viuere, & neq; (vt alios, quos primo modo marinos & fluuiales esse diximus) ex mari ad eam adnatare, non ratione solùm, sed Aristotelis etiam testimonio manifestissimè comprobatur. Nam cum marina Perca (vt loco suo dictum est) vnicam habeat in dorso pinnam, vti marini squamosi ferè omnes eam vnicam habere solent, huic fluuiali duæ in dorso eriguntur pinnæ, sicuti duæ fluuiatilibus ferè omnibus erigi conspiciuntur. Nec si marini pisces flumina subeuntes in fluminibus ipsis sæpe pinguiores, teneriores, maio-
E resque efficiuntur, atque colorem etiam mutant; marinis Percis dulcem aquam incolentibus alteram etiam in dorso pinnam enasci contendendum est; quando hoc, præter id, quòd nulli alij marinorum piscium flumina subeuntium generi accidat; fieri etiam nequeat. Cum pinnæ in piscibus ex illarum partium numero sint, quæ in prima piscis conformatione fiunt, quæque etsi augeri possint, post tamen piscis ortum, nedum post notatu dignam piscis auctionem, denuo gigni nequeant. Idem (vt diximus) testatur & Aristoteles, qui sicuti [e] nonnullis locis marinæ Percæ meminit, sic alibi non solùm fluuiatilis Percæ (vt dictum est) mentionem facit, sed secundo etiam modo eã fluuialem esse admonet, [f] *Quum Cyprino, Ericæ, rhoxino, Siluro* (vel Glanidi) *Lacustribus & fluuiatilibus piscibus* (qui omnes ita lacustres vel fluuiatiles sunt, vt nullibi in mari reperiantur)
F *eam annumeret*. Nec obijciendum est, Plinio teste eam (vt supra citauimus) amni & mari communem esse; nam id non de vna quadam certa Perca, vt quæ tempore aliquo mare, alio verò flumina incolat; sed de toto Percarum genere, cuius (vt explicauimus) nonnullæ in mari, nonnullæ verò in fluminibus nascuntur, atque perpetuò viuunt; intelligi debet.

[e] Hist.lib.2.cap.13-17.lib.8.cap.15.

[f] Hist.lib.6.cap.14.

PARIENDI RATIO.

Vt tradit Aristoteles [g] *Perca fluuiatilis uti & rhoxinus, semel in anno oua edit, in stagnis fluuiorum, &*
G arundinetis lacuum; continentemque suum fœtum emittit, vt Rana; adeo enim fœtus eius continuo filo sibi cohæret, & latior est, vt piscatores in lacu arundine glomerent.

[g] Hist.lib. 6. cap.14.

VT NVTRIAT, VT SAPIAT, ET VT CONDIATVR.

Vti Galenus, [h] *fluuiatilibus piscibus marinos semper præfert*; ita nos quòd ad salubritatem spectat, fluuiatilem Percam marina inferiorem iudicamus; sed neq; hæc insalubris; nam etsi friabilem carnem non habeat; cum tenera tamen sit; neque difficilis est concoctu, neque mali succi; & propterea in saxatilium, atque eorum qui saxatilibus substi-
H tui solent penuria, ea quoque & maximè in saxosis & puris fluminibus capta, citra noxam vesci possunt valetudinarij. Saporis verò suauitate marinæ longè & multùm antecellit fluuialis; Vnde iure cecinit Ausonius Gallus,


[i] Nec te delicias mensarum Perca silebo,
Amnigenos inter pisces dignande marinis,
Solus puniceis facilis contendere Mullis,
Nanque & gustus iners, solidoque in corpore partes
Segmentis coeunt, sed dissociantur aristis.

Quouis modo condita sapit; assa tamen & omphacio, aut aceto & oleo conspersa plerisque sapidior videtur.

[h] Clas.2.fol.28.E.


[i] In Mosella.

P. 91.



N. G. χάνη.
L. *Hiatula*.
V. *sopracielo*.

P. 92.



N. G. φυκίς.
L. *Fuca*.

HISTORIA OCTOGESIMA QVINTA DE PHVCA SIVE PHYCIDE.

NOMEN.



ISCIS noster nonagesimus secundus, quem vti Romæ vnà cum Percis, quibus (vt infra monstrabimus) simillimus est, vendunt, sic à Percis non distinguentes, *Percia* (& si perperam) appellant; à Græcis ἀπὸ τῆ φυκίου, id est ab alga (non quia ea vescatur, quando hoc ipsi, cum piscibus aliis multis cōmune sit, sed quia ex ea nidificet, quod ei soli piscium peculiare est, vt procedente historia declarabimus) φυκίς vocatur; Verùm cum in Aristotele non solùm φυκίς, A
sed φύκης etiam, & φυκίδιον; In Athenæo verò φυκίς & φυκλῶ habeatur; haud quaquam inter se diuersos pisces istis significari nominibus credendum est; Nam cū φυκίς (quo nomine communiter Græci vsi sunt) fœminini generis sit, ab Aristotele mas huius piscis (de quo quidem tractaturus erat) non ab re φύκης, masculino genere appellatur; Ita scribente [a] διαφέρει δὲ ὁ ἄῤῥην φύκης τῆς θηλείας, hoc est, *differt autem mas Phycis à fœmina*; Ad cuius loci imitationem, & apud Athenæum, [b] καὶ τ πετραίων ὁ φυκλῶ καὶ ἡ φυκίς, id est, *Saxatilium Phycen & Phycis*, legi arbitror; Et propterea φυκλῶ, in eo mendosè forsan scribitur; φύκης quæ (vti habetur in Aristotele) corrigi debet; φυκίδιον præterea τῆς φυκίδος diuersum piscem nō esse, ratio nominis indicat; Cum φυκίδιον, id est, parua Phycis, diminutiuum sit nomen ἀπὸ τῆ φυκίδος, hoc est à Phycide deductum; A Plinio autem (quem solum latinorum huius piscis meminisse scimus) græca seruata nomenclatura Phycis vocatur, à Theodoro verò Gaza Phuca vertitur in Arist. B

a Hist. li. 6. ca. 13
b li. 8. fo. 177. 8
Athenæi locus castigatur.

DESCRIPTIO.

Phycis [c] *Speusippo authore in libro 2. de Similibus, Percæ & Channæ similis est.* Multò tamen Percæ similior; Vnde Romæ (vt supra diximus) Phycidem à Perca distinguere nescientes Ichthyopolæ, Phycidem quoque *Percia* vocant; Quamobrem nos hic Phycidem describentes, quibus etiam notis à Perca internoscatur, manifestabimus; Etsi igitur vtraque æquè repando sit dorso, venter tamen non ita vt Percæ, prominet Phycidi; Vnde neque etiam huius figura ouata, vt illius apparet; Extento & acuto rostro conueniunt; Os tamen maius est Phycidi, maioribúsque dentibus, in superiore maximè maxilla munitum; Et caput etiā paulò crassius; Pinnarum numero, situ, & figura, non discrepant; Phycidis tamen pinnæ, paruis & rufis maculis, quibus Percæ pinnæ conspersæ sunt, haud insigniuntur; Hæc præterea maioribus atque ferè quadrangulis squamis tegitur; Color idem est, nisi quòd in ventre & lateribus Phycidis dilutior apparet, carétque Phycis transuersis illis nigricantibus lineis, quibus Percæ latera notantur; Demum in Phycidis capite, ac branchiarum operculis, lineolæ, & punta quædam cœrulea, quibus prorsus caret Perca, conspiciuntur; Et propterea cum tota variis coloribus depicta sit, [d] *Aristoteles*, Athenæo teste (& si id apud Aristotelem non legerim) φυκίδα ποικιλόχροα, id est *Phycidem uarij coloris, esse inquit*, Vt verò [e] idem Aristoteles [f] & Plinius testantur, *Colorem mutat, cum reliquo tempore candida, uere uaria sit.* Quod haud sic intelligi debet, vt temporibus reliquis sit verè candida, quando nullo tempore candida appareat; sed ita potius, quòd cum verno tempore satur eius sit color, temporibus reliquis dilutior atque languidior reddatur; Quemadmodum de Turdi, ac Merulæ, in albedinē mutatione (cuius præcitato etiam loco meminit Arist.) intelligendum esse, in historia 81 & 82. expossuimus. Præterea [g] *In Phycidibus* (vt Arist. etiam notauit, ac nos quoqꝫ supra citauimus) *Mas à fœmina differt, quòd nigrior & squamis amplioribus sit.* Postremò [h] *cum Arist.* (vt Athenæus quoque refert, Licet neque hoc in Aristotele legerim, φυκίδα ἀκανθοστεφῆ, hoc est, *Phycidem spinis uallatam siue coronatam appellet.* De aculeis siue spinis, quibus dorsi atqꝫ imi ventris pinnæ horrent, eum intellexisse arbitror; Quando nullis aliis spinis eam coronari præmunirìue perspicuū sit; Verùm cum huiusmodi pinnarum aculeis, spinís ue, non æquè solùm, sed multò etiam magis quàm Phycis, plerique pisces armentur; mirari conuenit, cur solā Phycidem ἀκανθοστεφῆ

c Athe. lib. 7. fo. 159. 23.
C
d li. 7. fo. 159. 28
e Hist. li. 8. ca. 30
f lib. 9. cap. 26.
Athenæus notatur.
D
g Hist. li. 6. ca. 13
h li. 7. f. 159. 28
In Athenæū animaduersio.
Athenæus notatur.

vocauerit; Internis partibus, atque corporis magnitudine Phycis Percis simillima est; nunquam.n.palmi excedit mensuram,vnde & ab Arist.(vt supra diximus) ac rursus (verba eius excutientes) dicemus,[i] aliquando φυκίδιον,id est, *parua Phycis appellatur.* LOCVS. [i] *Hist.li.5 ca.13*

Phycis marinus piscis est, in saxosis maris locis victitans; Vnde iure à Dioscoride,[K] *inter saxatiles pisces recensetur* & à Plinio,[l] *Phycis saxatilium* appellatur, à Galenóque,[m] *In suorũ saxatilium censu* constituitur; Apud verò Athenæum (vt supra etiam citauimus)[n] *Saxatilium, dicitur à Diphilo, Phycen & Phycis*, atq; ab Oppiano piscibus,qui saxa colunt, annumeratur; Nonnullis enim piscibus aliis saxosi maris accolis recensitis, subdit,(vt in impressis legitur codicibus, [K] *lib.2.cap.32.* [l] *lib.32.ca.11.* [m] *clas.2.f.29.C* [n] *li.8.fo.177.8*

[o] καὶ φυκίδες, ἅς τ' ἁλιῆες [o] *li.1.fo.108.50*

ἀνδρὸς ἐπωνυμίῃ θηλύφρονος ὠνομάσαντο,

A id est (interprete Lippio) *Phycides eunuchi uero de nomine dictæ*; Verùm cũ Phycidem, quippe quæ non sterilis, sed (vt infra dicemus) fœcunda sit, cognominandã esse eunuchum, nulla persuaderi posset coniectura, ob idque obscurus is nobis videretur locus; quatuor manuscripta atque vetustissima Oppiani exemplaria VATICANAE bibliothecæ (quod & alias sæpe, vbi aliqua in hoc authore se obtulit difficultas, fecimus,) consulendum duximus; Primúmq; in eorũ vno, in quo veteris Græci interpretis extat expositio, in loci huius expositione, ita habet vetus ille interpres; Hoc loco detrahit Poeta cuidã eunucho, qui patrem ipsius apud regem detulerat, ob idq; in exiliũ missus fuerat; Præterea in eorundẽ tribus, super verbũ φυκίδες, glossematis loco, λεπτῖναι habetur; Postremò in iis omnibus ἅς θ.i. *quasque* reperimus, & nõ ἅσσα hoc est *quædam*, vt in impressis legitur codicibus; Vnde vti hic Oppiani locus, sic ad verbum verti debet, Phycides, quasq;, vel quas (nã in vno prædictorum quatuor exemplariorum super.θ. quod ἅς sequitur, glossema est, παρέλκει, hoc est abundat) Piscatores, viri cognomine muliebris (siue eunuchi) appellarunt; Ita sensum eius esse arbitror, quòd Phycides à Piscatoribus λεπτῖναι appellantur; quod quidem cognomen, vir eunuchus eis imposuit; & non quod Phycides, viri eunuchi cognomine, eunuchi cognominentur; *Oppiani locus castigatur.* B

PARIENDI RATIO.

Vt author est Arist.[p] *Solam ex marinis piscibus Phycidem nidum sibi consternere atque in stragula parere, aiunt.* Quem quidem Arist.locum sic interpretatus est Plinius,[q] *Eadem piscium sola nidificat ex alga, atque in nido parit.* Quod si iis authoribus sola pisciũ nidificet; haud assentiendũ est Ouidio, dicẽti, [p] *Hist.li.8.c.30* [q] *lib.9. cap.26.* *Ouidius notatur.*

[r] *Atque immunda Chromis, meritò uilissima Salpa* *Atque auium dulces nidos imitata sub undis.* [r] *in frag.fol.37 14.*

C Multóq; minus ipsi Plinio, quippe qui alibi, hunc Ouidii locũ citans,[s] *Chromim* inquit, *qui nidificet in aquis*; Cum Ouidius, non Chromi, sed Salpæ, atque ipsemet vnà cum Arist.loco sũpracitato, Phycidi solæ pisciũ nidificare tribuat. Vt idem præterea tradit Arist.[t] *Pisces qui oua edunt, semel pariunt anno,* πλὴν τῶν μικρῶν φυκιδίων, id est *præter Phucas pusillas, quæ bis anno pariũt.* Nec cum hic paruas Phycides bis anno parere dixerit, Phycides magnas aliter parientes, reperiri suspicandũ est, ab eo innui; Quando Phycides omnes (vt supra etiã diximus) paruæ sint; quod notare atq; admonere volens Arist. iure cũ alibi φυκίδας, hic de partu agens, φυκίδια vocauit, quasi dixerit, Phycides & si ex paruorũ piscium sint genere, bis tamen pariunt; Quod autem paruus piscis sit Phycis, Diphilus etiam apud Athenæum testatur[u] *Phycides* ἰχθύδια, id est *pisciculos*, & non pisces esse, asserens. *Plinij lapsus* [s] *lib.32. cap.11.* [t] *Hist.li.6.ca.13* [u] *li.8.fo.177.8*

NATVRA.

D Colorem mutare Phycidem, reliquo nanq; tẽpore candidã, verè verò variã esse, non solùm supra Arist.atq; Plinii authoritate monstrauimus, sed declarauimus etiã quo id pacto intelligi debeat; Eodem autem Arist. authore,[x] *Viuit Phycis luto & alga & musco, & eo quod caulium uocant, & enascente materie; Et quanquam cætera abstineat carne, tamen Squillas sæpenumero appetit.* Gregatim degit & natat; Vnde sæpissime earum plures vnà capiuntur. [x] *Hist.li.8.ca.2*

VT NVTRIAT, VT SAPIAT, ET VT CONDIATVR.

Vt apud Athenæum author est Diphilus,[y] *Phycis pisciculus est tenerrimus, minimè uirosus, & corruptu facilis*, Galeno autem teste,[z] *Vt & Saxatiles reliqui, teneræ & friabilis carnis est, & propterea saluberrimum hominibus alimentum præbet.* Insipida tamen est; Et vilis vbique ferè habetur. Præparatur vt Perca; Et vt à Dioscoride proditum est,[a] *Ius eius modò per se, modò uini comitatu aluum emollit, coqui debet simpliciter in aqua, oleo addito, & anetho.* [y] *li.8.fo.177.8* [z] *clas.2. fo.29. C.E.* [a] *lib.2. cap.32.*

HISTORIA OCTOGESIMA SEXTA
DE HIATVLA SIVE CHANNA

NOMEN.



HIC noster nonagesimus primus piscis, quem Romæ *Sopracielo*, Ia-
nuenses ac Hispani *Serran*, & Græci nostri temporis *Channo* vocant;
[a] Hist.li.6.ca.13 lib.8.ca.13. [a] ab Aristotele χάννη appellatur. Vnde cum in impressis suis codi- *Duo loca A-*
cibus [b] alio loco χάνη, & rursus [c] alibi χάννη legatur, vtrũque horum *ristotelis cor*
[b] Hist.li.4.c.11 locorum mendosum esse, ac vtrobique χάννη corrigendum, vetu- *riguntur.*
[c] Hist.li.8.ca.2 stissima manuscripta exẽplaria VATICANAE bibliothecæ ma
[d] li.7.fo.163.33 nifestissimè edocent; Apudque Athenæum [d] tum *ab Epicharmo*, [e] tum A
[e] li.8.fo.177.11 *à Diphilo χάννη quoque uocatur.* Sed in impresso Athenæo, vbi Diphili verba citantur, αἱ δὲ χάνναι *Athenæi lo-*
mendosè legitur, cum in manuscripto αἱ δὲ χάνναι scriptum sit; Præterea apud eundem A- *cus emen-*
[f] li.7.fo.159.24 thenæum [f] *à Speusippo χάννα dicitur*, quo etiam loco euulgati codices, non χάνναν vt manuscri- *datur.*
[g] Athe.li.7.fo.163.34. pti, sed χάνναν mendosè habent; Postremò ab Oppiano, [g] *atque à Numenio in libro de piscibus χάννος* *Athenæi al-*
appellatur. A verbo autẽ χαίνω, hoc est, hio, piscem istum χάννην dici existimasse videtur Theo- *ter locus ca*
dorus Gaza, quippe qui Aristotelis χάννην, *Hiatulam* vertit; & si ab Ouidio atque Plinio græ- *stigatur.*
ca vsis nomenclatura, *Channe* vocetur. Aduertendúmque hic est, Galeni interpretem, no- *Interpretis*
[h] clas.2.f.30. F minis (vti arbitror) similitudine deceptum [h] χήμην, quæ ex genere est testatorum, quæque *Galeni*
chama vertitur ab aliis, *Hiatulam* perperam vertisse. *lapsus.*

DESCRIPTIO. B

[i] li.7.f.159.23 Vti in Percæ marinæ, atque Phycidis citauimus historiis, apud Athenæum, [i] *Speusippus in secundo libro similiũ, Percam, Channam, et Phycidem similes facit.* Nec ab re, nam & si Perca, & Phycis (vt superiore edocuimus historia) interse paulò sint similiores, Channe etiam vtrisque adeo similis est, vt non omnes eam ab illis facilè internoscant; Quapropter hic ipsam describentes, quibus quoque notis ab illis distingui possit, aperiemus; Channe itaque vti rostri acuitate; pinnarum situ, numero & figura; oculis, branchiis, cauda, atque picturato corpore; æquè vtrisque similis est; Mediocritate verò oris, paruitate dentium, tenuitate capitis, exiguitate squamarum, atque ouata totius corporis figura, Percæ similior; Ita inferiore maxilla, branchiarum aculeis, atque colorum varietate, ab vtrisque manifestissimè differt; Maxilla enim inferior, præter Percæ ac Phycidis morem, non solùm rubet, sed superiore etiam prominentior est; Quo fit, vt Channe perpetuò hiare videatur; Vnde forsan C
& nomen ei inditum fuit; In posteriore præterea Branchiarum operculi parte, duo sunt aculei albi & acutissimi; & si non satis magni, quibus prorsus Phycis & Perca carent; Postremò differunt & pictura; Tergus enim Channæ ex rubro minus quàm illarum nigricat; Venter & latera, violacea quadam subalbedine notata sunt; Pinna dorsi flauet, quæ verò in imo ventre est, & cauda, rufis quibusdam maculis insigniũtur; Ab ore per branchiarum opercula, atque latera, rubræ quædam lineæ, neque æqualis latitudinis, neque æquis di-
[K] lib.7.fo.163.35. stinctæ interuallis, vsque ferè ad caudam deducuntur; Quamobrem [K] *Aristoteles* (vt Athenæus refert, & si hoc non legerim apud Aristotelem) *Channem piscem ποικιλέρυθρον μέλαιναν*, hoc
est *ex rubro et nigro uarium; atque ποικιλόγραμμον*, id est *lineis uarium, uocauit*. Ventriculum amplum ha D
bet; Intestina satis magna, Hepar subalbidum, Lienem subrubrum; Perca & Phycide ferè perpetuò minor est; Vix enim vnquam ad palmi excrescit mensuram;

LOCVS.

Channe marinus piscis est, nusquam enim in fluminibus dulcíue aqua reperitur; Et li-
[l] Hist.li.8.ca.13 cet Aristoteles [l] *Inter pisces qui longius à litore pelagus incolunt, eam connumeret*; ipsa tamen experientia in *Aristoteles*
saxosis potius litoribus reperiri, demonstrat; Quod & Oppianus testatur inquiens, *notatur.*

[m] li.1.f.108.47
[m] Alga conspersos & multo murice tectos,
Salpæ habitant uariis distincti tergora signis
Iulides & Percæ, Channi, Turdique uirentes.

Verùm ex ucrè Saxatilium, à Galeno numeratorum, censu non est.

PARIENDI RATIO.

Vt Aristoteles tradit, [n] *In testaceis atque stirpibus, quod pariat & generet, est; quod autem maris fungatur officio, deest: Sic etiam inter pisces, genus Passerum est, & Rubellionum, & Hiatularum; Oua enim in ijs omnibus reperiuntur.* Alibi verò idem prodit, [o] *De coitu piscium satis dictum iam est, sexu autem eos quoque distingui apertum est; Pars enim piscium maxima consummitur mare et fœmina; De Rubellione & Hiatula ambigitur, omnes enim grauidæ capiuntur.* Quod & Plinius ex eo transcripsit, inquiens, [p] *In quodam genere omnino non sunt mares, sicut in Erythinis & Channis, omnes enim ouis grauidæ capiuntur.* Idémque rursus alio loco testatur Aristoteles, de piscium enim sexu agens, scribit, [q] *Nunc uerò partim conceptacula habent seminis genitalis, partim uuluas; atque in omnibus, (excepto Rubro & Hiatula) hoc discrimen est, ut aut conceptacula seminis prolifici habeant, aut uuluas;* Quod etiam Plinius mutuatus videtur, cum inquiat, [r] *Erythini & Channæ uuluas habere traduntur.* Verùm si quod tum Aristoteles, tum Plinius ipse locis supracitatis dixerunt, perpenderimus; luce clarius patebit, proximè citato Plinii loco, perperam expunctum esse, omnes; Nam cum omnes, vnius cuiusque piscium generis fœminæ vuluas habeant, si Plinius, *Erythini & Channæ uuluas habere traduntur,* scripsisset; nihil notatu dignum notasset; Quod si, *omnes Erythini & Channæ uuluas habere traduntur,* scribat; non solùm aliquid animaduersione dignum edocet, sed quod etiam Aristoteli, à quo id mutuatur, consonat, Atque Ouidio; vt qui etiam scripserit; [s] & ex se

[n] Hist. li. 4. ca. 11
[o] Hist. li. 6. ca. 13
[p] li. 9. cap. 16.
[q] De Gen. lib. 3. cap. 5.
[r] lib. 9. cap. 52.
[s] in frag. fo. 37. 1

A — *Plinij locus emendatur.*

Concipiens Channe gemino fraudata parente;

B

NATVRA ET MORES.

Hiatula carne solùm uescitur, vt Aristoteles testatur, inquiens, [t] *Alij enim carniuori tantũ sunt, ut Cartilaginei, ut Congri, Hiatulæ, Thunni, Murænæ, Lupi, Dentices Amiæ, Cernuæ.* Vt verò paulò infra idem prodidit, [u] *Euenit plerunque huic* (Dentici scilicet, nam de eo loquutus fuerat) *& Hiatulæ, ut cum pisces minores insequantur, uenter procidat, propterea quod piscium uenter iuxta os positum est, nec gula subest.* Verùm si carere gula, & propterea, ori propinquum ventriculum habere, in causa esset, vt ventriculus procideret, id piscibus ferè omnibus accideret; Quando eodem Aristotele authore, [x] *Gula paucis piscibus inest, ut Congro & Anguillæ; ijsque exigua;* Quamobrem non solùm ventriculi cum ore vicinitas, ipsius ventriculi procidentiæ sufficiens causa censenda est, sed si vnà cum huiusmodi vicinitate, maxima cibi appetẽtia concurrat; Vt idem Arist. prius explicatius docuisse videtur, his verbis, [y] *Pisces enim magna ex parte gula carent, ut dictum est, ut qui annexum statim ori uentrem habeant; Quo circa sæpius euenit grandibus nonnullis, ut dum per impetum insectantur minores, uentriculus in os procidat;* Vbi non solùm præter ventriculi cum ore vicinitatem, illam etiam impetuosam sectationem (quæ aliunde non prouenit, quàm à maxima cibi auiditate) ventriculi procidentiæ causam statuit; sed in os etiam procidere explicat; Vnde & si loco supracitato *uentriculum simpliciter procidere* dixerit, neutiquã illum extra os etiam procidere solere, credendum est.

[t] Hist. li. 8. ca. 2
[u] Hist. li. 8. ca. 2
[x] Hist. li. 2. c. 17
[y] Hist. li. 2. c. 17

C


VT NVTRIAT, VT SAPIAT, ET VT CONDIATVR.

D

Diphilo (apud Athenæum) authore, [z] *Channa tenera est, Percæ tamen durior.* Est etiam satis boni succi, nec concoctu difficilis; Verùm insipida; Et propterea vbique ferè vilis habetur; Conditur non secus quàm Perca.

[z] li. 8. fo. 177. 11

P. 73.



N. G.
L.
V. *Tenca marina*

HISTORIA OCTOGESIMA SEPTIMA.

DE CALLARIA.



VM in his elucubrandis historijs, ad hanc octogesimam septimam nonagesimo tertio pisci dicatã iam peruenissem; Gulielmi Rondeletij libri de piscibus marinis tunc primùm Romam euecti ad manus meas deuenere; quos ceu viri (vt opinabar) rei piscatoriæ peritissimi, atque mei amicissimi, incredibili amore ac mira beneuolentia complexus sum; statimque illarũ nostrarum, quæ paucula supererant historiæ, omni scribendi munere intermisso, eos maximo desyderio & incõparabili voluptate legere cæpi; nec cessaui donec omnes diligenter euoluissem. Quibus amicè & beneuolè examinatis, A opinionem meam multùm me fefellisse cognoui. Cum enim nonnulla (quod pace eius dictum sit) obscurè tradat, quædam diminutè pertractet, plurima verò falsò etiã edoceat; haud tantùm in hac re præstitit, quantum ea opinio, quam sua magnifica & gloriosa ostentatione apud ferè omnes excitauerat, expostulare videbatur. Et quod magis miratus sum, cum ex meo ingenio eum iudicans, ipsum valde mihi amicum esse crederem; hostili potius quàm amico animo in me esse animaduerti; idque citra omnem meam culpam. Nam cum ipse in eo Pontificio interregno, in quo IVLIVS Tertius Põt. Max. creatus fuit, Illustriss. & amplissimi Cardinalis à Turnone iter comitatus Romam venisset, intellexissetque non solùm diu atq; plurimùm in corporũ dissectione me versatum, sed quædam etiam pulcherrima anatomiæ munimenta apud B me asseruari; sicuti tum antea, tum postea quamplures alij viri docti non solùm Itali, sed etiam Galli, Germani, Pannonij, atque Hispani qui Romam venerant, nostra hæc anatomica monimẽta (quæ eorum fuit humanitas, & erga bonas artes beneuolentia) videre voluerunt; item is pari studio & desyderio motus hæc nostra videre curauit. Quamobrem cum ipse & tres alij eruditissimi Galli medici in eodem interregno Reuerendissimos alios Gallos Cardinales sequuti in domum meam quàm familiariter conuenissent, eis primùm humani corporis partes singulas egregiè depictas ostendi. Deinde humanum sceleton ea arte & industria constructum, vt in partes plurimas dispartiri, ac in bicubitali scrinio commodè asseruari possit; & rursus cum vsus exigit, illico atque quàm facillimè partibus omnibus inter se commissis totum erigi, videndũ C exhibui. Postremò quatuor cubitales statuas, in quibus omnium prorsus humani corporis musculorum situs, ortus, ductus, tendinum insertio, figura, magnitudo, atque natiuus color verissimè & distinctissimè repræsentatur (opus omnium sanè doctorum virorum iudicio, qui ipsum intuiti sunt, ægregium & vtile, maximoque labore meo, atque sumptu non exiguo conflatum) spectandas præbuimus. Quibus visis atque attentè consideratis; vti tu in secandis corporibus, ita ego inquit Rondeletius, in dignoscendis piscibus multos consumpsi annos; habeoque piscium ferè omnium depictas ad viuum effigies, quas vbi volueris, ostendam; ego verò ei, nihil mihi gratius accidere poterit; nam vti volatilium atque terrestrium, ita etiam & aquatilium animalium D cognitione plurimùm sum semper delectatus; et si à rebus anatomicis distractus, huic nobilissimæ philosophiæ parti haud multam hactenus operam nauarim; verùm subiunxi, cum Marcellus Ceruinus. TT. S. ✠ in Hierusalem Presbyter Cardinalis Amplissimus & dominus meus beneficentissimus, bonarum artium omnium studiosissimus, & doctorum virorum amantissimus sit; quando ita tibi videatur, eodem tempore ipsi & mihi ostendere posses; vt eodem beneficio non solùm me tibi deuincias magis, sed tanto etiam viro inotescas. Placuit, & diem statuimus. Statuta autem die benignè & familiariter à Marcello Cardinali (apud quem antea virtutum illius ac doctrinæ fueram prædicator) exceptus librũ permagnum innumeris piscium iconibus refertum detulit; easque singulas eidem Cardinali me præsente ostendit. Quæ quidem præter id quòd non natiuis coloribus, sed solo atramento erant pictæ; rudes etiam &

ineptæ erant adeo, vt nullo prorſus pacto eorum piſcium, quorum erant icones, faciē
repræſentarent. Vnde haud parùm mirati fuimus, eas à viro tanti nominis oſtentari.
Quamobrem experiundi cupidus an rei difficultate, vel eius potius incuria id eue-
niſſet; poſtridie Mullum & Murænā proprijs coloribus à Bernardo Aretino pictore
egregio depingi curaui; quo ſatis ex voto effecto, alios item duos piſces depingi vo-
lui; cumque opus continuò perfectius ſuccederet, picturæ elegantia allectus, mēſtrua
mercede pacta, eundem Bernardum conduxi; qui mihi integro biennio conuixit,
conuiueretque adhuc, niſi perfecto biennio, immatura morte extremum diem confi
ciſſet. Neque id inſcio Rondeletio. Quinimo cum ei ex vrbe diſceſſuro viginti iam
depictos piſces oſtenderem, eorum excellentiam admiratus eſt. Poſt eius verò di-
E ſceſſum, vti in dies depictorum piſcium non noſtratium ſolùm, ſed (amicorum auxi-
lio) externorum etiam noſter augebatur numerus; ita animus ardentior factus, neq;
ſola nudarum picturarum voluptate contentus, priſcis etiam nominibus piſcium in-
dagandis, atque reliquæ eorum cognitioni ſeſe applicuit. Et tandem eò vſque res de-
uenit; vt quæ die noctuque toto integro ſeptennio lucubraui, nunc in lucem mittere
non verear. Quæ cum ita ſe habeant, an iuſtè vel iniquè me criminetur Rondele-
tius, æquo animo perpendamus. In capite enim ſexto ſui decimi quinti libri de mari
nis piſcibus inquit; Tam in me iniurioſus fuit medicus Cardinalis à Sancta Cruce.
Quibus primis verbis, cum me iniuriæ damnet; ne calumniari videatur, quibus iniu
rijs à me affectus ſit promulgaturus, ait. Cui cum Romæ chartas meas videndas præ
F buiſſem, repente medicus & argumenti nouitate, & varia piſcium pictura illectus, tū
ex meis permultos, tum alios, quos ſubitò nanciſci potuit, prælo commiſit, vt audio;
idque Cardinalis ſumptibus. Verùm quòd ad primum attinet; valde ridiculum eſt
& puerile, ipſum mecum iniuriarum agere; eò quòd argumenti nouitate illectus, il-
lud idem pertractandum ſuſceperim argumentum, in quo ipſe iam diu verſatus fue-
rat. Nam eſto, ita ſit; quis propterea id mihi vitio vertet; ſi ſtudio iuuādæ reipublicæ
literariæ ardere, præclarum ſemper & omni laude dignum extitit; aut quis me ei in-
iurium cenſebit; quando ſi ſuis hæ noſtræ inferiores erunt lucubrationes, is multò ma
iori laude fiet conſpicuus; ſi verò noſtræ præualebunt, quantum publica vtilitas pro-
priæ laudi (vbi vtraque conſeruari non poſſit) anteponenda eſt à probo viro; tantum
G de hac re mihi potius gratulari quàm iraſci deberet. Quòd deinde pertinet ad ſecun
dum; quàm falſum ſit, multas ex ſuis piſcium iconibus à me ſurreptas eſſe; non ſolū
ex eo intelligitur, quòd ſemel tantùm & quaſi (vt ipſe ſcit & teſtatur) per tranſen-
nam eas viderim; ſed luce etiam clarius cognoſci poteſt, ex ſuarum & noſtrarum col
latione. Nemo enim ſtupidus adeo erit, vt facillimè non aduertat, noſtras ad viuum
egregiè depictas, & quàm veriſſimè ipſorum piſcium ſimilitudinem repræſentantes,
ex rudibus illis ſuis deſumi non potuiſſe. Poſtremò ſubiungit, idque Cardinalis ſum
ptibus. Quod tamen neq; vllam ipſi iniuriam, neq; vllū mihi dedecus infert; ſed hono
ratiorē potius reddit. Nam ſi laudari à laudato viro, laus eſt non mediocris; quàm cu
mulatius meus auctus honor eſt, cum Marcellus Ceruinus (quem non ſolùm ob am-
H pliſſimam Cardinalatus dignitatem, ſed multò etiam magis ob vitæ innocentiam, ani-
mi integritatem, Chriſtianæ religionis obſeruantiam, doctrinam rerum omnium exi-
miam, beneuolentiam in omnes bonos doctoſq;, in pauperes miſericordiam, & in om
nes deniq; omnium generum & ordinum viros humanitatem; omnes ſemper meritò
admirati ſunt; quiq; vti demum incredibili omnium gaudio PONTIFEX Max.
creatus fuit, ita die vigeſima prima ſui pontificatus, incomparabili totius penè orbis
dolore, immatura & repentina obijt morte) non ſolùm (vt plures ſciunt) honeſtiſſi-
ma ſua prædicatione me ſæpius apud multos honeſtauerit; ſed etiam tum in alijs me-
is domeſticis difficultatibus, tum in his noſtris piſcium formis, atq; hiſtorijs excuden
dis plurimùm ſemper me ſuis ſumptibus iuuerit. Verùm vti his verbis me calūnia
tus eſt Rondeletius, ita his calumnijs non contentus, quò magis hoſtilem ſuum in me
animum indicaret, iniurijs atque maledictis me inſectatur; ijs quæ hactenus ſcripſe-

rat subiungens; Mirũ si veri aliquid ex sese de piscibus possit commentari; Quàm autem temeraria hæc eius sit admiratio, res ipsa declarat. Quemadmodum enim nostræ piscium imagines, omnium consensu eius imagines adeo superant, vt eis nullo prorsus pacto conferri possint, aut debeant; sic eruditorum virorum iudicio, hanc etiam nostram piscium historiam eius historia locupletiorem, explicatiorem, & veriorem fore non dubitamus. Eadem præterea temeritate inquit; Quî enim in diuersis maris partibus diutius versari, quî in dissecandis piscibus, perspiciendisq; eorum partibus, notis, differentijsq; omnibus ponere operam potuit. Quantò nanq; maiore & diligentiore opera in his omnibus vsus sim quàm ipse, præter id quòd clarè satis ex hisce nostris historijs intelligi potest; manifestissimum etiam fiet in alio nostro libro, A
quem statim post huius editionem foras dabimus; cuius titulus erit, Cẽsura in libros de piscibus Gulielmi Rondeletij. Nam cum errores, quos certè plurimos in libris eius notauimus; in his historijs nostris excuti nõ potuerint; tum quia pars harum maior iam impressa esset, cum libri eius ad nos peruenissent; tum quia visum nõ est eius errorum confutationibus eas interturbare, atque prolixiores reddere; in peculiari libro illos collegimus atq; confutauimus. Quod nulla malignitate liuoreúe fecimus; sed amicè potius, vt veritas magis limaretur. Postremò ne temerè de me iudicasse videretur Rondeletius; huius suæ sententiæ causam reddens dicit; Qui totos dies in salutandis, ducendis, deducendisq; aulicis consumit, vt sportulam emereatur. Quibus vltimis verbis non contumeliæ solùm atque temeritatis, sed falsitatis etiam crimine damnandus est. Præter id enim, quòd hoc Romæ non dedecet; vbi Illustrissimos B
& Reuerendissimos Cardinales ceu optimos atque primarios christianæ reipublicæ patres, docti, nobiles, atque dignitatibus alijs insignes viri semper concomitãtur; nemo tamen temporis tantillum, ne dum dies totos à me his in rebus vnquam consumptum vidisse, testari poterit; ita in diurnis atq; nocturnis studijs meis, & in ægrorum visitationibus occupatissimus semper esse soleo. Neq; demum is sum (cum hîc autem de me loqui Rondeletij importunitate cogar, id omne citra iactantiam accipias, obsecro candide lector) vt sportulam emereri egeam; aut si alicuius rei indigeam, vt salutando, & comitando, ea mihi comparanda sit; cum in hac vrbe, in ea sim existimatione (cuius maximas, quas possum, Deo gratias ago) vt vti in hoc almo Romano gimnasio practicam medicinam ordinariè (vt loquuntur) iam multos annos professus sum, C
atque profiteor; ita Illustrissimi nonnulli Cardinales, Antistites plurimi, atque nobiles permulti tum Romani tum aduenæ mea opera, vbi eis opus est medico, libenter vtantur. Vnde huberem adeo quæstum consequor, vt honorificè totam meam alere familiam possim. Verùm cùm pro meo defendendo honore contra Rondeletij maledicta, plura forsan quàm par erat, dixerim, his omissis, ad piscem nostrum nonagesimum tertium reuertamur.

PISCIS NONAGESIMI TERTII.
NOMEN.

[a] Lib.6.cap.x. de piscibus marinis.

PIscem nostrum, qui Romæ *Tenca marina* & *pesce Fico* vocatur, veterum græcorum φυκίδα esse contendit [a] Rondeletius; ea coniectura (vti arbitror) persuasus, quòd D
vulgari Romanorum appellatione *pesce Fico* (vt diximus) appelletur. Verùm præter id quòd friuola & vana hæc coniectura est; quum hic piscis propterea quòd maturissimi & passi fici instar, mollis, flaccidus, & non succi plenus sit, Romæ *fico* vocetur, & non quia hæc eius vulgaris nomenclatura ex veteri græca deducta sit; id etiam opinari, rationi dissonum est. Nam cùm Athenæus (vt in historia octogesima quinta declarauimus) Aristotelis authoritate, [b] φυκίδα ποικιλόχροα, Id est, *Phycidem uarii coloris*; & ἀκανθοσεφῆ, hoc est, *spinis uallatam* vel *coronatam* appellet; Speusippus verò apud eundem Athenæum [c] *Percam Channam, & Phycidẽ similes faciat*; quo pacto hic piscis noster, qui neq; varijs depictus est coloribus, neq; spinis vallatus, quique nil minus quàm Percæ & Channæ similitudinem repræsentat, Phycis dici poterit. Et propterea non *Phycidem*, sed *Calla-*

Rondeletij error.

[b] Lib.7.fol.159.28.

[c] Lib.7.fol.159.23.

riam hunc eſſe aſſeueramus. Neqꝫ id temerè, ſed optima ratione ducti. Nam cum inquiat Plinius [d] *Callarias Aſellorum generis, ni minor eſſet*; vti Callariam Aſelli congenerem, & minorem eſſe teſtatur; ita nos hunc piſcem noſtrum, quippe qui Aſello ſimilis eſt, atque minor, Callariam eſſe iurè cenſemus. Nec ſi Plinius dicens alibi [e] *Aſellorum duo genera, Callariæ minores, & Bacchi, qui non niſi in alto capiuntur, ideo prælati prioribus*; Atque Dorion ſcribēs apud Athenæū, [f] *Fluuiatilis Muræna habet unā ſpinam ſolam, ſimilem Aſello, qui uocatur gallarias*; Callariam & Aſellum non ſimiles, ſed vnum & eundem piſcem facere videantur; nō hunc, ſed decimum tertium piſcem noſtrum, quem in vndecima hiſtoria Aſellum eſſe ſtatuimus, Callariam appellare oportet. Nam cum Callarias valde (vt infra explicabimus) ſimilis ſit minori Aſello; mirum non eſt, Plinium (haud multùm in rebus internoſcendis diligentem & peritum) hoc loco Aſellum minorem Callariam vocaſſe, atque vnum & eundem piſcem feciſſe. Dorion verò pro noſtra pugnat opinione; nam ſi minorem Aſellum & Gallariam vnum & eundem piſcem eſſe arbitratus eſſet, habere dixiſſet ſpinam ſimilem τῷ ὀνίσκῳ, aut τῷ γαλλαρίᾳ, & non τῷ ὀνίσκῳ τῷ καλουμένῳ γαλλαρίᾳ, id eſt, minori Aſallo vocato Gallariæ; quibus verbis tum piſcem vnum, qui ſimpliciter ὀνίσκος; tum alterum, qui non ſimpliciter, ſed ὀνίσκος γαλλαρίας vocetur, manifeſtè innuit reperiri. Noſtræ præterea ſententiæ ſubſcribit & Oppianus, quippe qui καλλαρίαν metri ratione, per ſyncopam κλαρίαν vocans, ab Aſelloque ſeparans inquit, [g] ψῆτται, καὶ κλαρίαι, καὶ τριγλίδες, ἔργατ' ὀνίσκων. Quamobrem vti piſcem noſtrum decimum tertium ὀνίσκον, ſiue *minorem Aſellum*; ita hunc nonageſimum tertium *Callariam* Plinij, & γαλλαρίαν ſiue ὀνίσκον καλούμενον γαλλαρίαν Dorionis, atque κλαρίαν Oppiani eſſe, iurè arbitramur. Quòd ſi forſan in hiſtoria vndecima hæc ita abſolutè diſtincta non ſint, ea ad huius hiſtoriæ cenſuram reuocamus.

E — Plinius notatur

F

[d] Lib.32.cap.xi.
[e] Lib.9 cap.17.
[f] Lib.7.fol.156.6.
[g] Lib.1.fol.5.53. græcè.

DESCRIPTIO.

Callarias ad minoris Aſelli ſimilitudinem proximè (vt diximus) accedit; capite enim lato eſt, & preſſo; ore magno, & valde denticulato; atque oculis etiam magnis, & aureis. Ex inferiore maxilla appendix vna ceu barba pendet; qua minor caret Aſellus. Branchias habet vtrinque quaternas; & ad eas, binas latiuſculas pinnas, vnam ſcilicet vtrinque. Ex anteriore verò ventris parte binarum pinnarum vice, quæ eo loco piſcibus alijs natæ ſunt, bini longi admodum, atqꝫ rotundi cirri propendent. In primo dorſo pinna parua erigitur; poſt quam alia vna enaſcitur, per dorſumque totum ad caudam ferè vſque extenditur. Inferiori ventri ſingularis pinna ab ano orta, atque ad caudam etiam vſque producta ſubnectitur. Cauda in vnicam & rotundam pinnam degenerat. Corpus totum oblongum eſt, latiuſculum, ſquamis minutis contectum, & colore Aſelli inſtar, cineraceo. Lapillos duos non ſecus quàm Aſellus habet in capite; ventriculum amplum; inteſtina lata; hepar magnum, & ſubalbum; cui fellis hæret veſica. Minore magnitudine eſt quàm Aſellus; vix enim pedalem excedit menſuram, cum cubitalem ſuperare Aſellus ſoleat.

G

H


LOCVS, ET NATVRA.

Marinus piſcis eſt Callarias, & litoralis potius quàm pelagius, in cœnoſiſque litoribus degens; vt Oppianus etiam notauit inquiens,

[h] Et Clarię, Pſettę, Scepani, Triglis, Aſellus
Atque lacertorum gentes, quę putrida paſcunt,
Inter cænoſas voluentes corpora ſordes.

VT SAPIAT, ET VT NVTRIAT.

Piſcis eſt haud ſuauis, & propterea vbique ferè plebeius, & parui pretij eſſe ſolet. Carnem habet ſatis mollem, ſed non friabilem; concoctu facilem, ſed excrementitiā. Frixus aut aſſus palato minus ingratus eſt quàm elixus.


F 94
N. G. L. V. Papagallo

HISTORIA OCTOGESIMA OCTAVA

DE PAVONE

NOMEN.



ISCIS noster octogesimus octauus, quem Romæ, ob colorum varietatem *Papagallo*, & Lusitani *Budiam* appellant; à [a] Diuo Ambrosio, ab [b] Isidoróq; Hyspalēsi (*propterea quod paui auis colorem imitetur*) *Pauo uel pauus* vocatur; Ab aliis autem Latinis Græcísue scriptoribus nullam eius mentionem factam esse scimus; præterquā à Philostrato, [c] qui *In phaside Indiæ flumine, pisces quosdam Pauones uocatos, reperiri testatur;* vt latius infra declarabimus; Hunc autem nostrum D. Ambrosii, & Isidori Pauonem esse, manifestè color eius indicat. A

[a] Hex. 5. cap. 2. [b] lib. 12. cap. 6 [c] lib. 3. vitæ Apollonij.

DESCRIPTIO.

Pauo rostro est extento, sed non admodum acuto; Ore mediocri & denticulato; Labiis crassissimis, quorum superius duplex etiam apparet; Capite crasso; Oculis magnis & aureis; Branchias vtrinque quaternas habet; & iuxta eas binas pinnas latas & rotundas, duásque alias minus latas in ventre; In dorso vna satis longa erigitur, cuius anterior pars stricta, & aculeis munita est; posterior verò latior & aculeorū expers; A podice, qui in medio ferè ventre consistit, vna quoque duobus aut tribus innixa aculeis, per imum ventrem ad caudam explicatur; Cauda verò in vnam aliam pinnam latam & ferè rotundam definit; Totius corporis figura lacustri Tincæ absimilis nō est; Squamis latis tegitur; Variis & pulcherrimis adeo depictus est coloribus, vt sicuti non minus quàm Iulis piscium formosissimus videri potest, ita eos omnes verbis exprimere difficillimum sit; enitemur tamen eum pingere; Corpus ferè totum viret, sed non æquali & consimili viriditate; Ventris enim posterior pars viret ex albo, anterior verò ex albo liuet; Dorsum & cauda ex viridi nigricant; Latera ex viridi partim flauescunt, partim liuent; Caput verò ex cœruleo viret, maculis quamplurimis rubentibus, cœruleisque nonnullis, piscem totum, nulla habita ordinis ratione pingētibus; Vnde iurè supracitatis locis, à D. Ambrosio atque Isidoro, paui auis colorem æmulari, collúmque & dorsum vario colore pictū habere, dicitur; Ventris præterea pinnæ, cœruleæ, quæ verò ad brāchias sunt, luteæ apparent; Dorsi pinna, anteriore aculeata parte, ex flauo rubescens; posteriore verò, qua caret aculeis, partim virēs, partim violacea existens, vtraque parte cœruleis maculis depingitur; Imi ventris & caudæ pinna violacea est, lineolis atque maculis quamplurimis cœruleis insignita; Ventriculum magnum habet, appendices multas, intestina ampla; Hepar subalbidum, cui fellis hæret vesica; Lienem subatrum. Bilibris crebrò, ad cubiti verò mēsuram auctus perrarò reperitur. Ab hoc autem nostro (quem diui Ambrosii atque Isidori Pauonem esse, non dubitamus) Pisces in Phaside Indiæ flumine repertos, Pauonésque, Philostrato authore (vt supra etiam diximus) vocatos, diuersos esse, certissimum est; quando, vt idem Philostratus supra citato loco refert, [d] *Illi cristas quasdam cœruleas, squamas uersicolores, & caudā auream, in quamcunque uoluerint partem uersatilem habeant;* quæ haud quaquam in hoc nostro conspiciuntur.

B C D

[d] lib. 3. vitæ Apollonij.

LOCVS, ET PARTVS.


Et si Indicos suos pisces, pauones vocatos, fluuiatiles faciat Philostratus, vt ex supra citato loco eius intelligi potest; nos tamen nostrum hūc Pauonem, marinum tantùm piscē esse asseueramus; Nusquam enim in dulci aqua reperiri scimus. Maximè autem circa saxosa maris litora, atque scopulos victitat; vbi etiam ineunte æstate parit.

NATVRA ET MORES.


Carniuorus piscis est Pauo, non solùm enim alga, atque aliis maris purgamentis, sed
A minoribus etiam piscibus vescitur; Gregalis non est, sed solitarius; & propterea ferè semper singuli capiuntur; soléntque verno ac autumnali duntaxat tempore capi, eò quòd forsan, æstate caloris, hyeme verò frigoris, impatientes lateant.

VT SAPIAT, VT NVTRIAT, ET VT CONDIATVR.

Vt pulcherrima suorum colorum varietate Pauo piscis Pauonem auem egregiè æmulatur, ita ab eo plurimùm saporis bonitate degenerat; Non enim vt ille suauis, sed insipidus atque ignobilis piscis censetur. Carnem habet mollem potius quàm duram, cui & lentor aliquis inest; In craticula assus, & aceto,
B vel mali aranci succo conspersus, palato minus ingratus esse solet.



N. G. Τρίγλα.
L. Mullus.
V. Triglia.



P. 96.

HISTORIA OCTOGESIMA NONA.

DE MVLLO.

NOMEN.



A PISCIS noster nonagesimus quintus, quem Romæ *Triglia*, Massiliæ *Triga*, Nicenses *Strilha*, Veneti *Barbone*, Burdegalenses *Barbeau*, & Galli *Rougets, Barbets,* & *Surmulets* appellant; græcè [a] Oppiano (vt infra citabimus) & [b] Athenæo authoribus, *propterea quòd ter anno pariat*, τρίγλη dicitur; & non (vt falsò asserit Iouius) [c] *quia Dianæ Hecati, quæ triformis est, dicetur*. Et licet Athenæo authore, [d] *Nomina fœminina, quæ in* λα *desinunt, alterum* .λ. *requirant, ut* σκύλλα; *Quæ verò adiunctum* γ *habent, in* η *terminentur; ut* τρώγλη αἴγλη *ac* τρίγλη; non tamen ab omnibus perpetuò τρίγλη vocatur; [e] Ab Aristotele nanque atque [f] Oppiano non τρίγλη solùm, sed aliquando τρίγλα etiam nominatur; & ab ijs item ferè omnibus, qui græca lexica colligerunt; [g] ab eodemque Oppiano τρίγλης quoqꝫ nonnunquam dicitur. Et cum [h] τριγλίς *etiam ab eodem piscibus annumeretur*; τριγλίδα (cuius ipse solus meminit) *lutarium Mullum* esse arbitramur, vt infra (vbi de natura agemus) explicabitur. [i] *Dorion præterea in libro de piscibus* τριγλίτης *etiam meminit; eam Aphiæ speciem faciens*; de qua nos in Aphiarum historia quam liber noster secundus continebit, pertractabimus. Postremò cum apud B Athenæum [K] *Sophron* & [l] *Typhon inter pisces* τριγόλαν *nominent*, pauca & obscura adeo sunt, quæ ab eis de Trigola dicuntur; vt difficile sit explicatu, an Triga & Trigola ijdem, vel similes pisces sint; Ille enim ἐν τοῖς ἀνδρείοις scripsit, τριγόλα ὀμφαλοτόμῳ, id est, *Trigolæ obstetrici*, καὶ τριγόλαν τὸν εὐδιαῖον, Et ἐν τῷ ἐπιγραφομένῳ παιδὶ κάσσοι dixit *triglas quidem pingues* τριγόλαν δὲ ὀπιασθίαν; Hic verò in libris de animalibus dixit *nonnullos arbitrari Trigolam ipsam Cuculum esse, cum ob similitudinem, tum ob posteriorum partium siccitatem*. Latinè verò hic piscis noster Mullus vocatur; [m] *Non propterea quòd mollis sit atque tenerissimus*, vt ineptè testatur Isidorus Hyspalensis, [n] *sed quia* (Fenestella authore, vt Plinius refert) *à colore Mulleorum calceamentorum nomen ei datum sit. Mulleos autem* (Festo authore) *genus calceorum aiunt esse, quibus Reges Albanorum primi, deinde Patritij usi sunt*. Præterea [o] *Mullulus* etiam diminutiuo nomine appellatur à C Cicerone.

Iouij error.

Isidorus notatur.

[a] Lib.1.fol.116.37.
[b] Lib.7.fol 161.52.
[c] Lib de pisc-cap. 18
[d] Lib.7.fol.151.49.
[e] Hist.lib.5.cap.9.
[f] Lib.1.fol.5.44. græcè.
[g] Lib.1.fol.6.16. græcè.
[h] Lib.1.fol.5.51.græcè.
[i] Athe.lib.7.fol.143.16.
[k] Lib.7.fol.162.5.
[l] Lib.7.fol.162.9.
[m] Lib.12.cap.6.
[n] Lib.9.cap.17.
[o] In Parad.48.

DE MVLLORVM GENERIBVS.

Cum magna de Mullorum generibus sit difficultas, haud ab re duxi, priusquàm descriptionem aggrederer, de eorum differere generibus. Veterum itaque solus Plinius expressè [p] *Eorum plura genera fecit*; sed cum statim subdat, *nam & alga vescuntur, & ostreis, & limo; & aliorum piscium carne; Barba gemina insigniuntur inferiori labro; Lutarium ex iis vilissimi generis appellant*; neque vera genera, neque veras species, sed solùm leues quasdã differentias, ex ciborũ, quibus nutriuntur varietate desumptas recensere, ac genera D appellare videtur; quibus quidem differentijs neqꝫ etiam perpetuò Mulli differunt; quippe quorum haud perpetuò hi alga, illi ostreis, alij limo, aliqui verò aliorum piscium carne vescantur; sed quilibet horum quolibet sibi obuio indifferenter pascatur. Quamobrem plura Mullorum genera verbis potius confinxit Plinius, quàm re ipsa constituerit. Athenæus præterea scribens [q] *Sophron barbatum Mullum dixit, quia Mulli barbam habentes alijs multò suauiores sunt*; duo eorum genera esse asseuerat; Barbatorum vnum, Imberbium verò alterum; sed cum neque alius aliquis antiquorum imberbis Mulli meminerit vnquam; neque re vera vllus eorum imberbis reperiatur; ei etiam subscribendum non est; & vel maximè quoniam etsi Sophron barbatum Mullum vocauit, non propterea imberbem reperiri Mullum ab ipso innui opinandum est; quando licet quispiam risibiles homines aliquid fecisse dixerit, non propterea non risibiles etiã

In Plinium animaduersio.

Athenæi lapsus.

[p] Lib.9.cap.17.
[q] Athe.lib.7.fol.162.22.

homines reperiri inferri debet. Vti igitur Mulli in fictitia hæc genera temerè diuidē
di non sunt; sic verè duplex eorum genus esse, nos primi notauimus; quæ quidem
duo genera non solùm magnitudine (vnde maioris distinctionis gratia vnum maius,
alterum verò minus vocari poterit) sed colore etiam manifestissimè distinguntur;
vti tum ex præpositis ipsorum iconibus, tum ex sequente descriptione clarè intelligi
potest.

DESCRIPTIO.

[r] Lib.7.fol.162.9. — Licet apud Athenæum [r] *Speusippus Cuculum Hirundinem & Mullum similes faciat*; Mullus tamen — Speusippus notatur.
neque cum Cuculo (si modiculam coloris consimilitudinem exceperis, vt sexagesi-
ma quarta historia dictum est) neque cum Hirundine (vt declarauimus historia sexa
gesima secunda) vllam habet similitudinem; vt ex ipsorum iconibus ac descriptioni- A
bus intelligi potest. Mullus enim os paruum habet & edentulum; etsi Athenæus fal
[s] Lib.7.fol.162.2. — sò [s] *serratos ei dentes* tribuat. Duo cirri cutacei molles rotundi longi atque barbæ simili-
[t] Lib.9.cap.17. — tudinem gerentes ex inferiori labro pendent; vt non solùm Plinius inquiens, [t] *Mulli*
[u] Lib.3.de re rust. cap 17. — *barba gemina insigniuntur inferiori labro*; sed etiam [u] M. Varro, [x] Cicero, atque apud Athenæum — Athenæi lapsus
[x] Attico.lib.2.16.in parad.48. — [y] Sophron, *barbatum Mullum* vocantes, testati sunt. Capite est repando, & rostro ferè ca-
[y] Lib.7.fol.162.7.& 22. — rente. Oculos habet mediocres; branchias vtrinque quaternas; ac binas vtrinque
pinnas, ad branchias scilicet vtrinque vnam; & alteram vnam vtrinque etiam in ven
tre; in dorso itidem duas, priorem ceruici, posteriorem caudæ proximam; & rursus
aliam vnam à podice imo ventri hærentem. Cauda verò in lunatam pinnam dege-
nerat. Squamis magnis & tenuibus tegitur. Totius piscis figura oblongiuscula est, B
[z] Lib.7.fol.162.4. — venter satis planus, & dorsum repandum. Vnde forsan apud Athenæum [z] *Epicharmus in*
Hebes nuptijs τρίγλας κυφάς, id est, *Mullos gibbos dixit*. Ventre præterea est albo, reliquo corpo-
[a] In frag.de pisc.fol. 37.16. — re purpureo. Vnde Ouidius, [a] *Et squalus tenui suffusus sanguine Mullus*; [b] Oppianus, *His addas ro-*
[b] Lib.1.fol.108.54. — *seo splendentes corpore Triglas*; & Ausonius, [c] *Solus puniceis facilis contendere Mullis*; dixerunt. Plinius ve
[c] In Mosella. [d] Lib.9.cap.17. — rò scripsit, [d] *Mullum expirantem versicolori quadam & numerosa varietate spectari, Proceres gulæ narrant, ruben-*
[e] Lib.7.fol.162.32. — *tium squamarū multiplici mutatione pallescentem, utique si uitro spectetur inclusus*. Et apud Athenæum [e] *Nausicra*
tes Comicus flauam Triglam appellauit. Ventriculum rotundum habet & paruum, cum quāpluri
mis appendicibus; intestina mediocria, hepar subrubrum, fellis vesicam admodum
exiguam, splenem etiam exiguum & subatrum. Et licet vterque Mullus, tum scilicet
maior, cuius figura nonagesima quinta est, tum minor, cuius figura est nonagesima C
sexta, his rebus omnibus inter se conueniant; colore tamen & magnitudine manife-
stè adeo distinguntur; vt duo esse Mullorum genera apertissimè constet. Maior enim
rubro, minor verò purpureo colore pingitur; & vti ille à capite ad caudā aureis lineis
insignitur; sic iste huiusmodi lineis carens, lituris quibusdam flauis atque liuentibus
[f] Lib.7.fol.162.2. — notatur. Quapropter haud ab re Athenæus, [f] *Mullum totum maculosum esse*, scripsit. Hu-
ius præterea squamæ vel modico contactu deciduæ sunt, cum illius firmiùs hæreant.
Postremò cum hic nunquam palmum excedat, ille ad pedalem etiam magnitudinē
excrescit. Antiquorum quoque testimonio modicæ magnitudinis fuit Mullus; Vt
[g] Lib.9.cap.17. — nanque dixit Plinius [g] *Binas libras ponderis rarò admodum exuperat*. Quod & Martialis compro-
[h] Lib.15. — bat inquiens, [h] *Nolo mihi ponas Rhombum, Mullumque bilibrem*. Horatius trilibrem etiam facit, scri D
[i] Lib.2.serm. [l] Lib.9.cap.18. — bens, [i] *Laudas insane trilibrem Mullum*. Seneca quadrilibris & Iuuenalis sex librarum ceu ra
rissimi & monstruosi (vt infra citabimus) meminerunt. Et si (vt Plinius refert) [l] *Mullum*
L X X X. librarum in mari rubro captum, Licinius Mutianus prodiderit.

LOCVS.

[m] Lib.32.cap.xi. — Marinus piscis est Mullus; vt Plinius etiam [m] *Inter peculiares maris pisces*, eum connume-
[n] Lib.9.cap.17. — rans, testatur. Nec in omni mare gignitur; nam eodem authore, [n] *Septentrionalis hos,*
& proxima occidentis parte non gignit Oceanus. Et cum marini pisces in litorales & pelagios diuidā
[o] Clas.2.fol.29. A. — tur (vt historia nona declarauimus) Galenus [o] *Pelagicis piscibus Mullum annumerat*; Aristote-
[p] Hist.lib.8.cap.13. — les verò [p] *inter litorales eum recenset*, cui subscribit & Oppianus inquiens,

q Nonnulli flauam pisces in littore Arenam
Mandunt, & terra quicquid nutritur in alta,
Hippi, Cocciges celeres, flauiqúe Erythini,
Et Cithare, Trigleqúe simul, tenues Melanuri,
Trachuronqúe greges, Buglosseqúe, & Platanuri,
Teniaqúe imbellis, pictus quoque Mormylus, atque
Scombri, & Cyprini stabulantur littora iuxta. — q Lib.1.fol.108.24.

At Plinius scribens [r] *Nec litoralibus gratia*, litorales & pelagios esse innuere videtur. Aelianus etiam loci ratione eos diuidit, dicens enim, [s] *Mullorum nonnulli saxatiles appellantur à locis quę incolunt, nomen trahentes; quę quidem loca habent minuta & rara saxa, crebrasqúe algas inter hæc interiectas, ac inter medias, ubi subsidet limus uel arena*; vti nonnullos saxatiles esse affirmat; ita alios non saxatiles esse indicat. Cuius opinionem sequutus est & Oppianus, nam cum (vt supra citauimus) arenosa incolere litora Mullos dixisset; rursus alibi eos saxatiles esse asseuerat his versibus. — r Lib.9.cap.17. s Lib.12.cap.21. E

t Scopulos, quos abluit vnda
Alga conspersos, & multo murice tectos,
Salpę habitant variis distinctę tergora signis,
Iulides, & Percę, Channi, Turdiqúe virentes,
Phucides eunuchi verò de nomine dictę,
Cirris saltator, Mylus, Svene, Basiliscus
Aspera saxa colunt imo defixa profundo.
His addas roseo splendentes corpore Triglas,
Sunt vdę cautes herbis à fronte virentes
Hic domus est Sargis, hęc statio lęta Scienis,
Et Faber, & nigro cui nomina dicta colore
Hęc Coracinus habet, hęc Scarus saxa frequentat. — t Lib.1.fol.108.47. F

Sed cum Aelianus Oppianusque (præcitatis locis) atque Aristoteles (dicẽs vt infra citabimus, pisces saxatiles bis pariunt, excepto Mullo) saxatiles Mullos esse testẽtur, largiori significatu saxatilium piscium nomine eos vsos esse, quàm vsus fuerit Galenus, arbitrari oportet; cum Mulli ex verè saxatilium censu non sint, vt ex historia octogesima manifestissimè intelligi potest. Nec in mari solùm, aut in marinis litoribus Mullus degit; sed in marinis etiam stagnis victitat; vt author est Aristoteles inquiens, [u] *In maritimis etiam lacubus genera plura piscium marinorum gigni apertum est, vt Salpam, Auratam, Mullum, & alios ferè plurimos*. Præterea in piscinis etiam eos viuere solere, testis est M. Varro his verbis, [x] *Hortensius familiaris noster cum piscinas haberet magna pecunia ædificatas ad Baulos, ita sæpe cum eo ad villam fui, vt illum sciam semper in cœnam pisces puteolos mittere emptum solitum; Neque satis erat eum non pasci piscinis, nisi eos ipse pasceret vltro; Ac maiorem curam sibi haberet, ne eius esurirent Mulli, quàm ego habeo ne mei in rosca esuriant asini*. Atque Cicero his, [y] *Nostri autem principes digito se cęlum putant attingere, si Mulli barbati in piscinis sunt, qui ad manum accedant*; & alibi hisce [z] *Et uideant aliquem summis populi beneficijs usum, barbatulos Mullulos exceptantem de piscina, & pertractantem*. Verùm secus sentire videtur Columella dicens, [a] *neque enim si uelimus, vt in mari nonnunquam conspeximus, in viuario multitudinem Mullorũ pascere queamus, cum sit mollissimum genus, & seruitutis indignantissimum; raro itaque vnus aut alter de multis millibus claustra patitur*. Atque Plinius scribens, [b] *Mulli nec in uiuarijs piscinisque crescunt*. — u Hist.lib.8.cap.13. x Lib.3.de re rust. cap.17. G y Attico.lib.2.16. Veterũ authorũ discordia. z In Parad.48. a Lib.8.cap.17. b Lib.9.cap.17.

H

PARTVS.

Vt prodidit Aristoteles [c] *Saxatiles pisces bis pariunt, excepto Mullo, hic enim solus ter parit; quod ex fœtu ipso, staturaq; intelligitur; ter enim aliquibus in locis partus apparet*. Quod sic trãscripsit Plinius, [d] *Mulli pariunt ter anno; His certè toties fœtura apparet*. Et alibi [e] *Bis anno pariunt saxatiles omnes, Mulli ter*. Eandem Aristotelis sententiam citat & Athenæus his verbis, [f] *Aristoteles in quinto libro de animalibus Mullum scribit ter anno parere cuius rei eo argumento vtuntur piscatores, quòd eius partus ter in locis quibusdam paruus uideatur*. Idem testatur [g] Aelianus (vt infra citabimus) atque Oppianus inquiens; [h] *Accipiunt Triglæ terno cognomina partu*. Subdit præterea Athenæus, [i] *Mullus postquam ter peperit, sterilis redditur; gignuntur enim illi in vtero vermiculi quidam, qui semen eius de* — c Hist.lib.5.cap.9. d Lib.9.cap.17. e Lib.9.cap.51. f Lib.7.fol.161.50. g Lib.12.cap 21. h Lib.1.fol.116.37. i Lib.7.fol.162.2.

uorent. Quod vti à nullo alio Mullo tribui scimus; sic an verum sit, hucusque experientia comprobare non potuimus. Cum postremò testatum reliquerit Aristoteles, k Hist.lib.6.cap.17. [k] Vltimi gregalium pariunt Mullus & Coracinus, pariunt autem autumno, Mullus sua oua limo *committit, unde fit ut sero pariat, diutius enim frigus continetur in limo*, de tertio & vltimo partu intelligendum videtur; nam bis priùs vere scilicet, atque æstate parere solitus est

NATVRA, ET MORES.

l Hist.lib.8.cap.2. m Lib.9.cap.17. n Lib.7.fol.162.2. o Lib.12.cap.21.

Vt testis est Aristoteles [l] *Carne alga concha & cœno Mullus uescitur*. Quod mutuatus est Plinius inquiens (vt supra quoqꝫ citauimus) [m] *Mulli & alga uescuntur & ostreis & limo & aliorum piscium carne*. Athenæus etiam [n] *Carniuorum eum* facit. Aelianus verò inquit, [o] *Mullus piscis edacissimus est, omnia sibi obuia promiscuè inmodesta quadam intemperantia helluari cupit*; & paulò infra, *Hominum & piscium cadaueribus uescitur, & sordidissimis maleque olentibus delectatur*. Quæ omnia his versibus transcripsit Oppianus, A

p Lib.3.fol.139.25.

[p] Trigla vorat fœdas sordes, & mergit in aluum
Omnes illuuies ponti. non ulla natantum
Agmina tam turpi victus maculata pudore;
Infectas & sola escas male gliscit olentes.
Atque hominum cupidè corrupta cadauera pascit,
Obruta cum vasto fluctu voluuntur in equor.
Hinc illam predo sordem male olentibus hamis
Attrahit, & tetro semper couellit odore. B
Affectu simili porci, Triglęque trahuntur
In ventrem, & pastum tanta feritate sequuntur.
Spurcitie cedunt Triglis, quantum agmina ponti
Tantum terrestres superat sus fœda cateruas.

q Hist.lib.8.cap.2. r Lib.9.cap.17.

Et vt idem prodidit Aristoteles, [q] *Sargus mulli reliquias sequitur, nam ubi ille luto excitato abijt (fodere enim potest) hic descendit, & pascitur*. Quibus verbis etsi Aristoteles lutum excitare, atque fouere posse, cuilibet Mullo indifferenter tribuere videatur; Plinius tamen vni atque vilissimo Mullorum generi id ascribit, inquiens; [r] *Lutarium ex ijs uilissimi generis appellant; Hunc semper comitatur Sargus nomine alius piscis, & cœnum fodiente eo, excitatum deuorat pabulum*. Quem quidem lutarium Mullum cognouisse, & nomine ab alijs distinxisse videtur Oppianus, quippe qui vti alios circa arenosa litora, aut saxosa maris loca victitantes τρίγλαι aut τρίγλην appellauit; ita hunc inter cœnosos pisces connumerauit, atque τριγλίδα vocauit, inquiens C

s Lib.1.fol.108.28.

[s] Ast alii cœno turpi, fędaque palude,
Pascuntur, Batidesque, Boum genus vsque proteruum,
Difficilis Trygon, Torpedo nomine vero,
Et Clarię, Psettę, Scepani, Triglis, Asellus
Atque Lacertorum gentes, quę putrida pascunt
Inter cęnosas voluentes corpora sordes.

t Lib.32.cap.1. u Hist.lib.9.cap.37. x Lib.9.cap.2. y Lib.7.fol.162.2. z Lib.12.cap.21. a Lib.7.fol.162.12. b Lib.7.fol.162.18. c In lib. vtra animalia &c.

Præterea vt testatum reliquit Plinius, [t] *Vescitur lepore marino unum tantum animal ut non intereat, Mullus piscis, tenerescit tantùm & ingratior uiliorque fit*. Quod tum Aelianus tum Athenæus comprobant, quorum verba infra citabimus. Et teste Aristotele [u] *Licet carniuorus sit, non tamen est uagabundus*. Eiusdemque testimonio, [x] *Gregalis est*; Quod [y] Athenæus etiam confirmat. Et authore Aeliano [z] *Eleusinæ sacris initiati, idcirco Mullo pisci honores habent, uel quòd is ter anno parit, uel quia mortiferum homini leporem exest planeque conficit*. Vnde Athenæus non solùm scripsit, [a] *Mullus Dianæ* dicatur propter nominis communitatem, ipsi nanque triuię, & ternos oculos habenti, trigesimo *mensis die cœnam ferunt*; sed paulò infra subdit etiam, [b] *Appolodorus in libris deorum*, Dianæ inquit sacrificari Mullum ob nominis communitatem, triformis enim dea est. Melanthius autem in libro mysteriorum, quę sunt in Eleusine, & Mullum & Męnam, quoniam marina est Diana; Hegesander verò Delphus Mullum afferit in sacris Dianę ferri, quia pestiferos lepores marinos diligenter venari atque dissipare credatur; Quod cum in hominum vtilitatem faciat, venatrici *deæ iure uenator piscis dicatur*, Plutarchus etiam testatum reliquit, [c] *Mullum à sacerdotibus Dianæ coli*, propterea quòd marinum leporem homini pestiferum necet. D

R AE S T A N T I A.

Quàm prodigo antiquorum luxu insignis fuerit Mullus & pretiosus, veterum testi-
monia demonstrant. Scribit enim Galenus [d] *Celebrari Mullum apud homines tanquam uoluptate ci-* [d] Clas.2.fol.29.A.
bos reliquos superantem; atque [e] *Ingenti pecunia prægrandes Mullos emi solere*. Et Iuuenalis ait, [f] *Mullum sex* [e] Clas.2.fol.29.C. [f] Satyr.4.
millibus emit Aequantem sanè paribus sestertia libris. Testatumque reliquit Seneca, [g] *Quatuor librarum* [g] Epist.96.
Mullum Tiberio Imperatori donatum quem in macellum cum deferri & venire iussisset, ab O-
ctauio quinque sestertijs emptum fuisse. Vbi animaduerti debet; quinqꝫ sestertia & quinqꝫ millia
sestertium pro eodem accipi, vt author est Budæus. Plinius verò prodidit, [i] *Ex reliqua* [i] Lib.9.cap.17.
nobilitate, & gratia maxima est & copia Mullis; & paulò infra, [k] *Asinius Celer è consularibus, hoc pisce prodi-* [k] Lib.9.cap.17.
gus, Caio Principe unum mercatus est octo millibus nummum. Verùm plus æquo à veteribus celebratos
E Mullos fuisse, facile declaratu est. Vti enim succi bonitate (vt infra dicemus) cum sa
xatilibus conferendi non sunt; sic nec Lupos, Vmbrinas, Coracinos, Auratas, Ru-
belliones, Sturiones, atque alios plerosque saporis gratia antecellunt; Vt Galenus
etiam testatur inquiens, [l] *mihi profectò nequaquam tantæ suauitatis esse uidetur, neque tantam corpori utilita-* [l] Clas.2.fol.29. B.
tem adferre, ut tantopere sit concupiscendum. Et licet hodie quoque inter nobiles ac sapidos pisces
iurè recenseantur, haud tamen omnes æquè magnifaciendi sunt. Aristotele authore
[m] *Vigent autumno*. Plinio teste, [n] *Lutarium ex ijs uilissimi generis appellant; Nec litoralibus gratia; laudatissimi* [m] Hist.lib.9. cap.37. [n] Lib.9.cap.17.
conchylium sapiunt. Vt verò prodidit Galenus [o] *Optimi Mulli fiunt, ut alij etiam omnes pisces, tum pro-* [o] Clas.2.fol.29.C.
pter mare purum, tum maximè propter alimenta; nam qui cancellos vorant, grauiter olent, [p] Clas.2.fol.29.C.
& insuaues sunt, ac ad coquendum difficiles, & mali succi. Hos porrò dignosces, si prius qui
dem quám vescare, ventrem reseraris; inter vescendum verò ipse statim gustus ac olfactus iu-
dicium adfert. Et vt idem testis est, [p] *Grandissimi haud adeo suaui sunt carne ut minores, nec ad coquendum fa*
F *cili, ut quæ dura admodum est*. Athenæus [q] *Barbatos aliis omnibus præfert*; Verùm imberbes nullos [q] Lib.7.fol.162.23.
reperiri, nos supra declarauimus. Et apud eundem [r] *Archestratus Milesios* [s] *Nausicrates uerò Co* [r] Lib.7.fol.162.28. [s] Lib.7.fol.162.31.
micus Exonicos Mullos celebrant. Galeni præterea testimonio, *Iecore & capite præstant Mulli*, inquit
enim [t] *Mulli hepar propter uoluptatem à gulosis summopere expetitur*; & paulò infra, *Gulosi caput quoque lau-* [t] Clas.2.fol.29.B
dant, ac secundas post iecur ferre prædicant; & rursus paulò deinceps; *Cum quendam aliquando interrogas-*
sem qui ingenti pecunia prægrandes Mullos emeret, quid esset quòd illos tantopere expete-
ret, respondit se primùm propter hepar illos tanti emisse, tum autem & propter caput.
Hodie uerò Romæ Hyeme, & suburbano mari capti maximè commendantur.

QVALEM CARNEM HABEAT ET VT NVTRIAT.

[u] Clas.2.fol.29.A

G Qualis Mulli caro sit, Galenus edocet inquiens, [u] *Mullus omnium fermè aliorum piscium car-*
nem habet durissimam & valde friabilem, quod idem significat ac si dicas, nihil in eo esse len-
toris, neque pinguedinis; nutrit certè cum probè confectus fuerit omnibus aliis piscibus copio
siùs, diximus autem antea quòd cibus durior, ac crassiorum partium, & (vt sic dicam) terre-
stris magis alimentum præstat copiosius quàm humidior ac mollior; præsertim quando præ-
ter id substantiam habeat corpori alendo accommodatam ac familiarem; quę substantia
voluptate iudicatur. Nā alimenta quę tota substantia ab alendis animalibus sunt aliena, ea aut
non prorsus, aut insuauiter manduntur; ex familiaribus verò quemadmodum humidius minus
nutrit, ita coquitur facilius ac distribuitur; ergo Mulli caro iucunda quidem est, vt quę alimen
tum est hominū naturę accōmodum; & quáquàm aliis piscibus sit durior, mandi tamen quoti
die potest, propterea quód friabilis est, & pinguedinis expers cum quadā acrimonia, nam pin-
guia & lenta cibaria statim vt sumpta fuerint celeriter implent & appetentiam euertunt.
H Et alibi, [x] *Deinceps autem Philotinus Scorpium Trachurum Mullū inter duræ carnis pisces connumerat*; Et rursus [x] Clas.2 fol.30.B.
alio loco, [y] *Mulli uerò, quòd dura eorum caro sit, & ab excrementis pura, non sunt ad saliendū accommodi*; & ad- [y] Clas.2.fol.31.H,
huc alibi [z] *Mullorum autem caro friabilis quidem est, non tamen mollis*. Et apud Athenæū [a] *Diocles in his quæ* [z] Clas.2.fol.43.H.
scripsit ad Clitarchum, Mullum duræ carnis esse testatur. [b] *Diphilus uerò Mulli carnē stomacho gratā esse, modice astringen* [a] Lib.7.fol.162.8. [b] Lib.8.fol.177.22.
tem, duram, corruptu difficilem, aluum sistentem, presertim assam; frixam verò grauem &
concoctu difficilem, atque quouis modo paratam sanguinem elicientem, testatum reliquit.
Et vt author est Galenus, [c] *In saxatilium piscium penuria Mullos substituere possumus*. Vt refert Athe [c] Clas.7.fol.51.F.
Sophron notatur. næus [d] *Sophron pingues Mullos dixit*; sed haud verè cum piuguedinis expertes sint vt supra Ga [d] Lib.7.fol.162.17.& xi.
leni testimonio declarauimus. [e] Dioscoride [f] & Plinio teste *Mullorum frequenti cibo aciem ocu-* [e] Lib.2, cap.21. [f] Lib.32.cap.7.
lorum hebetari apparet; scriptumque reliquit Plinius, [g] *Mullos in cibo inutiles neruis inuenio*. [g] Lib.32.cap.x.

VT CONDIATVR.

h Lib.9.cap.17. Vt author est Plinius [h] *M. Apicius ad omne luxus ingenium mirus, in sociorum garo (Nam ea quoque res cognomen inuenit) necari eos præcellens* (vel potius forsan siccari eos præcellenter) *putauit, atque è iecore eorum alecem excogitare prouocauit.* Plinij locus corrigitur. Quod Horatius quoque asserere videtur inquiens, [i] *Mullum in singula quem minuas pulmenta necesse est.* Vt verò testatur Galenus. [k] *Quidam Mulli hepar ne per se* quidem mandere volebant, sed garelęum, quod vocant, in vase cum pauxillo vini pręparantes, in eo viscus ipsum tantisper comminuunt, quoad totum simul ex ipso & humidis pręparatis, succus vnus fiat simplex ad sensum ac similaris, in quo Mulli carnes intinctas mandunt. Nos autem in craticula assos, atque modico oleo & arancij succo conspersos commēdamus. Fricti etiam & arancij succo irrorati edi solent. Quòd si frictos statim in acetum aromatibus & croco conditum immerseris, non sapidiores solùm, sed dies etiam aliquot duraturos reddes. Aelianus autem scribit, [l] *Ab iis qui artem culinæ callent, auditione* accepi, Mullorum ventres non rumpi, sed integros permanere, si prius eorum os coci osculentur. E

k Clas.2.fol.29. B.


l Lib.12.cap.22.

IN MEDICINIS VSVS.

Teste Dioscoride [m] *Mullus recens diuulsus imponitur contra morsus Draconis marini, Scorpionis, & Aranei.* Quod Galenus etiam citare videtur inquiens, [n] *Viuas etiam num hasce animantes apertas, &* protinus partibus affectis appositas prodesse scripserunt, nempe Draconem marinum in suum *ipsius ictum impositum, similiter & Triglam in Draconis.* Plinius verò prodidit, [o] *Percussis à pastinaca marina medetur Mullus.* Et alibi [p] *Contra omnia ueneficia ex mēstruis mulierum auxiliatur Mullus; item contra Pastinacam* & Scorpiones terrestres marinosq́ue, & Phalangia illitus sumptusúe in cibo; eiusdem recentis F *è capite cinis contra omnia uenena, priuatim contra fungos.* Et alio loco [q] *Vomitiones Mulli inueterati tritique in potione concitant.* Et rursus alibi [r] *Mullus in uino necatus, ijs qui inde biberint tedium uini affert.* Præterea apud Athenæum Terpsicles scripsit [s] *Si Mullus uiuus uino suffocetur, idque à uiro bibatur, impotens fiet ad rem uenercam, si uerò à muliere non concipiet.* Postremò vt Alexander Aphrodiseus testatum reliquit, [t] *Nemo* marinam torpedinem ignorat per funem corpori stuporem inferre, cui contrectatus Mullus contraria facultate resistit.

m Lib.2.cap.23.
n Clas.5.fol.85.H.
o Lib.32.cap.2.
p Lib.32.cap.5.
q Lib.32.cap.8.
r Lib.32.cap.x.
s Lib.7.fol.162.25.
t In præfat.lib.1. problem.

P. 97.



N. G. Ερυθρίνος.
L. Rubellio.
V. Frauolino.

HISTORIA NONAGESIMA
DE ERYTHRINO SIVE RVBELLIONE

NOMEN.



Hic noster nonagesimus septimus piscis, quē Romæ *Fragolino*, Venetiis *Arbore*, Massiliæ *Pageau*, in Hispania *Pagel*, in Gallia *un paget*, & Græci nostri tēporis *Letrinos* appellant; Ab Aristotele & Athenæo Ἐρύθρινος, ab Oppiano atq; Eustathio Ἐρυθῖνος, à Cyrenæis,[a](Clitarcho apud Athenæū authore) Αὔκνς, &([b] Zenodoto apud eūdē teste) Ἴκκης vocatur; quòd si Ἐρύθριχος etiā alicubi legatur in Aristotele, mēdosū esse locum, infra vbi de Erythrini sexu tractabitur, edocebimus; ab Ouidio etiam atque Plinio Erythinus appellatur;[c] Diciturque Ἐρυθῖνος (vt testatur Eustathius) *à rubro colore*; vnde [d] *Rubellio* quoq; à Plinio, atque à Theodoro Plinium sequuto vocatur;[e] à quo Theodoro *Ruber* etiam aliquando dicitur. Verùm cum Ἐρίτιμος etiā inter pisces numeretur, alium ab hoc nostro esse Eritimum, sciendum est;[f] quippe *quem Thrissæ Chalcidi & Sardinæ consimilem facit* Athenæus,[g] *Dorionque, Epenetus, & Callimachus inter eosdem eum connumerent*; Hunc autem nostrum Erythrinum esse, non solùm ex vulgari Græcorum nomenclatura (Letrinos enim, vt diximus, quasi Ἐρύθρινος ab eis dicitur) sed ex illis etiā, quæ Erythrino ex authoribus debentur; quippe quæ huic rectè respondeant, intelligi potest. Quamobrem Iouio assentiendum non est,[h] qui *hunc non Erythrinum, sed Phagrum esse contendit*; neque .n. rationes, quibus ipse vtitur, id vllo modo probant, vt dum illas procedente historia excutiemus, manifestum fiet; Neque etiam Romana, Massiliensis, Hispanáque vulgaris nomenclatura, hunc Phagrum esse conuincit; Nam cum Erythrinus Phagro (vt infra declarabimus) simillimus sit, eóque minor; iurè Romani *Fragolino*, Massilienses *Pageau*, Hispaníque *Pagel* (quasi paruum Phagrum dixerint) Erythrinum vocant.

[a] lib.7.f.150.30
[b] lib.7.fo.163.18
[c] fol.362.34.
[d] lib.32.cap.10.
[e] li.3.de gen.ani. cap.5.
[f] lib.7.fol.163, 43.& lib.8. fol.177.27.
[g] Athen. lib.7. fol.164.7.
[h] lib.de pisc.cap. 13.

Athenæi locus mēdosus A

Iouij lapsus. B

DESCRIPTIO.

Cum [i] Athenæus *Aristotelis* (& si apud Aristotelem id non legatur) *Speusippi in secundo de similibus, atque Dorionis in libro de piscibus testimonio, Phagrum, Erythrinum & Hepatum similes esse*, dicat; de Phagro & Erythrino id ita verum est, vt haud facile sit, hunc ab illo distinguere; Quibus tamē notis inter se distinguantur, in Phagri historia, quam in secundum librum nostrū (vt in historia vigesima nona diximus) necessariò reiecimus, explicaturi; hic Erythrinum describamus; Est igitur Erythrinus rostro acuto, sed nō valde extento; Ore paruo, mediocribus dentibus munito; Capite vtrinque compresso; Oculis magnis, foraminibus ante oculos patulis; Branchias vtrinque quaternas habet, & prope eas etiam vtrinque pinnam vnam lōgiusculam & cuspidatam; binásque alias & minores in ventre; In dorso vnica pinna longa & aculeis multis horrida erigitur; aliáque vna multò minor, & tenuioribus munita aculeis, ab ano, imo ventri hæret; Cauda in lunatam pinnam degenrat; Totius corporis figura Auratæ absimilis nō est; Mediocribus squamis tegitur; Ventre est subalbido, Capite argenteo, corpore reliquo rubescente; Quod Ouidius etiam testatur inquiens, [k] *Cæruleaque rubens Erythinus in unda*, & Eustathius, quippe qui loco supracitato, à rubro colore, Ἐρυθῖνον dici asserit. Nec obstat ab Oppiano [l] ξανθὸν, hoc est, *flauum*, ipsum vocari; nam rubeus eius color lāguidus adeo & dilutus ita est, vt non ineptè flauus etiam dici possit. Ventriculus est mediocris, appendices paucæ; Intestina magna; Hepar album, cui fellis commissa est vesica; Splen magnus & subniger; Vulua in omnibus (vt infra monstrabimus) reperitur; lapidésq; habet in capite; Palmi mensuram perrarò excedit.

[i] lib.7.fol.150. 29.fo.163.20
[k] In frag.fo.36. 26.
[l] lib.1.f,108.23.

Athenæus notatur. C D

LOCVS.

Rubellio marinus piscis est, vt [m] Aristoteles atque [n] Oppianus, *Eum inter marinos pisces recensentes*, testantur. Atque maris peculiaris, vt [o] Plinius, *Eum inter maris peculiares pisces connumerans*, asseuerat, & experientia comprobat; Nusquam enim (quod sciamus) in fluminibus reperitur; Et propterea cum apud Aristotelem habeatur, [p] *an in piscibus quoque fiat conceptus sine mare, non æquè apertum est, sed potissimū in fluuiatili genere Rubellionibus id accidere uisum est*; quibus quidē verbis Rubellionē

[m] hist.li.8.ca.13
[n] lib.1.f.108.23
[o] lib.32.cap.11.
[p] lib.3.de gener. anim.cap.1.

Aristotelis locus castigatur. fluuiatilem esse significatur) περὶ τοὺς ἐρυθρίνους, id est, *Rubellionibus*, mendosè in græco codice legi, ac περὶ τοὺς φοξίνους, hoc est *Phoxinis*, restitui debere, arbitramur; vt sequentibus Aristotelis verbis, intelligi potest; nam cum statim subdat, ἔνιοι γὰρ, hoc est, *Nonnulli enim* (& non, *etiam non nulli*, vt vertit Theodorus) *statim habere oua uidentur, ut de his in historijs scripsimus*; vti Rubelliones statim ortos oua habere nullibi, nedum in historiis scripsit; sic in ipsis historiis, id de Phoxinis testatum reliquit inquiens. [q] *consistunt itaque oua per coitum in his qui uenerem norunt, sed non coitu tantùm, uerùm etiam sine coitu; quod argumento constat nonnullorum fluuiatilium, nam Phoxini statim prope dixerim, cum nati sunt, & admodum parui adhuc, oua habent.* Eodem Aristotele authore, [r] *non litoralis, sed pelagius piscis est*; Oppianus verò, cui magis assentitur experientia, litoralem esse testatur, his versibus. [q] hist. lib. 6. ca. 13 [r] hist. lib. 8. ca. 13

[s] *Nonnulli flauam pisces in littore arenam* [s] lib. 1. fo. 108. 21
A *Mandunt, & terra quicquid nutritur in alta*
Hippi, Cocciges celeres, flauique Erythini
Et Cithare, Triglæque simul, tenues Melanuri
Trachuronque greges, Buglossæque & Platanuri,
Tæniaque imbellis, pictus quoque Mormylus, atque
Scombri, Cyprini, stabulantur litora iuxta.

SEXVS, ET PARTVS.

In Rubellionum genere mares non reperiri, sed omnes fœminæ esse creduntur, vt author est Aristoteles inquiens, [t] *In testaceis atque stirpibus, quòd pariat atque generet est, quod autē maris fungatur officio, deest; Sic etiam inter pisces genus passerum est, & Rubellionum, & Hiatularum; Oua enim in ijs omnibus reperiuntur*; Et alio loco, [u] *Sexu autem pisces distingui apertum est, pars enim piscium maxima consumitur mare & fœmina, de Rubellione, & Hiatula ambigitur, omnes enim grauidæ capiuntur.* Et rursus alibi, [x] *Nunc uerò partim conceptacula habent seminis genitalis, partim vuluas, atque in omnibus* (excepto Rubro, & Hiatula) *hoc discrimen est, ut aut conceptacula seminis prolifici habeant, aut uuluas*; Quæ sic transcripsit Plinius, [y] *In quodam genere omnino non sunt mares, sicut in Erythinis & Channis, omnes enim ouis grauidæ capiuntur*, Et alibi his verbis, [z] *Erythini & Channæ uuluas habere traduntur.* Qui quidem postremus locus (vt historia octogesima sexta declarauimus) mancus censeri, sicque ex Aristotelis cēsura suppleri debet; Omnes Erythini & Channæ vuluas habere traduntur. Parit autem Erythinus ineunte æstate, quo quidem tempore verè omnes grauidæ capiuntur; Neque enim arbitrandum est, *omni anni tempore, omnes grauidas capi*, vt falsò credidit [a] Iouius, quando hoc neque à veteribus traditum sit, neque obseruationi respondeat. [t] hist. li. 4. cap. 11 B [u] hist. lib. 6. ca. 13 [x] lib. 3. de gener. anima. cap 5. [y] lib. 9. ca. 16. Plinij locus corrigitur. [z] lib. 9. cap. 52. Iouij error [a] li. de pisc. ca. 13 C

NATVRA ET MORES.


Athenæus notatur. Carniuorus piscis est, nec pisciculis solùm, sed cancellis etiā, atque aliis minoribus crustatis pascitur, gregalis est, & ut tradit Athenæus [b] *Aristotelis testimonio* (& si id apud Aristotelem non legerim) *ex piscium est numero, qui uagabundi non sunt.* [b] lib. 7. fo. 163. 53


VT SAPIAT, VT NVTRIAT, ET VT CONDIATVR.

Erythrinus, & si à ueteribus celebrari non reperiatur, piscis tamen est suauissimus, atque vbique nobilissimus habitus; Carnem habet satis teneram atque friabilem, & propterea non solùm sapidam, sed concoctu etiam facilem, salubrem, atque multi nutrimenti. Et licet omni tempore iucundus sit, hyeme tamen præstantior creditur, & maximè ganeorū iudicio, si tres habuerit cōditiones, vt sit scilicet (vt eorū verbis vtar) fresco fritto & freddo, hoc est recens frixus & frigidus, ita tamē vt arancii mali succo ac modico pipere cōdiatur; Assus etiā siue calidus comedatur; siue aceto, atque aromatibus conspersus, dies aliquot asseruetur, commendari solet. D

IN MEDICINIS VSVS.

Vt author est Plinius [c] *Erythini in cibo sumpti sistunt aluum*, & vt alibi tradidit; [d] *Mullus in uino necatus, uel piscis Rubellio, uel anguillæ duæ, ita una marina in uino putrefacta, ijs qui inde biberint, tædium uini affert.* [c] lib. 32. cap. 9 [d] lib. 32. cap. 10.


P. 98.
N G. Σκόμβρος
L. Scombrus
V. Macarello


P. 99.
N G. Σαῦρος
L. Saurus
V. P. Tarantola

HISTORIA NONAGESIMA PRIMA
DE SCOMBRO
NOMEN.



ISCIS Noster nonagesimus octauus, quem Romæ *Macarello*, Galli *Maquereau*, Angli *Macrel*, Veneti *Scombro*, Neapolitani *Lacerto*, Massilienses *Auriol*, & Hispani *Cauallo* appellāt; græcè σκόμβρος, latinè verò Scombrus & Scōber vocatur. Iouius autē [a] *Scombrum Lacertum quoque appellari* dicit; P. verò Gyllius, [b] *Scombrum ex Lacertorum genere esse* arbitratur. Verùm sicuti Iouij repudianda est opinio, cum nullum latinorum Scombrum Lacertum vocasse, probari possit; cumq; potius *Scombri & Lacerti ceu diuersorum piscium* non solùm [c] diuersis locis Martialis, sed etiam [d] vno & eodem Columella (vt infra citabimus) *mentionem fecerint*; sic haud indubitanter assentiendum est Gyllio. Nam cum solus Plinius (quòd sciamus) inquiēs [e] *Sunt Lacertorum genera*, non speciem vnam, sed genus piscium Lacertum fecerit; sicuti in suo piscium catalogo pisces numerans; [f] *Colias, siue Parianus, siue Sexitanus à patria Bætica, Lacertorum minima* (vel vt quidam corrigit, *minima genera*) dixit; ita non simpliciter [g] *Scomber*, sed Scomber Lacertorum generis dixisset, si ex Lacertorum fuisset genere. Adde quòd cùm Colias (vt præcitato loco testatur Plinius) Lacertorum minimū sit genus; Scomber, quippe qui (vt infra mōstrabimus) Colia minor est, ex Lacertorum genere esse non potest. Nec propterea quòd κολίου, quem latini Lacertum (vt sequente declarabitur historia) dixerunt, similis sit; ex Lacertorum genere censeri debet.

a Lib de pisci. cap. 19.
b Lib. de nomi. Pisci. cap. 14.
c Li.12.21.lib.13.40.
d Lib. 8. cap. 17.
e Lib. 32. cap. xi.
f Lib. 32. cap. xi.
g Lib. 32. cap xi.

A Iouij error.

P. Gyllius notatur.

B

DESCRIPTIO.

Etsi Scomber Pelamis & Colias (quem veteres, vt diximus, Lacertum vocarūt; licet Theodorus Monedulam appellare maluerit) similes adeo sint; vt eorum triū ceu interse admodum consimilium pisciū vno atq; eodem loco iure meminerint nōnulli (Aristoteles nanq; de piscium peregrinatione pertractans, [h] *Postquàm de Thunnis & Pelamidibus loquutus fuit, de Monedulis atque Scombris egit*; & rursus alibi gegales pisces numerans, quāplurimis huiusmodi recēsitis, subdidit, [i] *Limariæ, Scombri, Monedulæ*; Columella verò scripsit, [k] *itaque præberi conuenit tabētes Haleculas, vel quicquid intestini Pelamis aut Lacertus gerit, tum Scombri uentriculum*) multò tamen magis interse similes sunt Scomber & Colias. Ita vt ferè vbiq; græcum vulgus nunc Scombrū appellare κόλιον soleat; difficillimū q; sit eos internoscere. Et propterea nos Scombrum describentes, ipsum à Colia distinguere nitemur; eas scilicet notas singulas, quibus internoscuntur, explicātes. Sic enim non solùm exactior Scombri reddetur cognitio, sed Coliæ etiam tum ex his quæ in hac, tum ex illis quæ in sequente dicentur historia, sufficiens haberi poterit notitia. Scomber igitur rostrum acutum habet; os valde hians, paruis dentibus denticulatū; caput rotundum; oculos magnos & flauos; branchias vtrinq; quaternas; et binas etiam vtrinq; pinnas, duas ad branchias, & duas in ventre. Præter quas in primo dorso alia vna aculeis nonnullis horrida erigitur; alteraq; vna paulò minor, & nullis ferè aculeis munita post dorsum medium enascitur. Et post hanc pleræq; aliæ multò minores pinnullæ nullo aculeo horridæ, atq; æquis distinctæ interuallis, ad caudam vsq; dorsum reliquum ornāt & vestiunt. Ventri etiam imo statim ab ano, vna alia nullis innixa aculeis hæret; quā aliæ minores pinnullæ, illis, quibus dorsum vltimū ornari diximus; numero, magnitudine, figura, ac æqualis interualli distinctione simillimæ subsequūtur, atq; ad caudā vsq; ventrem reliquum muniūt. Cauda acutior facta in lunatam pinnam degenerat. Et cum hæc omnia Scombro cum Colia conueniant; totius tamē corporis figura primùm differunt. Nam & si vtriusq; teres, spissum, & carnosum sit corpus, illud tamē Colias paulò latius habet quàm Scomber. Et cum hic squamis prorsus careat, squamis nōnullis tenuibus atq; minutis tegi videtur ille. Nec obijci debet apud Athenæum legi, [l] *Squamatorum genus, ueluti Thynnorum Scombrorum Thynnarum congrorum & consimilium gregale est*; nam (vt historia etiam trigesima sexta diximus) non Squama

h Hist.lib.8. cap. 13.
i Hist. lib. 9. cap. 2.
k Lib. 8. cap. 17.
l Lib. 8. fol. 178. x.

C

D

Athenæi locus corrigitur.

torum corrigi oportet. Præterea cum etiam vtriusque venter albus, dorsum verò
subplumbeum sit; Scombri ([m] *Cui teste Plinio, est in aqua sulphureus color, extra qui cætaris*) vn- m Lib.9.cap.15.
dantibus atque cæruleis notis dorsum insignitur; Coliæ verò obliquis atque liuenti-
bus lineis latera notãtur. Vnde ab Aristotele (vt citat Athenæus) [n] *κολίας σκολιόγραπτος* n Lib.9.fol.144.8.
(vel, vt corrigi posse videtur Hermolao, *κοιλιόγραπτος*) id est, *aluo picturas gerens* dicitur.
Postremò magnitudine quoque distinguntur; teste nanque apud Athenæum Hicesio
(vt infra citabimus) [o] *Scomber est minor quàm Colias.* Vnde cum Scomber vix vnquam ad cu- o Lib.7.fol.160.15.
biti excrescat magnitudinem; Colias multò magis augetur; quippe qui Athenæo au-
thore, [p] *Sardæ magnitudine sit æqualis*; Sarda verò vt testis est Plinius [q] *Pelamis longa sit.* Inte- p Lib.3.fol.61.4. q Lib.32.cap.xi.
E raneis conueniunt; ventriculum habent mediocrem; appendices plurimas; inte-
stina neque magna neque multa; hepar pallidum, ex quo bilis pendet vesica; lie-
nem subatrum.

LOCVS.

Marinus piscis est Scombrus; & vt author est Plinius, [r] *maris peculiaris*; in dulci enim a- r Lib.32.cap.xi.
qua nullibi (quòd sciamus) reperitur. In omni ferè mari capi solet. Circa arenosa li-
tora victitat, vt Oppianus testatur inquiens. s Lib.1.fol.108.21.

> [s] Nonnulli flauam pisces in litore arenam
> Mandunt & terra quicquid nutritur in alta,
> Hippi, Cocciges celeres, flauique Erythini
> Et Cithare, Triglæque simul, tenues Melanuri,
> Trachuronque greges, Buglossæque, & Platanuri
> Teniaque imbellis, pictus quoque Mormylus atque
> Scombri & Cyprini, stabulantur littora iuxta.

Degit etiam & circa imos maris scopulos; vt idem Oppianus author est his versibus,
F t Lib.1.fol.109.2.

> [t] Ast imos scopulos, fundo quos Ostrea multo
> Cingit, queis thalami curui, queis lustra profunda
> Osophagi, Scombri, pugnax Murena frequentant.

Vt autem prodidit Aristoteles, [u] *Pisces alij ex ponto aut in pontum tranant, alij per hyemem ex alto in lito-* u Hist.lib.8.cap.12.
ra teporis gratia veniunt; contra æstate ex litore in altum vitantes æstum discedunt. Sem-
perque qui imbecilliores sunt, prius utrauis ratione discedunt, ut Scombri antequam Thunni. Et vt idem alibi tradi-
dit, [x] *Sæpe etiam flatu austrino uehementius occursante, fit ut cum Monedulis & Scombris exeant è ponto Thunni in ma-* x Hist.lib.8.cap.13.
re. Quòd sic transcripsisse videtur Plinius [y] *Cum Thynnis Amiæ, & Pelamides in pontum ad dul-* y Lib.9.cap.15.
ciora pabula intrant gregatim cum suis quæque ducibus, & primi omnium Scombri.

NATVRA, ET MORES.

Authore Aristotele, [z] *Coeunt Thunni & Scombri mense februario post idus, pariunt Iunio ante nonas. Edunt* z Hist. lib.6. cap.17
sua oua condita quasi vtriculo; incrementum autem partus præcipua sumit celeritate. [a] *Co-* a Hist.lib.5.cap.9.
G *lias uerò*, vt idem tradidit, *ex piscium est numero qui semel anno pariunt, & fusanei appellantur.* Et (quod
supra etiam citauimus) testimonio Aristotelis [b] *uterque*, Athenæi verò [c] *Scombrus, gregalis pi-* b Hist.lib.9.cap.2 c Lib.8.fol.178.x.
scis est. Vt autẽ prodidit Aelianus, [d] *In mari Ionio propè Epidamnum insula est, quæ Athenas appelletur,* d Lib.12.cap.46.
eam piscatores incolunt, & lacus est vbi Scombrorũ, qui ad piscatorum consuetudinem assue-
uerunt, & mansuefacti sunt, greges aluntur. Iis sanè cibaria edenda piscatores idcirco obii-
ciunt, quòd cum iisdem fœdus quoddam sanctum habent, atque adeo firma pace deuinciuntur.
Nam hoc piscium genus ab omni captura tum liberum est, atque ad errãdum sine vlla exceptio-
ne solutum; tum verò eatenus ætate procedit, vt viuat ibidem ad summam senectutem. Nec ta-
men ætatis tempus ignauiter traducit, neque in suos altores ingratum est. Etenim de piscatori-
bus pastum cum mane acceperit, piscationem capessit; vt se nutricantibus præmium pro nutri-
mento persoluat. Quare ex portu soluens ad feros Scombros gentiles suos natare contẽdit,
ac simul vt ad eos peruenit, cum ipsis ita continuò tanquam cum aliqua phalange suorum popu-
H larium errat; & nimirum cum eiusdẽ generis sint, non inter se fugiunt, sed simul natant. Post
autem cicures circum feros concursantes in orbem consistunt; & suorum corporum obstructio-
ne eos fuga exituque intercludentes, suorum nutritiorũ (vt pro iis quibus expleti cibis fuerint,
illos remunerentur) aduentum acerrimè tandiu expectant, dum piscatores eò profecti, captorũ
permultas cædes effecerint. Deinde cicures properantes ad portum regrediuntur, atque ibidẽ
intra cauernas abditi, á piscatoribus cibaria expectant, quæ quidem ipsa eis quotidie largiuntur,
si ipsos ad piscatum adiutores atque amicos fidos habere uelint. Oppianus verò de Scombrorum captura
sic cecinit. e Lib.3.fol.141.39.

> [e] Cum videant alios Scombri curuamine retis
> Clausos, affectant retis colludere in aluo,
> Et lini penetrare sinus, curuosque recessus.
> Sunt similes pueris, rutilas qui lumine flammas
> Ardentis cernunt ignis, radiosque nitentes,
> Qui septo retis clausi per retia rara
> Ridentes tractare volunt, dextramque tenellam
> In flammam tendunt; sed cum torquentur ab igne,
> Tunc demum norunt infestæ incendia flammæ.
> Sic illi cupiunt fraudem, datur vnde regressus
> Nullus, & hostili miseri satiantur amore.

Exiliunt, illos cohibent angusta plagarum,
Impliciti lino fato moriuntur iniquo.
Innumeros Scombros spectabis retia circum
Affixos sicuti clauos, hi lina subire
Contendunt, fatumque petunt; hi rete reuincti
Exiliunt, madidasque plagas euadere certant

Aristoteles cum nihil de Scombrorum captura sit commentus, de captura Monedu-
f Hist. lib. 8. cap. 13. larum hoc testatum reliquit [f] *Monedulæ subeuntes pontum capiuntur, exeuntes autem minus.*

VT NVTRIAT, ET VT SAPIAT.

A

Veteres saporis excellétia Scōbros non commēdarūt, quinimo vt author est Plinius
g Lib. 31. cap. 8. [g] Scombros & Mauritania Bæticaque & Carteia ex Oceano intrantes capiunt, ad nihil aliud
h In Captiuis. *utiles quàm ad garum conficiendum.* Plautus verò scripsit [h] *Pernam, atque Ophthalmiam, Horæum, Scombrum & Trigona, & cetum, & mollem caseum.* Carnem enim duriusculā, exuccamque habent. Quibusdam tamen locis, Romæ scilicet, atque Venetijs verno tempore ita pinguescunt, tenerique adeo fiunt, vt iurè inter delicatiores pisces eo tempore connumerentur.
i Lib. 3. fol. 61. 4. Vt autem Athenæus prodidit; [i] *Scomber leuiter & cito ex uentriculo descendit, Colias uerò lentior mordacior* deterioris succi, & plurimùm nutriens est; præstantior autem Amyclanus, & Hispanus, qui
k Lib. 7. fol. 160. 15. *sexitanus uocatur, tenuior nāque est & suauior.* Et vt apud eundē legimus, [K] *Hicesius ait Scombros minores* esse magnitudine, magisque nutrientes quàm Coliæ, & melioris succi, non tamen excretu *faciliores.* Quorum quidem testimonijs, Scombrum succi etiam bonitate à Colia differ- B
l Hist. lib. 8. cap. 13. re, manifestissimum est. De coliæ autem præstantia sic scripsit Aristoteles, [l] *Monedulæ* optimæ in Propontide sunt ante quàm pariant.

VT CONDIATVR, ET IN MEDICINIS VSVS.

Recentes Scombri in craticula assi comeduntur. Quod si eo condimēti genere, quod vulgò *amarinare* dicūt, cuius parādi modū in historia nostra vigesima tertia edocuimus, condiantur; vti sapidiores fiunt, ita dies etiam aliquot incorrupti seruari poterūt. Saliri etiam ætate nostra solent; saliunturque haud contemnendo prouentu tum in Propontide, tum in vniuersa ferè Græcia. Quòd antiquitus etiam saliri consueue- C
m Lib. 9. cap. 15. rint, Plinius innuit dicens; [m] *Hispaniæ cetarias Scombri replent Thynnis non commeantibus.* Atqꝫ id ante
n Lib. 8. cap. 17. eū explicatiùs testatus est Columella inquiens, [n] *Itaque præberi conuenit salibus excisam Chalcidem,* Scombri, Charchariæque & Elacatæ ventriculos, & ne per singula omnia enumerem, salsamē*torum omnium purgamenta, quæ cetariorum officinis euerruntur.* Conficiebant veteres ex hoc pisce
o Lib. 3. fol. 151. Garum; vt testis est Strabo his verbis; [o] *Dehinc Herculis insula est, ad Carthaginem spectans, quam* à Scombrorum multitudine captorum Scombraoriam vocant, ex quibus Garum conditur, & Martialis hisce.

p Lib. 13. cap. 102. [p] Expirantis adhuc Scombri de sanguine primo
Accipe fæcosum munera chara Garum.


q Lib. 31. cap. 7. atque Plinius istis, [q] *Aliud etiamnum liquoris exquisiti genus, quod Garon uocauere, intestinis piscium cæterisq;* D
quæ abiicienda essent, sale maceratis, vt sit illa putrescentium sanies; hoc olim cōficiebatur ex
r Lib. 31. cap. 8. *pisce, quem Græci garon uocabant;* & paulò post; [r] *Nunc è Scombro pisce laudatissimum in Carthaginis spartariæ* cetariis sociorum id appellatur, singulis millibus nummum permutantibus, congios penè binos. Nec liquor vllus penè præter vnguenta, maiore in pretio esse cæpit nobilitatis etiam *gentibus.* Quanti autē pretij apud Veteres garum fuerit, Martialis etiā testatur inquiēs.

s Lib. 13. 82. [s] Nobile nunc sitio luxuriosa Garum.

t Lib. 32. cap. x. Vt demum author est Plinius [t] *Delphini adipe linamenta accensa excitant uuluæ strangulatu oppressas; item*
u Lib. 12. cap. 46. *Scombri in aceto putrefacti.* Vt verò testatum reliquit Aelianus, [u] *Si hominibus ex iecore laborantibus,* atque ex arcuato morbo ægrotantibus, Scombrum edendum dederis, quemadmodum rei piscatoriæ beneperiti docent, ad sanitatem redibunt.

HISTORIA NONAGESIMA SECVNDA DE SAVRO.

NOMEN.



HIC Nonagesimus nonus piscis noster, quem Romæ *Pesce tarantola* vocant, græcè non solum Σαῦρος, sed à [a] Speusippo σαυρὶς etiam appellatur, latino verò nomine destituitur; propterea (E) quòd veterum latinorum nemo eius meminit vnquam. Nec si terrestrem σαῦρον, terrestrē lacertum dixere latini, σαῦρον etiā piscem, lacertum piscem interpretati sunt; vt arbitratus est Theodorus, qui σαῦρον in Aristotelis versione *Lacertum* vertit. (Theodori lapsus.) Nam etsi Plinius, Martialis, Columella, atq; Cornelius Celsus Lacerti piscis meminerunt; nemo tamen eorum Lacerti nomine σαῦρον appellauit. Plinius nanque inquiens, [b] *Colias siue Parianus, siue Sexitanus à patria Bætica, Lacertorū minima;* & paulò infra, [c] *Sunt Lacertorum genera;* non piscis speciem, sed genus (vt superiore etiam diximus historia) Lacertum fecit; cuius speciem vnam minorem scilicet, Coliam statuit. Quod autem σαῦρος neq; pro Lacertorum genere accipi possit, quando nemo vnquam græcorū genus fecerit (F) σαῦρον; neq; Colias censeri debeat, cum Saurus (vt infra monstrabimus) Sphyrenæ & Acui similis sit, quibus prorsus absimilis est Colias; cumque Aristoteles [d] *utriusque ceu diuersorum piscium eodem loco* meminerit, manifestum est. Martialis verò dicens, [e] *Quum sexitani fertur tibi cauda Lacerti;* Sexitanum Lacertum non σαῦρον, sed κολίαν vocauit; qui tum à Plinio præcitato loco, tum ab [f] Athenæo sexitanus etiam appellatur. Præterea Columellam quoq; scribentem, [g] *Preberi conuenit tabentes Haleculas, uel quicquid intestini Pelamis, aut Lacertus gerit, tum Scombri uentriculum;* Coliam, & non Saurum vocasse Lacertum, ex eò manifestissimum fit; quòd cum Pelamidis, Lacerti, & Scombri ceu consimilium (instar aliorum scriptorum, vt superiore notauimus historia) vnà meminerit; non σαῦρον, quippe qui Pelamidi & Scombro similis non est, sed κολίαν illis simillimum, Lacertum vo- (G) cauit. Postremò cum [h] *Inter grauissimi alimenti pisces Lacertum* recenseat Celsus, *ex eoque salsamentum fieri* testetur; is non σαῦρος (quippe qui [i] Galeno teste, *carnem habet duritie mollitieque mediocrem*, à nulloque authore saliri solitus dicitur) sed colias erit, vt qui & duræ carnis est, & saliri solet. Cum itaq; veteres latini non σαῦρον, sed κολίαν (quem tamen perperā in Aristotelis versione Monedulā vertit Theodorus) (Theodori lapsus.) ob similitudinē quam habet cum musculis nostri corporis, qui Lacerti etiam dicuntur, Lacertum interpretati sint; ob idque non liceat nobis σαῦρον etiam Lacertum vocare; græco mutuati vocabulo *Saurum* eum appellabimus. Hunc autem piscem nostrum græcorum Saurum esse, tum ex eò conijcitur, quòd ad terrestris Lacerti (quem σαῦρον græci vocant) similitudinem (vnde piscem quoque σαῦρον vocari credendum est) propiùs quàm quiuis alius piscis accedat, vti ex sequēte eius descriptione manifestissimè patebit; tum quòd ea omnia quæ (H) Sauro Veteres tribuunt, huic nostro perbellè conueniant, vt procedente historia manifestabitur. Nec est vt decimum quintum piscem nostrum σαῦρον esse, quispiam opinetur; propterea quòd Romæ *Suaro*, & Massiliæ *Suuereo* vocetur; quando (vti decima tertia historia exposuimus) Trachurus sit ille & non Saurus. Nec etiam credendum est (vt quidam arbitrantur) τράχουρον & σαῦρον vnum & eundem piscem esse; cum Oppianus dicens, [k] τρηχούρων τ' ἀγέλαι, id est, *Trachurorumque greges*, & paulò post, [l] σαῦροί τε σκέπανοί τε, hoc est, *Saurique Scepanique;* eos diuersos pisces, atque diuersis in locis degentes manifestissimè faciat. Aduertendum præterea, [m] *Turdum etiam Pancrate authore, σαῦρον à nonnullis appellari*, vt octogesima quoque prima historia monstrauimus.

[a] Athen. lib. 7. fol. 161. 14.
[b] Lib. 32. cap. xi.
[c] Lib. 32. cap. xi.
[d] Hist. lib. 9 cap. 2.
[e] Lib. 7.
[f] Lib. 3. fol. 61. 6.
[g] Lib. 8 cap. 17.
[h] Lib. 2 cap. 18.
[i] Clas. 2. fol 29. H.
[k] Lib. i. fol. 5. 45. græcè.
[l] ibidem. 52.
[m] Athe. Lib. 7. fol. 152. 37.

DESCRIPTIO.

Saurus caput habet tenue & rotũdum; Rostrum oblõgum & acutum; Os magnũ plurimis atq; exiguis dẽtibus munitum; Oculos mediocres rotundos & aureos, Branchias vtrinque quaternas. Prope quas binæ & paruæ sunt pinnæ, vtrinq; scilicet vna; aliæq; duæ & maiores in vẽtre; In medio dorso vna haud magna quinis senisúe aculeis horrida erigitur; Aliáq; vna multò minor in eodem dorso caudæ vicina reperitur; è cuius regione ab ano, qui in hoc pisce caudæ satis proximus est, alia paulò maior imo ventri hæret. Cauda in longam & lunatam pinnam degenerat. Corpus oblõgũ est & rotundum. Vnde non ineptè [n] *à Speusippo in secundo similium, Sphyrena, Acus, & Saurus similes esse dicuntur*. Sphirēæ enim satis similis est hic noster Saurus; similis & Acui, si Acus illam rostri dempseris tenuitatem. Ventre est subalbido, lateribus luteis, dorso ex viridi nigricante, maculis quamplurimis virẽtibus, rubeis, cœruleis, luteis, atq; nigricantibus dorsum, caput, & latera, nonnullorum serpentum instar, variè admodum pingentibus. Quamobrem non solùm ore, rostro, capite, atq; reliqua corporis figura, sed colorum etiam varietate proximè adeò ad terrestris Lacerti accedit similitudinem, vt ei simillimus, si pedes exceperis, videri possit. Ventriculum habet oblongũ & satis magnum; appendices non multas; intestina mediocria; hepar bifidum & subrubeum; lienem subatrum. Pedali mensura maiorem adhuc non vidimus. Ab hoc nostro Sauro aliquantulũ diuersus est, qui in rubro mari reperitur; quem his verbis describit Aelianus, [o] *Rubri maris Saurus* (siue vt vertit interpres lacertus) *est, cuius magnitudo ei qui nascitur apud nos ęqualis est, virgatus spectatur, lineis nimirum laureolis circundatur à branchiis ad caudam pertinentibus; quas media argentea distinguunt; ore est hiante, maxilla inferior eminet in superiorem, virides oculos habet, quos aureo fulgore palpebrę ambiunt.*

A B

[n] Athen. lib. 7. fol. 161. 14.

[o] Lib. xi. cap. 49.

LOCVS.

Marinus piscis est Saurus, nec vllibi (quòd sciamus) ad flumina adnatat; neque etiam omnibus aut plerisque maris locis, sed in quibusdam duntaxat reperiri solet; cænosoque loco delectatur, vt Oppianus his versibus asserit.

[p] Ast alii cęno turpi, fędaque palude
Pascuntur, Batidesque, Boum genus vsque proteruum,
Difficilis Trygon, Torpedo nomine vero,
Et Clarię, Psettę, Scepani, Tryglis, Asellus,
Atque Lacertorum gentes, quę putrida pascunt,
Inter cęnosas voluentes corpora sordes.

Vbi animaduerti debet σαῦροι, Lacertorum gentes verti à Lippio, Theodori abusum sequuto.

C

[p] Lib. 1. fol. 108. 28.

Lippius abusũ Theo sequitur.

NATVRA ET MORES.

Carne vescitur, neq; putridis abstinet, vt Oppianus etiam præcitato loco author est. Ab Aristotele [q] *inter gregales pisces* connumeratur. Verùm cum in nostro suburbano mari singuli semper capiantur; soliuagus potiùs quàm gregalis videri potest; nisi dixerimus, non propterea quòd solitarij, sed quia captu sint difficiles, eos singulares capi solere; quod eò maximè verisimile fit, quia non solùm singuli, sed rarissimè capi videntur; vix enim annis singulis in nostro piscatorio foro bis denos captos videmus.

D

[q] Hist. lib. 9. cap. 2.

VT SAPIAT, VT NVTRIAT, ET VT CONDIATVR.

Apud Galenum, [r] *Philotimus in tertio de alimentis piscibus carne molli præditis Saurum* (siue vt vertit interpres Lacertum) *adnumerauit*. Galenus verò [s] *Eundem medium quodammodo inter pisces carnis mollis ac duræ* statuit. Succi etiã bonitatẽ, atq; concoctionis facilitatẽ mediocrẽ habet. Et licet saporis suauitate cũ sapidissimis piscibus cõferri nõ possit, haud eũ tamẽ aspernari debemus; cum haud iniucundè sapiat. [t] Assum & frixum eum comedere solemus; apud Athenæũ verò, *Alexis exemptis branchijs, cæsis spinis, lotum atque incisum & patefactum lasere conspergendum* caseoque sale & origano implendum esse, edocet.

[r] Clas. 2. fol. 29. E.

[s] Clas. 2. fol. 29. H.

[t] Lib. 7. fol. 160. 50.

RELIQVVM

HISTORIAE TRIGESIMAE STVRIONI DICATAE.

Cum ſcriptores omnes qui de Glanide loquuntur, eum aut validiſſimis munitum
dentibus, aut ferocem & ſæuum faciant; eundemque marem ſolum omnium ædita
E cuſtodire oua ſæpe & quinquagenis diebus, ne abſumantur ab alijs; & caniculæ exor
tu ſyderari, & alias fulgore ſopiri teſtentur; nemo vnquam horum vllum Siluro tri-
buit. Et pari etiam ratione cum omnes ferè authores qui de Siluro agunt, eum ſaliri
conſueuiſſe aſſeuerent, de Glanide id nemo teſtatum relinquit. Quibus ſic declara-
tis, nihil eorum eſſe, quæ Siluro iurè debentur, quod Sturioni non quadret, manife-
ſtiſſimum eſt. Nam quod ad Ariſtotelem attinet, validos habere dentes; quibus ha
mum frangat; Damnari cum fert oua, fœminam præſtantiorem eſſe, canis exortu ſy
derari, oua quinquaginta diebus marem cuſtodire, & fluuiatilem tantùm eſſe, non
de Siluro (cuius vt diximus nuſquam meminit) ſed de Glanide teſtatum reliquit ipſe;
Quem perperam Theodorus Plinium ſequutus Silurum interpretatus eſt; Quod ve *Theodori lapſus.*
F rò ad Plinium ſpectat, ipſe quoque γλανίδα Silurum vocans, ferocẽ maleficumq; Silu-
rũ fecit. Nec ſi Plinius (vt nos quoqꝫ fatemur) modò γλανίδα, modò verò σιλοῦρον, Silu
rum nuncupare ſolitus eſt; cũ inquit, [q] *Silurus graſſatur ubicunq; eſt omne animal appetens equos natan-* [q] Lib.9.cap.15.
tes ſæpe demergẽs præcipuè in Rheno *Germaniæ amne*, σιλοῦρον & non γλανίδα ab eo Silurum vocari dicẽ
dum eſt; propterea quod ex Ariſtotele id Glanidi aſcribente, hoc non tranſcripſerit;
Nam cum nullus antiquorum ſæuum & ferocem Silurum eſſe teſtatur, Glanis verò [r] Hiſt.lib.9.cap.27.
(Ariſtotelis teſtimonio) [r] *duriſſimis ſuis dentibus hamũ rumpere; &* (vt paulò infra mõſtrabimus)
tum in Rheno tum inpleriſqꝫ alijs fluminibus homines deuorare ſoleat; γλανίδα po-
tius quàm σιλοῦρον (vt ſeptuageſima etiam tertia declarauimus hiſtoria) Silurum ab eo
præcitato loco appellari arbitrandum eſt. Quod Glanides autem in Rheno & in nõ
G nullis alijs fluminibus hominum deuoratores ſint, teſtis eſt Pauſanias, dicens; [s] *Feras in* [s] Lib.4.
perniciem hominum non ferunt grȩcorum amnes, quemadmodum Indus & Nilus, prȩterea
Rhenus & Iſtrus, Euphrates & Phaſis; Hi enim feras hominum deuorantes, ſimiles Glanidi-
bus in Hermo & Mȩandro verſantibus, procreant, excepto colore nigriore & robore, nam
his Glanides inferiores ſunt; Verùm cum verba hæc nihil minus probare videantur, quàm fe
ros & hominũ vorantes Glanides in Rheno reperiri, vti nos mõſtrare contendimus,
quippe qui illud idem quod priùs de Glanide ſcripſerat Plinius, à Pauſania etiam con
firmari aſſeueramus; Quo pacto id certè ex illis probetur, innoteſcet, ſi quid ſibi ve-
lint hæc Pauſaniæ verba, haud omnibus (mea quidem ſententia) probè nota, diligen-
tius excutiemus. Cum igitur Pauſanias inquiat, Rhenum, Iſtrũ, Euphratem, & Pha
ſim feras hominum voratrices procreare, Glanidibus in Hermo & Mæandro verſanti
H bus ſimiles, excepto colore nigriore & robore, nam robuſtiores ſunt quàm Glani-
des, haud intelligendum eſt (vt falsò opinantur nonnulli) feras illas à Glanidibus ſpe
cie diſtinctas eſſe, quando ſolo colore nigriore, ac robore diſtingui (vti in hiſtoria etiã
ſeptuageſima tertia declarauimus) ſpecificam diſtinctionem non faciat; & maximè
cum non ſimpliciter à Glanidibus, ſed ab illis ſolùm, qui in Hermo & Mæandro ver-
ſantur, colore nigriore & robore illas differre teſtetur; Accedatque ad hoc, quod cũ
Athenæo authore (vt ſupra monſtrauimus) in Iſtro etiam Glanis reperiatur, ſi feræ il-
læ à Glanidibus ſpecie differrent, eas Glanidibus aſſimilaturus Pauſanias, haud ad

Hermi & Mæandri Glanides confugisset; sed illis, qui in eodem Istro reperiuntur assimilasset. Nihil igitur aliud sæuæ illæ Rheni, Istri, Euphratris, & Phasis Pausaniæ feræ sunt quàm Glanides, Hermi & Mæandri Glanidibus nigriores & robustiores; & ob id forsan feræ potius quàm Glanidis nomine appellatæ à Pausania. Quam ob rem vti Pausanias Glanides Euphratris, Phasis, Rheni, & Istri, feras homines deuorantes; ita Plinius Glanidem Rheni omne animal appetentem, & equos natãtes sæpe demergentem, Silurum appellare videtur. Ad cuius Plinij imitationem D. Ambrosium[r] *voraciorem minorum piscium Silurum dixisse*, credendum est. Nec obstat, vti videtur Manardo, quòd Sturionum nostrorum nullus talenta quindecim pendeat; ad quam magnitudinem (Plinio teste) aliquando Silurus excrescit; quando non vbique, sed in solo Nilo, eò vsque Silurum augeri inquiat ipse Plinius. In quo quidem Nilo fluuiorum omnium maximo, maximos etiam procreari pisces, maximè rationi est consonum. Nec illud, quod plurimùm apud Manardum potest, aliqua apud nos dignum est consideratione; peculiarem scilicet Nili piscem, Silurum censeri à Plinio; cũ Sturiones in Pado, prope quem natus erat, & in Tyberi, propter cuius ripas vixit, frequentes reperiantur. Nam haud Siluri niliaci, ceu peculiaris Nili piscis meminit Plinius, vti opinatur Manardus, sed ceu reliquorum Silurorum maximi; quemadmodum Plinij verba cõtemplanti manifestum est. Quinimo & ipsemet eodem capite paulò infra, in Rheno quoque Silurum reperiri testatur. Et alibi inquit,[s] *Siluri fluuiatilis, qui & alibi quàm in Nilo nascitur*. Nec est quòd quispiam postremò obijciat, Sturionem quem Silurum esse contendimus, similitudinem nullam habere cum eo pisce, quem in historia septuagesima tertia Glanidem fecimus; cum tamen Aeliano authore (vt supra etiam citauimus) Glanis piscis incola Mæandri & Lyci Asianorũ fluuiorum, & Europei Strymonis speciem Siluri, similitudinemque gerat. Nam Aelianus in authoribus trãscribendis diligens certè, sed haud quaquam in excutiendis eorum dictis industrius, cum in citatũ Pausaniæ (cuius etiam auditor fuit sub Adriano principe) locum incidisset, sæuasque illas Rheni, Istri, Eupratris, & Phasis feras à Glanidibus Mæandri & Hermi specie disiungi (vt prima facie verba ipsa monstrare videntur) arbitraretur; eidemque prædictus etiam Plinij occurrisset locus; videns illas Rheni ac Istri feras, quarum meminit Pausanias, à Plinio Siluros appellari; nec aduertens Glanidem & Silurum hoc loco, vt & alijs multis, vnum atque eundem piscem existimari à Plinio, sed opinatus potius ei, non secus quàm Græcis omnibus Silurum verè alium piscem esse à Glanide, rem ipsam magis interturbans scripsit;[t] *Glanis piscis incola Mæandri & Lyci asianorum fluminum, & Europei Strymonis, speciem Siluri similitudinemque gerit.* Quibus verbis sicuti omnes græcos authores sequutus, Silurum rectè alium piscem à Glanide fecit, sic perperam eos similes esse asseuerauit; nam præter id quòd nullus alius scriptorum hos pisces similes fecit, nec ipse, nisi incuria plinianæ interpretationis deceptus, eos similes existimasset. Sic itaque rationibus, aduersariorum iudicio insolubilibus, non confutatis solùm argutis verbis, sed re ipsa prorsus atque funditus pessundatis; ne vllus dubitandi locus relinquatur amplius, euidentissimis etiam veterum testimonijs Sturionem antiquorum Silurum esse confirmemus. Primùm enim sicuti Sturiones marini sunt & fluuiatiles (vt monstrauimus) sic à Plinio inter pisces amnis ac maris cõmunes recensentur Siluri; Ideóque testatur & Ausonius, dicens;

[u] Nunc pecus æquoreum celebrabere megne Silure,
Quem velut acteo perductum tergora oliuo
Amnicolam Delphina reor.

Et vti ex maiorum piscium numero Sturiones sunt, sic inter magnos pisces à veteribus connumerantur Siluri. Et quemadmodum (vt supra docuimus) in plerisque locis saliuntur Sturiones, ita à veteribus Siluros saliri consueuisse proditum est. Sed cũ hæ tres conditiones (etsi vix alicui alij piscium conueniant) Sturionem Silurum esse plenè ac indubitanter non comprobent; potiora & certiora iam proferamus testimo-

Marginalia:
r Hex. Lib. 5.
Manardi opinio reprobatur.
A
s Lib. 32. cap. 2.
B
Aelianus notatur.
t Lib. xi. cap. 45.
C
D
u In Mosella.

nia, à Plinio exordientes. Qui Siluri nomine modò Glanidem, modò Silurum (vt diximus) appellare solitus, cum perperam Siluro quæ Glanidi debentur (vt supra citauimus) tribuisset dicens [x] *Silurus grassatur vbicunque est omne animal appetens, equos natantes sæpe demergens, præcipuè in Rheno Germaniæ amne prope lisboüm* (quod postremum verbum vti mendosum est certè, ita hactenus congruam eius castigationem non habemus) subiunxit; *Et in Danubio* (*mario* autem, vt in impressis legitur codicibus, vel *mari*, vt in manuscriptis habetur, ceu superuacua & temerè addita dictio expungi debet) *extrahitur porculo marino simillimus*. Quibus verbis Silurum describens, Sturionem clarè pingit. Arbitratus nanque maiorem Sturionem Silurum vocatum, à minori qui à nonnullis antiquis (vt infra explicabimus) porcus marinus appellatur, specie (vt supra notauimus) differre; Silurum siue maiorem Sturionem porculo marino siue minori Sturioni simillimum esse iurè testatur. Nec quod mox subnectit, scribens, *Et in Borysthene memoratur præcipua magnitudo, nullis ossibus spinisue interstitis, carne prædulci* (si de Siluro intelligendum sit, vti nos certè credimus) Sturionem dedecet. Quando in Borysthene quarto Scythiæ fluuio, secundum Istrum omnium maximo, qui hodie Neper appellatur, non solùm maximus reperiatur Sturio; sed etiam carne sit prædulci, vt quisque Sturionem comedens animaduertere potest. Nec si Sturio quasi osseam dorsi spinam habeat, Silurum esse non posse obijciendum; ob illud Plinij nullis ossibus spinisúe interstitis. Quando arbitrandum sit, his verbis Plinium intellexisse, vna tantùm spina, qua ferè ossea à capite per dorsum ad caudam traiicitur, munitum esse Silurum, nullasque alias (quod in plerisque alijs piscibus accidit) ab hac oriri, quibus caro eius tota, atque corporis ambitus veluti costis sepiatur. Nec etiã nostra interturbatur opinio, propterea quòd prædictis verbis Antacæum describere videatur Plinius, cuius sic antea meminerat Herodotus, [y] *Præbet Borysthenes ingentia cete, ad salsuram spinis carentia, quæ Antacæos appellant*; nam hæc quoque Sturioni quadrant, quippe qui prægrãdis admodum in Borysthene capi atque saliri soleat; nec inconuenit ibi Antacæum vocari, etsi alibi Silurum appellent. Postremò quod statim addit inquiens, *In Gange Indiæ Platanistas uocant, rostro Delphini & cauda, magnitudine autem* XV. *cubitorum*; vti de Siluro dici certè videtur, ita pro nostra opinione apertè pugnat. Cum Sturio, quem Gangis accolas Platanistam vocare dicit, rostro & cauda Delphino absimilis non sit. Quam ob rem Ausonius etiam Gallus Silurum amnicolam Delphinum appellat, illumque describens, Sturionem egregiè repræsentat. Inquit enim,

x Lib.9.cap.15.

E

F

y Lib.4.

G

z In Mosella.

[z] Nunc pecus æquoreum celebrabere magne Silure,
Quem velut actæo perductum tergora oliuo
Amnicolam Delphina reor, sic per freta magnum
Laberis, & longi vix corporis agmina soluis
Aut breuibus defensa vadis, aut fluminis vluis,
Aut cum tranquillos moliris in amne meatus
Te virides ripæ, te cærula turba natantum
Te liquidæ mirantur aquæ. diffunditur alueo
Aestus, & extremi procurrunt margine fluctus.
Talis atlantiaco quondam Balæna profundo
Cum vento motúue suo telluris ad oras
Pellitur, exclusum fundit mare, magnàque surgunt
Aequora; viciniq́ue timent decrescere montes.
Hic tamen hic nostræ mitis Balæna Mosellæ
Exitio procul est, magnóque honor additus amni.

H

Quibus carminibus nil certius exprimi potuit, quàm pro Sturione Silurus, cum magnum, fluuiatilẽ, ac marinũ, Delphino similem, & mitẽ esse, atque tergore ipso natiuum olei referre colorem, quæ ab ipso Ausonio Siluro tribuuntur, adamussim Sturioni respondeant. His igitur cum clarè satis (mea quidem sententia) pateat Sturionem nostrum veterum Silurum esse; Iam declaremus (vt supra polliciti sumus) Sturionem, marinum etiam porcum à veteribus vocatum fuisse. Cuius quidem rei optimus atq; certissimus testis est Isidorus Hyspalensis, qui vixit plus octingentis ab hinc annis, Nam scribens, [a] *Porci marini, qui uulgò Suilli, qui dum escam quærunt, more suis terram sub aquis fodiunt; Circa guttur enim habent oris officium, & nisi rostrum arenis inmergant, pastum non colligunt*; præter id quòd sub marini porci nomine apertissimè Sturionem describit; vt nullus relinqueretur dubitandi locus, marinum porcum in Hispania (is enim Hispanus erat) vulgò Suillo vocatum fuisse testatur; vti & hodie ab Hispanis (vt supra retulimus) Solho aut Sulio vocatur Sturio.

a Lib.12.cap.6.

RELIQVVM

HISTORIAE TRIGESIMAE SEXTAE PELAMIDI ET THYNNO DICATAE.

Nam cum Thynni (vt ſupra veterũ quorũdam declarauimus teſtimonio) increſcẽte
ætate Thynni nomine derelicto, in alias ferè ſpecies euadere conſueuerint, non ſi ſupe
riore anno Limarijs deficiẽtibus, deficiant & anno ſequẽti Thynni; eos ob id obijſſe;
ſed in aliam potius veluti quandam ſpeciem, vel priori nomine poſthabito, mutatos
s Lib. 9. cap. 15. eſſe credendũ eſt. Neque etiã cum dicat Plinius, [s] *Thynni ſæpe nauigia uelis euntia comitantes, mi-*
ra quadam dulcedine per aliquot horarum ſpatia & paſſum millia, à gubernaculis ſpectantur; A
netridẽte quidem in eos ſępius iacto territi. Quidam eos qui hoc è Thynnis faciant, Pompilos
t Lib. 7. fol. 142. 49. *uocant*; id ei prorſus aſſentiri debemus; cum Pompilus etſi Athenæo authore [t] *Pelamidi ſit*
ſimilis, alius tamen tum à Pelamide tum à Thynno piſcis ſit, quemadmodũ in ſecundo Plinij lapſus.
libro noſtro, in quo de Pompilo agemus, explicatiùs declarabimus.

QVO MODO CAPIANTVR.

u Lib. 7. fol. 309. De captura Thynnorum (quos Pelamides vocat) hoc teſtatum reliquit Strabo;
[u] A portu ficulneo ad Byzantiorum cornu ſtadia interſunt quinque; Eſt autem cornu ad Byzan
tii mœnia propè ſpectãs, ſinus in occaſum extenſus ad ſtadia ſexaginta, cornu ceruino perquàm B
ſimilis, nam in plures ſinus, perinde ac ramos quoſdam ſcinditur; in quos irruentes Pelamides
facilè captantur; fit enim cum earum multitudine, tum vi & impellentis fluxus impetu, cum
propter ſinus anguſtiſſimos vt vel manibus comprehẽdantur. Earum generatio in Męoticis pa
ludibus fit, inde verò paulatim erumpũt grege facto per os ipſum, ac propter litus aſiaticũ vſq;
Trapezuntem ac Pharnaciam excurrunt; Hinc primùm earum venatio exiſtit, non copioſa ad
modum; nondum enim conueniens eſt multitudo; vt verò Sinopen propius acceſſerint, ſpecio
ſior nimirum earum eſt piſcatio, ſimul & ſalſamentaria. Poſtquam verò Cyaneas tranſierint,
& ex ripa Chalcedonia albicans occurrit petra quędam, tantus beſtiis ipſis terror incutitur, vt
è veſtigio in vlteriorem conuertantur ripam; quas cum pręceps aquarum curſus corripiat, &
innata locorum aptitudo maris fluxum ad Byzantium cornuque Byzãtii deflectat, & eo naturę C
impetu propellat, copioſum Byzantinis populoque Romano ſuppeditat prouentum. At enim
Chalcedonii in vlteriore prope conſiſtentes litore, in nullam eius vbertatis communionem
accedunt, quoniam ad eorum portus, ne una quidem pelamis ſeſe applicat. Quæ ferè ſic à Plinio trãſcribũtur
x Lib. 9. cap. 15. [x] Eſt in euripo Trhacii Boſphori, quo propontis Euxino iungitur, in ipſis Europam Aſiamque
ſeparantis freti anguſtiis, ſaxũ miri candoris, à vado ad ſumma perlucens, iuxta Chalcedonem
in latere Aſię. Huius aſpectu repente territi, ſemper aduerſum Byzantii promontoriũ, ex ea
cauſa appellatum auricornu, pręcipiti petunt agmine. Itaque omnis captura Byzantii eſt, ma
gna Chalcedonis penuria, D. paſſ. medii interfluentis Euripi. Opperiuntur autem Aquilo-
nis flatum, vt ſecundo fluctu exeant è ponto, nec niſi intrantes pontum Byzantii capiuntur.
y Hiſt. lib. 8. cap. 15 Vt autem tradidit Ariſtoteles, [y] *Capi incipiunt uergiliarum ab ortu ad Arcturi occaſum ultimum, reliquo*
tempore quieſcũt latentes; capiuntur nonnulli ex his, cęteriſque latentibus, tẽpore ſui ſeceſ-
z Lib. 9. cap. 15. ſus, cum ſe moueant locis tepidis, aut ſi temporis inſolitę quietes contingant; prodeunt enim D
aliquantulo de ſuo cubili paſtum, & præcipuè plenilunio. Quæ ſic tranſcripſit Plinius; [z] *Thynnorum captu*
ra eſt à vergiliarum exortu ad arcturi occaſum, reliquo tempore hyberno latent in gurgitibus
a Lib. 7. fol. 151. 3. *imis niſi tepore aliquo euocati, aut plenilunijs*. Vt verò author eſt Athenæus, [a] *Dum paruos fœtus habent,*
difficulter, ſed cum iam fœtus excreuerint, facilè capiũtur. Aelianus non ſolùm pelamides piſcandi ra
b Lib. 12. cap. 38. Oppi. etiam. lib. 4. fol 151. 41. tionem edocet dicens, [b] *Rationem piſcandi pelamides haud ſanè peruulgatam non à ſeria conſideratione*
alienum eſt explicare; Decem iuuenes ad ſummum ętatis vigorem floreſcentes expeditam nauẽ
& celerem conſcendũt; & ſimulatque ſe cibo expleuerint, pariter cõtinuò ęqualiterque in vtrũ
que nauis latus diſtributi remigare contendunt, atque huc illuc errant; eorum vnus aliquis ad
puppim ſedens, armatas hamis lineas ad vtrãque nauis partem demittit, tum ad ſingulos ha-

mos escam ex Purpura pisce confectam strictè religat, tum Lari marinę auis pennā ad hamum quemque alligat, vt ab occurrente aqua sensim & leuiter agitetur; Pelamides autem escę sic instructę illecebra delinitę in hamos innatant; Cum autem ex iis aliqua liguritione apprimè sti mulata os in escam impegerit, tum reliquę consequentes hamis cōfiguntur; vt hami ob mul titudinem vno eodemque tēpore transfixorum piscium vexentur. Iuuenes verò remigare desistē tes, de transtris surgunt ad subtrahendas lineas multitudine piscium onustas, quos postquam in nauem subduxerunt, fęcundissima piscatio ex permagno piscium numero apertè ostenditur. Sed Thynnorum etiam capturam describit inquiens, [c] *Cum Thynni circumretiti tenentur*, Neptu no malorum depulsori piscatores vota faciunt, ne Gladius piscis, neúe Delphinus in captiuorū numero fit. Nam sępę Gladius, qui iam fit ętate confirmata, lacerato reti Thynnorū gregi irretito, ad se exuendum ex laqueis facultatem dedit. Delphinus etiam ad moliēdas retibus insi dias accerrimus, iis perniciem affert. Quemadmodū in Propontidem Thynni innatant & ena tant, supra scripsi; iam porrò qui Hiracliam, Tion, Amasiam ponticas vrbes incolūt, planè sciunt quo anni tempore eiusmodi pisces eò accedant. Quare permulta contra eos instrumēta comparant, naues, retia, speculam in excelsum excitatā, quam in litoris eminenti loco, & circumspectum facilem habenti, defigunt; cuius conficiendi rationē molestū mihi non erit explicare. Tigna bina excitant, intercepta & iuncta inter se trabibus latis & crebris immissis, & faci lem ascensum speculatori prętantibus. Singulę naues vtrinque sex iuuenes expeditè remigantes habent; retia bene longa sunt; Itaque verno sole illucente, ventis placidè & tranquillè flanti bus, cælo lęto & quasi ridente, conquiescente à tempestatibus mari, frequentes Thynnorum pi scium greges in pontum innatant; quod quidem ipsum simul ex specula prudenter & acutè spęculator prospexit, piscatoribus vnde veniant denunciat. Hi ad vocis significationem retia ten dunt, ac si intra retia ingrediantur, sicut dux exercitus, hoc ipsum signo dato edocet. Cum Thynnorum cohortes in altum sese incitauerint, is qui ex specula acerrima oculorum acie horum actiones obseruat, contenta voce exclamat, rectà ad altum remigationem contendendā, illucque insequendos esse; hi porrò alligato ad alterum tignum, quod speculum sustinet, per longo retiū fune, naues ordine remis propellūt. Postquā enim singulis manibus rete distētum est, prima nauis, vbi suā rètis partē eiecit, discedit; hoc idem facit deinceps secunda, & tertia, & quarta, qui quintā remis impellunt, adhuc idcirco cunctantur, quòd hi nunquam laxare de bent. Deinde alii aliò remigant, & pro se quisque retis partem trahit, postea quiescunt. Thyn *ni circumuallati non se loco mouent, itaque comprehenduntur*. Et demum hæc etiam paulò post subdit, [d] Thynnorum piscationem Itali & Siculi Cetiam appellare solent, tum loca quo hi abdi soliti sunt, tum magna retia, cęterumque instrumentū quo captari assueuerūt, Cetotheria ideo no minant, quod magnos Tynnos in numerū reliquorū cetaceorū referre velint. Celtas audio & Massilienses, atque omnem Affricam maximis & firmissimis hamis ex ferro cōfectis Thynnos cō *prehendere solere*. Oppianus præterea de Thynnorum captura hæc cecinit,

c Lib. xi. cap. 2.

d Lib. xi cap. 4.

E

F

G

[e] Et similis fatuum tangit dementia Thynnum;
Atque malo tanto, diraque cupidine damni
Corripitur, semperque cupit penetrare recessus
Retis, & in laqueos sese nutricare dolosos,
Conatur rictu maculas extendere paruas
Et duro morsu laqueos laxare plagarum;
Nec properare fugam celerem per retia tenta
Nec valet angustos luctando exire meatus;
Sed duris vinclis alto sub gutture vinctos
In terram Thynnos radit inconsulta voluntas.

e Lib. 3. fol. 141. 50.

H

Et paulò infra hæc etiam subiunxit,

[f] Thynnorum gentes grato sub tēpore veris
Post partū, & veneris postquā cessauit oœstrū,
Oceani celeres veniunt à fluctibus altis,
Atque sinus aliò sulcant; nam fortis Iberi
Primò traiciūt portum, gens aspera bello,
Et studio prędę Thynnos populatur eūtes;
Post Celtę capiūt prędā circū hostia pulchri
Eridani, veteres quos misit phoca colonos.
Trinacriā quicunq; tenēt, post retia tendūt
Thynnis, & prędа fortes ditantur opima;
Tyrrhenū iuxta pontū per marmora Thynni
Sparsi per tumidos ęstus, fluctusq; profundos
Errāt, cum vernę findūt vasta ęquora turmę;
Tūcque locū piscator habet, nō flamine vēti
Turbatū, & placida qui nūquā fluctuat vnda,
Non adsunt ripę densę, non rupe maligna
Augustus, teneat mensuram littoris ęquam
Piscosis ponti scopulis, latisque cauernis,
Ascendat celso speculator vertice montis;
Mēnonis alma parēs primo cū surgit ab ortu
Aspiciat varias acies quanto agmine verrant
Vndas, & sociis subitò prędicat ab alto.

f Lib. 3. fol. 142. 17.

Confestim pelago procedunt retia cuncta,
Sunt vrbes veluti magnę, queis limina lata,
Queis portę, magniqúe sinus, magniqúe recessus,
Perqúe tribus sicuti properant ad bella phalanges
Sic Thynni veniunt, hi sunt in flore iuuentę,
Isti longęui, medio sunt tempore multę;
Innumeri vastam retis labuntur in aluum;
Donec prędones educant retia lęti,
Distendatqúe sinus omnes ditissima pręda.

Quod autem de Thynnis Oppianus, id de Orcynis (vt qui idem sint, vt supra mon-
g Lib.7.fol.157.28. strauimus) prodidit apud Athenæum Dorion dicens, [g] *Ex oceano per columnas Herculis in no-*
strum mare permeant Orcyni; quo fit, vt in Iberio & Thyrreno mari capiantur plurimi. A
h Lib.12.cap.29. De Orcyni autem captura, hoc testatum reliquit Aelianus, [h] *Orcynus cetaceus piscis rerum sua*
rum prouidens est. Hamum quo transfixus fuerit, in maris altitudinem sua impulsione depri-
mens, ad solum allidit, eumqúe oris pulsatione expellere cupit; quod si id minus fieri queat, ab
hamo exceptum vulnus luculentius infert, dilatatqúe, atque exiliendo id quod sibi molestiam
exhibet, expuit abiitqúe; sępe id non assecutus, inuitus ad piscatoris prędam subtrahitur.
Quæ sic deinceps transcripsit Oppianus;

i Lib.3.fol.134.25.
k Lib.3.fol.135.9.

Et similes astus Orcynus pectore voluit;
Continuò raptus flexo mucrone sub vndas
Desilit, & tentus serpit per saxa profunda,
Piscantumqúe manu vi se conuellere tentat;
Atque caput subito quassans sua vulnera lata
Reddit, curuatum magna vi despuit hamum.

Et vt postremò idem Oppianus author est, [K] *Ponto Muræna proterua*
Polypodas agitata petit, cognomine Pulcher Affectat Thynnos, Orcynus gaudet Asellis.

P R AE S T A N T I A.

B
l Hist.lib.8.cap.13. Et si suauissimis piscibus conferendus non sit Thynnus, sapidus tamen & non ne-
gligendus vbique ferè censetur. Est autem authore Aristotele [l] *Melior post Arcturum cum*
m Lib.7.fol.151.2. *iam eo tempore ab infestantis Asili agitatione requiescat, quę facit vt fit in ęstate deterior.*
n Hist.lib.8.cap.15. Vnde & Athenæus dixit [m] *Eum cibo aptum esse, cum ab Asilo agitari desierit.* Et eiusdem Aristote-
o Hist.lib.8.cap.15. lis testimonio, [n] *Thynni magna ex parte sunt suauissimi cum latent*, propterea quod vt idem asserit,
p Lib.7.fol.148.1. [o] *Pinguescant à latibulo maiorem inmodum*; Antiphanes apud Athenæum [p] *Megaricum Thynnum celebrat*;
Et apud eundem, quanti faciendi sint Thynni, & qui eorum nobilior, Archestratus
q Lib.7.fol.151.4. his versibus indicat;

q Ingentem captum Thunnum mox ipse videbis,
Hic vbi sacra Sami sunt littora; dicitur ille
Orcynus, ac alijs cete, hæc obsonia diuis
Conueniunt. precij'que decent suauissima matrem
Byzanti soboles Thunni generosa Carysti est,
Ac vnde Siculæ, & Cephalus: nutrit meliores
His multo Thunnos penetrantes Tyndaris vnda;
Si forte Hipponi Italiæ perueneris oras
Optimi erunt illic cunctorum, præmia soli
Victores referunt; hic qui sunt inde putantur
Quod mare transierint, penetrarintqúe æquora ponti
Intempestiuos cum venabamur in vndis. C

r Lib.7.fol.157.30. Eodemqúe referente Athehæo, [r] *Hicesius de Orcynis agens, dicit, In Gadiris pinguiores capi; post hos*
qui sunt in Sicilia; qui verò longè ab Herculeis columnis absunt, non sunt pingues, propterea
s Lib.9.cap.15. *quòd plurimùm enauigarint.* Neque totus piscis æquè sapit; sed Plinio authore [s] *Thynni membra-*
tim cæsi, ceruice & abdomine commendantur, atque Clidio, recenti duntaxat, & tum quo-
t Lib.7.fol.151.20. *que graui ructu.* Quod autem alij etiam antiqui authores abdomen Thynni celebraue-
rint, abundè satis declarat Athenæus inquiens, [t] *Laudatur imus venter Thynni sicut Eubulus testatur*
in Ione, postea opulenti ad te assatorum Thynnorum nauigant ventres imi; Aristophanes in
Lemnijs, non Bęotiam Anguillam, non Glaucum, non imum Thynni ventrem; Strattis in
Atlante, imum Thynni ventrem, Suillęqúe intestinum drachmę; In Macedonibus, ventres D
imi Thynnorum suaues; Eriphus in Melibęa, hęc cum pauperes emere non possint, Thynni
imum ventrem, Lupi caput, aut Congros vel Sępias, quas nec deos quidem valde despicere
u Lib.7.fol.157.34. *censeo.* Et apud eundē Athenæum, idē (de Orcynis pertractātes) asseuerant tū Hicesius
x Lib.8.fol.178.5. tū Diphilus, ille inquiens, [u] *Orcynorū partes imi ventris pinguiores & sapidiores sunt alijs partibus*; hic ve
rò dicens, [x] *Orcyni imus venter tener est, & ori gratus.* Thynnorum atque Orcynorum præte-
rea κλεῖδες, vel diminuta voce κλειδία, id est iuguli (quas partes ceruice & Clidio de-
y Lib.7.fol.151.24. scripsisse videtur Plinius) à veteribus quoque alijs commendari certum est; Cum A-
z Lib.7.fol.157.32. thenæus, *Thynnorum* [y] *Aristophanis in Pirithο; Orcynorum verò* [z] *Hicesij, atque* [a] *Diphili testimonio Iugulos ce*
a Lib.8.fol.178.5.
b Lib.7.fol.151.30. *lebret*; Postremò apud eundem Athenæum, [b] *Alexis in Vlysse subtexente, Caput; Antiphanes verò cau*
dam Thynni laudant.

VT NVTRIANT.

Diphilo authore apud Athenæũ[d] *Thunnus et Thynnis multũ nutrit, sed grauis cibus est.* Vnde et Plinius nobiliores etiã Thynni partes,[e] *Abdomen scilicet & Clidiũ grauis ructus esse* dixit. Et vt testatum reliquit Galenus[f] *Maiores Thynni non secus quàm Balenæ, Delphini, & Phocæ ingrati sunt saporis, & mucosi, & præsertim recentes; nam saliti euadunt meliores; Thynnorum autem caro, qui & ętate & corporis mole minores sunt, non perinde dura est, eoq́ue hi facilius quoque concoquũtur, & ijs adhuc magis Pelamides.* Quæ quidẽ Pelamides, vt testis est apud Athenæũ Diphilus,[g] *multum nutriunt, graues sunt, vrinam mouent, & ęgrè cuncoquuntur; Salitę autem ventrem ducunt, & extenuant.* Galeni verò testimonio,[h] *Pelamides sale conditæ laudatissimis salsamentis non cedunt; Plurimę hę ex ponto aduehuntur, iis duntaxat quę ex Sardinia atque Iberia importãtur, inferiores.* Vt verò testatum reliquit Aristoteles,[i] *Thunni senes uel ad rem salsamentariam improbi sunt, multum enim carnis absumitur.*

E

d Lib.8.fol.177.38.
e Lib.9.cap.15.
f Clas.2.fol.30.C.
g Lib.8.fol.778.1.
h Clas.2.fol.30.C.
i Hist.lib.8.cap.30.

CONDIENDI RATIO.

Cum Pelamides & Thynni tum recentes, tum sale adseruati comedi soleant; Recentium frusta contrito coriãdro & sale priùs consperſa, & verubus assata, continuaq́; dum assantur aceti & olei inspersione feniculi vmbella irrorata, sapidissima efficiuntur. Huic nostræ recentium Thynnorum conditurae (qua locis plerisque vtuntur) haud absimilem conscripsit apud Athenæum Archestratus inquiens;

F

[k] Postremam Thunnę partem, quam Thunnida dico,
Ingentem, cuius Byzanti est fertilis ora,
Concidens rectè hanc assato prouidus omnem,
Et sale conspergas tenui, hinc vngatur oliuo,
Tingito adhuc acri calida in salsugine frustra;
Nam si siccas velis edere hęc generosa videbis
Huic similis superis species naturaq́ue Thunnę,
Quę mox deperit si conspergatur aceto.

k Lib.7.fol.151.45.

Eorum verò salitæ partes siue pingues (quas vt diximus Itali *Tarantello* appellant) siue pinguedinis expertes (quas ab Italis *Tonina* vocari diximus) fuerint, octo aut decem horis in aqua priùs maceratæ (quò salsedinem deponant; vnde & illud Terentij,[l] *Salsamenta hæc Stephanio fac macerentur probè*) in aqua elixantur; sicque elixæ & in parua frustula dissecatæ aceto & oleo condiuntur.

G

l Adelph act.3.

QVIBVS MEDEANTVR.

Authore Dioscoride[m] *Caro Thynnorum inueterata sale, quæ ὠμοτάριχος uocatur, ijs quos uipera, quæ Prester appellatur, momorderit, auxiliatur; oportet autem salsamentum id largius sumi copioso vino subinde hausto, atque vomitionibus reddito. Iis etiã, qui acrioribus cibis ad ciendũ uomitum indigẽt, accõmodatissima est; Canum morsibus utiliter imponitur.* Et vt testatur Plinius[n] *Attalus Thynni recentioris adipe ad ulcera usus est.* Et vt idem alibi tradidit,[o] *Ad rhagadas & ad Condylomata Pelamidũ salsarum capitum cinis, uel Gobiorum cum melle utilis est.* Ac vt paulò infra idem asseuerat,[p] *uerendorũ pustulas discutit.* Eodemque teste,[q] *Psilotrum est Thunni sanguis, fel, iecur, siue recentia siue seruata; iecur etiam tritum, mixtaq́ue Cedria plumbea pyxide asseruatum; Ita pueros mangonizauit Salpe obstetrix.* Quòd non solùm[r] author medicamentorum facilè parabilium; Sed Aelianus etiam confirmat dicens,[s] *Iam uerò si quis, qui nondum excesserit extrema pueritia, Thynni sanguine illinatur, non pubescet.* vt Plinius etiam author est,[t] *Cybia uetera eluta in nouo uase, deinde trita prosunt dentium doloribus.* Et vt alibi scribit,[u] *Contra canis rabiosi morsum, & contra Draconem utiliter Cybium auxiliatur.* Vnde & Galenus prodidit,[x] *Vocatum Cybium utiliter uulneri à cane inflicto imponi, referunt.* Postremò eiusdem Plinij testimonio,[y] *Purgant aluum Cybia uetera, priuatimque cruditates, pituitas, bilemque extrahunt.*

H

m Lib.2.cap.30.
n Lib.32.cap.8.
o Lib.32.cap.9.
p Lib.32.cap.9.
q Lib.32.cap.x.
r Gale.Clas.7.fol.162 H.
s Lib.xi.cap.50.
t Lib.32.cap.7.
u Lib.32.cap.5.
x Clas.5.fol.85.H.
y Lib.32.cap.9.

RELIQVVM
HISTORIAE QVINQVAGESIMAE QVARTAE.
POLYPO DICATAE.

[r] Lib.2 fol.126.58.

[r] Et fortem & celerem duris & Carabon armis
Polypus occidit, quanuis sit robore multò
Inferior; curua spectat sub caute quietum,
In dorsum irrumpit, sinuataque vincula nectens
Comprimit, & longis ex omni parte flagellis
Obstruit, & pedibus passis spiracula summa;
Nec spirare potest, nec missos pectore rursus
Accipere aerios flatus (à piscibus vsque
Alterno trahitur, flatuque remittitur aer)
Carabus oppressus liquidis nunc fluctuat vndis,
Sæpe reluctatur, nunc petra illisus opaca,
Immotusque manet, nec tanto marte duellum
Detractat, donec longo certamine vitam
Destituat, fulua moriens procumbat arena.
Et veluti paruus infans circum vbera caræ
Nutricis, lac dulce trahit, sic Polypus vtre
De curuo sorbet carnes, & mergit in aluum. A

[s] Lib.12.cap.5.

Bellum verò quod Polypum cum Congro gerere Aristoteles & Plinius asseuerant, Murænæ & Polypo tribuit Aelianus dicens [s] *Muræna cum Polypo capitali odio dissidet; ei nanque Brachia abscindit dentium firmitate; & si Polypus in saxorum colorem se vertat, nihil ei astutię hæ fallaces prosunt; muræna eius veteratoriam planè tenet.* Quæ sic cecinit Oppianus;

[t] Lib.2.fol.124.45.

[t] Ex scopulis Muræna ruit furibunda per vndas
Perquirens gratum victum per litora summa,
Polypoda inquirit letum prædamque petentem,
Ille metu pauidus spectat, metuitque natantem
Per tumidas vndas, atque horrida bella parantem;
Nec vitare potest, nec cauta ocurrere fraude;
Hostis purpureum rictum Muræna reuincit,
Polypus extemplo contra pugnare coactus
Vertitur, & spiris & magnis nexibus illam
Arcet, sub vario flexu, firmisque flagellis
Nititur, vt pedicas Murænæ, & vincula dura
Præpediat, sed nulla fuga est, nec lubrica membra
Elabi possunt, Muræna fluit velut vnda:
Nunc hostis circa collum, nunc tergora circum,
Nunc circa caudam sinuosa volumina torquet;
Sic homines, dura exercent qui membra palestra,
Ostentantque diu robur, de corpore sudor
Effluit assiduus, multa contenditur arte;
Atque vndæ in morem nixus luctator vterque
Fluctuat, & contra magna vi brachia versat;
Polypus extensos iactat nullo ordine ramos,
Et sudans vana contorquet membra palestra;
At Muræna ferox rapido dat vulnera dente,
Dilaniat, partes miserum confringit in omnes;
Nam membra in ventrem partim merguntur, at illa
Ore volutantur crudo, subiguntur acutis
Dentibus, hi laceri viuunt sub dentibus artus;
Atque reluctantur, mortemque repellere tentant;
Et velut annosus Ceruus cui cornua fronte
Sunt ramosa, petit densa vestigia sylua
Serpentis, nactusque locum tum naribus illum
Attrahit è lustro, figitque in corpore dentes,
Implicitus genibus serpens fera pectora nexu
Deuincit, collumque tenet, semesa vorantur
Partim membrorum, partim lacerantur acutis
Dentibus, & diri Cerui laniantur in ore.
Sic miseri piscis luctantia membra mouentur, B
Consilium misero, vel quid prudentia prodest?
Quid prodest lapidis proprium sumpsisse colorem?
Quid toties vitasse necem? vitasse voraces
Sub petra pisces; si non latuere dolosæ
Murænam fraudes? sola hæc deprehendere mentem,
Sola dolos potuit, vanasque eludere fraudes;
Tunc fœdam miserata necem, & crudelia fata
Polypus in scopulis duris laceratus inhæret;
Assidet hæc iuxta subridens, verba mouere
In piscem credas, hæc scommata dira referre;
Te vafer occultas? nos speras fallere demens?
Experiar num te scopuli tutentur, & antra;
Aut spelunca tegat, quæ portis clausa repente
Arripiat, raptum subito te mergat hiatu.
Te retro pauidum ex antro conuellere possem.
Polypus (heu dirum) confossus vulnere multo
Non duros scopulos, deprensaque saxa relinquit
Implicitus ramis dura sub caute reuinctus, C
Donec sola loco restant connexa flagella.

[u] Lib.12.cap.7.

Eodem authore Aeliano, [u] *Cum in saxum non admodum è mari eminens Polypus aliquando correpens ascendisset, ibique explicatis alis summa cum voluptate, quòd frigida tempestas esset, à tepore solis calesceret, neque sanè se in saxi colorem vertisset; quod quidem ipsum cum ad declinandas, tum magis ad moliendas piscibus insidias facere solet; Aquila acris & acuta in videndo, prędã si non sibi futuram bonam, attamen paratam sibi & suis pullis perspicuè cernens, quanto potuit maximo alarum impetu in Polypum insiluit; sed & piscis hic circumplicantibus Aquilam, & pertinaciter adhęrescentibus cirris, in profundum detraxit hostem capitalissimam, simul & interfecit. Quę quidem Lupus hians (vt est in prouerbio) inani spe illusa, deinde in mari mortua fluitabat.* Vt præterea author est Plinius Trebij Nigri testimonio,

[x] Lib.9.cap.30.

[x] *Nullum est atrocius animal ad conficiendum hominem in aqua; luctatur enim complexu, & sorbet acetabulis, ac numeroso suctu detrahit, cum in naufragos vrinantesúe impetum cœpit. Sed si inuertatur, elanguescit vis, exporrigunt enim se resupinati. Cętera, quę idem Trebius retulit, monstro propiora possunt videri. Carteię in cetariis assuetus exire è mari in lacus eorum apertos, atque ibi salsamenta populari, conuertit in se custodum indignationem assiduitate furti immodici. Sepes erant obiectę, sed has transcendebat per arborem, nec deprehendi potuit, nisi canum sagacitate; Hi redeuntem circumuasere noctu, concitique custodes expauere nouitatem; Primùm omniũ magnitudo in audita erat, deinde color muria obliti odore diri. Quis ibi Polypũ expectasset, aut ita cognosceret? cũ monstro dimicare sibi videbantur. Nanq; & afflatu terribili canes agebat, nũc extremis crinibus flagellatos, nunc robustioribus brachiis clauarũ modo incussos, ęgreque multis tridentibus confici potuit. Ostẽdere Locullo caput eius, dolii magni* D

tudine amphorarũ quindecim capax; atq; (vt ipsius Trebii verbis vtar) barbas, quas vix vtroq; brachio cõplecti esset, clauarũ modo torosas, longas pedũ triginta acetabulis siue caliculis vrnalibus peluiũ modo; dentes magnitudini respondentes. Reliquię asseruatę miraculo pepẽde re pondo DCC. Strabone verò teste, [y] *In Cartcia in locis exterioribus Polypus talenti põdo reperitur*. Nec minore admiratione digna sunt, quæ de Polypo scribuntur ab Aeliano, inquit enim, [z] Temporis longinquitate Polypi adeo magni euadunt, vt ad ceti magnitudinem accedant, cetaceique generis numerum obtineant. Puteolis oppido Italię auditum est, Polypum, cum inusitata ad corporis molem facta progressione ad maximam magnitudinem peruenisset, egregiè spreto & neglecto maritimo victu, in continentem processisse, & terrena pleraque vastasse, & per subterraneum specum Puteolanas sordes in mare transmittentem, in maritimam domum E ascendisse, vbi mercatorum res salsamentaque in magnis vasis essent, brachiorum circumplexione vasa primò strictè comprimentem corrupisse, deinde salsamenta populatum fuisse. Mercatores verò ingressos, vbi dolia disrupta inspexissent, & permagnum earum rerum, quas naui aduexissent, numerum exhaustum deprehendissent, stupuisse. Ac nimirum cum ab insidiis fores integras, tecta ab omni irruptione intacta, parietes non perfossos intuerentur, quis nam populator fuisset, nulla coniectura assequi potuisse. At enim cum reliquias conditorum pisciũ animaduerterent, eos constituisse ex domesticis audacissimum armatum intus in insidiis ponẽdũ esse; Polypum verò noctu ad assuetas tanquã epulas adrepentẽ reuertisse, & tanquã athleta aduersarium strictissimè correptum suffocat, sic flagellis vasa circumplicantem perfregisse; eũ porrò qui insidias moliretur, etiam si lunę fulgore domus illustraretur, omniaque conspicua essent non tamen, quoniam solus esset, bestię metu perterritum, hanc aggressum fuisse; sed mane mercatoribus totam rem explicasse. Quod quidem ipsum ii audientes, ei fidem enarratarum F rerum non habebant. Deinde tum negociatores ob tantum acceptum detrimentum, periculi memoria deposita, consenserunt simul ingredi, & congredi cum hoste; tum alii inusitati & incredibilis spectaculi studio, sua sponte sese auxiliatores vnà in domo illa concluserũt. Postea verò quàm sub vesperam in solita dolia fur inuasisset, ex eis partim cloacam obstruebant, partim armis tecti in hostem irruentes, gladiis eius brachia abscindebant. Cumque quemadmodum frondatores arborum robustissimos ramos secãt, sic ii ipsius membra circumcidissent, tandem vix non pauci eum ipsum confecerunt, atque oppresserunt. Et quod quidem admirationem habet, in terra piscem mercatores fuerunt expiscati, huiusque beluę propriam veteratoriam nobis ostenderunt. Ab Aristotele proditũ est, [a] *Polypum latere circiter menses duos*. Vnde & Plinius scripsit [b] *Polypi binis mensibus conduntur*. Quo autem anni tempore lateant, declarat G Oppianus inquiens, vt supra etiam citauimus.

Polypodes gelida non vertunt ęquora bruma,
Formidant rapidas vento impellente procellas
Et curuis degunt antris, torpentque veterno.

Quàm autem oleæ sit amantissimus Polypus, in his versibus idem Oppianus explicat;

[c] Palladijs gaudet ramis fœlicis oliuæ
Polypus, & glaucis folijs (mirabile dictu)
Corripitur, gliscitque comas, frondesque virentes;
Est totus lætus ramis, & fronte benigna,
Cum iuxta pontum nigris stat splendida baccis
Arbor, & expansis consurgit littore ramis;
H Polypus ad frondes trahitur; ceu per iuga montis
Sæpe canes quærunt vestigia tecta ferarum,
Atque feras prendunt, dominos ad lustra trahentes,
Sic virides ramos gliscit frondentis oliuæ
Polypus, & subitò salsis emergit ab vndis,
Per terram repit ramos vbi nactus oliui,
Applaudit trunco lætus, radice sub ima
Flectitur implicitus, veluti complectitur vlnis
Nutricem nuper venientem paruus alumnus,
Inque sinus primũ m puerilia brachia iactat,

[y] Lib.3.fol.137.
[z] Lib.12.cap.x.
[a] Hist.lib.5.cap.12.
[b] Lib.9.cap.30.
[c] Lib.4 fol.147.36.

Atque cupit niueo connectere brachia collo.
Sic est palladiæ ramis connexus oliuæ
Polypus, & totus lætatur fronde virenti,
Nunc pedibus tentis ramum complectitur illum,
Nunc istum, veluti peregrina ex vrbe reuersus
Collectos vnà dulces offendit amicos,
Extensis manibus cupidè complectitur omnes.
Celsa non aliter obrepunt abiete sontes
Nexæ ederæ, & surgunt primùm radicibus imis,
Et multis nodis longè lateque per omnes A
Tolluntur ramos, ad summa cacumina tensæ.
Sic lætus glaucæ sua brachia nectit oliuæ
Polypus, hunc similem dulci quis dicet amanti.
Postquam palladijs ramis exempta cupido,
Expleuitque animum folijs, seu fronde virenti;
Protinus æquoreas obrepit lætus ad vndas.
Talis amor frondis, vel tam furiosa cupido
Hunc capit; & tali piscator fraude peritus
In medium iactat plumbum, quod fronde reuincit
Palladia; & piscis ramos non temnit oliui, B
Sed sociam prendit frondem, nec deserit vnquam;
In nauem tractus rami non vincla relaxat,
Non odit viridem iam iam moriturus oliuam.

[d] Lib.7.fol.158.27. Vnde & Athenæus inquit, [d] *Eo argumento cognosci Polypos oleæ amantissimos esse, quòd si aliquis oleæ ramũ* in mare demiserit, vbi Polypi sint, ac aliquantulum detineat, quot voluerit, modico nego- [e] Hist.lib.4.cap.8. *cio extrahet circa ramos implicitos*. Vt autem ab Aristotele proditum est, [e] *Sepiæ, Polypi, Gambari, odo*re escarum allectati capiuntur; & Polypi quidem ita adherescunt, vt auelli inde non possint; sed truncari potius patiantur. At pulicaria herba admota protinus ab odore eius resilire di- [f] Hist.lib.9.cap.37. *cuntur*. Postremò teste eodem Aristotele, [f] *Genus Polyporum magna ex parte biennio uiuere non potest;* C sua enim natura tabi obnoxium est; cuius rei indicium; cum pressus Polypus aliquid subinde humoris emittat, demumque absumatur totus. Quod fœminis à partu potissimum incidit. Stupent etiam feminę, vt neque vndis iactatę sentiant, & manu vrinantis facilè capiantur; sordescunt etiam, nec prętera assidendo venari possunt, Mares verò alueo tument, & in mucorem lentescunt. Indicium ne bimatum compleant, esse videtur; quòd ab ortu eorum, qui ęstate fit, ad autumnum, non facilè grandem Polypum videris, cum paulò ante id tempus pręgrandes spectentur. A partu ita Senescere debilitarique tam marem quàm fęminam ferunt, vt vel à pisciculis deuorentur, & facilè à suis detrahuntur cubilibus; cum antea nihil tale iis vsu eueniat; tum verò paruos nouellosque quanuis recens natos, tamẽ nullo eiusmodi malo affici narrant; quinimo validiores esse quàm grandes confirmant. Validum cum cęteris suis partibus hoc a- [g] Lib.9.cap.30. *nimal sit, collo tamen imbecille cum premitur est*. Vnde & Plinius scribit, [g] *Vltra bimatum Polypi non uiuunt,* D *pereunt autem tabe semper, fœminæ celerius, & ferè à partu*. Aelianus verò idem hisce tostatur verbis [h] Lib.12.cap.8. [h] Ex piscibus libidinosissimũ Polypum eatenus flagranti veneris cupiditate incendi ferunt, dum & omnibus corporis viribus exhaustis debilitatus & ad natandum, & cibaria inquirenda tãtopere infirmus factus fuerit; vt postea aliis pręda efficiatur; cum enim parui pisciculi, tum Cãcelli & Cancri ipsum exedunt & conficiunt. Quamobrem eum non amplius anno viuere dicũt, *fœminamque etiam propter crebros partus ocyus consumi*. Quæ sic transcripta sunt ab Oppiano;

[i] Lib.1.fol.115.41. [i] Exitium & tristes tedas commiscet in vnum
Polypus, & miseram vitam cum spermate fundit.
Non coitu cessat, donec deliquerit artus
Robur, & absumptæ fuerint in corpore vires,
Atque ipse in fulua iaceat prostratus arena.
Seminecem sicca lacerant tellure iacentem

Carcenades miseræ, & Cancri, multique natantes,
Quos omnes cupidè primò ferus ille vorabat.
Tunc viuum imbellem minimè sua membra tuentem
Discerpunt, donec moriatur funere diro.
Sic perit in coitu piscis, sic lumina claudit.
At ratione pari torquetur fœmina partu,
Extremumque diem claudit, fœtumque resoluit,
Non oua vt pisces alij, semota recluso
Ventre edit, magno partus cruciata dolore
E Iuncta racematim gignit, quæ vulsa meatus
Forte per angustos veniunt, perimuntque parentem,
Non annum excedunt, tedis moriuntur in ipsis,
Cum tristi veniunt crudelia funera partu.

VT NVTRIAT, VT SAPIAT, VT CONDIATVR, ET QVIBVS MEDEATVR.

F

Polypus authore Galeno, [k] *duræ carnis est, & ad coquendum difficilis, exiguumque in se succum salsum* [k] Clas.2.fol.30.H.
continet. Si tamen concoquatur, alimentum non paucum corpori exhibebit, ceterũ succi cru
di plurimum gignit. Quæ quidem omnia etsi, Galeno ibidem teste, mollibus omnibus cõ-
munia sint, in Polypo tamen efficaciora existunt; vt experientia ipsa edocet, atque
accuratè admodum notauit Paulus Aegineta, sic præcitatum Galeni locum transcri-
bens; [l] *Mollia, utpote Polypi, Sepiæ, Loligines dura et coqui contumacia sunt, præcipuè Polypi.* Vt verò apud [l] Lib.1.cap.92.
Athenæum [m] *Diphilus ait, Polypus durus est, & concoctu difficilis; maior autem nutrit magis, humefacit uentrem* [m] Lib.8.fol.177.50.
si abunde elixetur, et stomachum roborat. Insuauis præterea adeo est, vt pauperculis solùm, ac in
fimæ plebis hominibus edulis sit; [n] *Paruus uerò & uarius* (Aristotele teste, vt supra citaui- [n] Hist.lib.4.cap.1.
G mus) *esculentus non est prorsus.* Et licet semper malus sit; vt tamen idem scribit Aristoteles,
[o] *Dum oua quæ ediderit, fouet, deterrimus efficitur, haud enim in pastum prodire patitur.* [p] *Dum uerò pregnans est, uti* [o] Hist.lib.5.cap.12. [p] Hist.lib.8.cap.30.
& mollia cætera, præstat. Athenæus refert [q] *Machonem comicum scribere Philoxenum Cytherium dithyramborum* [q] Lib.8.fol.170 xi.
poetam atque heluonem Polypum bicubitalem Syracusis emisse, totumque excepto capite comedisse, ob idque in ægritudinem
mortemque incidisse. Subdit præterea idem Athenæus [r] *Diogenem etiam Cynicum crudum Polypum come* [r] Lib.8.fol.170.24.
disse, & propterea defunctum esse. Si edendus est Polypus elixus potius quàm assus edi debet.
Quod non solùm comprobat Athenæus, sed causam etiam reddit, inquiens, [s] *Polypi me* [s] Lib.8.fol 178.21.
liores fiunt si elixentur; succos enim malos habent (vt manifestum fit dum lauantur, nam
in lotione malos succos dimittunt) quos elixatio ex carne euocat; nã ex molli igne atque hu
mido abluuntur quodammodo; in assatis verò succus exicatur; Pręterea cum dura eorum sit [t] Lib.32.cap.x.
caro iurè sic coqui expostulat. Et vt refert Plinius [t] *De Polypo & hæc tradũtur, muriam ipsum ex sese emittere, et*
H ideo non debere addi in coquendo; secari arundine; ferro enim infici vitiumque trahere na-
tura desinente. Nautæ & piscatores à quibus frequentius comeditur, antequàm elixent fe
rè per horam ligno eum contundunt, aut ad lapidem atterunt. Sic enim fibrosæ car-
nis duritie confracta faciliùs multò coquitur. Elixatio fit in aqua, oleo olentibus her-
bis atq; pipere addito. Postremò venerem concitare creditur Polypus; Vt apud A- [u] Lib.7.fol.157.53.
thenæum author est Diocles in libro primo salubrium, inquiens, [u] *Mollia ad rem uenerean*
utilia sunt, & præcipuè Polypus; & Alexis, qui in Pamphilia vt idem citat Athenæus, [x] *Incitamen*
ta ueneris recensens, Bulbum & Polypum celebrat, atque ipse etiam Athenæus scribens, [y] *Mollia ut Po* [x] Lib 8.fol.177.52. [y] Lib.8.fol 178.19.
lypi Sepię & iis similia, cum flatuosa sint rebus venereis conferunt; nam venereorum vsus flati [z] Lib.32.cap.x.
bus eget. Plinius verò testatur, [z] *Sanguinem sisti Polypo tuso illitoque.*

INDEX GRAECORVM NOMINVM, NON SOLVM PISCIVM, SED RELIQVORVM ETIAM AQVATILIVM ANIMALIVM, TVM IN PISCATORIIS TABVLIS, TVM IN HISTORIIS nostris contentorum. Quibus singulis Latina redduntur nomina.

II

A

Λάβραξ lupus
λαγὼς θαλάσσιος, lepus marinus
λαμία canis marinus
λάριμος larimus
λάτος latus
λεβιανὸς lebianus
λεβίας lebias
λειόβατος læuiraia
λεπὰς patella
λεπιδωτὸς lepidotus
λευκίσκος mugilum genus
λευκίσκος ſqualus
λευκομαινίδες leucomenides
λέων leo
λύκος anthias
λύρα lyra

M

Μαῖα cancri ſpecies
μαινὶς mæna
μαιώτης mæotes
μάλθη malthe
μαξεῖνος aſellus
μελανδρύαι melandrium
μελάνδρυς melandrys
μελανθῦνος melanthinus
μελάνουρος melanurus
μίτλος mitlus
μίτυλος mitulus
μορμύρος mormyrus
μόρμυλος mormylus
μύαξ mytulus
μύλλος myllus
μύξινος mugilum ſpecies
μύξος mugilum ſpecies
μύξων mugilum ſpecies
μύραινα muræna
μύρινος murinus
μύρμη myrme
μῦρος myrus
μῦς mus
μυσίκητος muſculus

N

Νάρκα torpedo
νάρκη torpedo
ναυτίκος nauticus
ναυτίλος nautilos
νεβρίος catulus
νέβριος catulus
νηρηίδες nereides
νηρίτης neritis
νῆστις mugilum ſpecies
νυκτερὶς veſpertilio
νύμφη nymphæ
νωτιδανὸς notidanus

Ξ

Ξανθίας zanthias
ξιφίας gladius

O

Ὄζαινα ozæna
ὄζολις ozolis
οἶστρος aſilus
ὄλισθος olyſthus
ὀλοθούριον tuber
ὀνίας ſcarus
ὄνος aſellus
ὀνίσκος aſellus
ὄνυξ vnguis
ὀξύρυγχος oxyrinchus
ὀρθραγορίσκος porcus
ὄρκη orca
ὀρκύν orcyna
ὀρκυνος orcynus
ὄρυξ oryx
ὀρφὸς cernua
ὀρφακίνης orphus
οὐρανοσκόπος vranoſcopus
ὀσμύλος oſmylus
οὐρανίσκος vraniſcus
ὄστακος aſtacus
ὄστρεον oſtrea
ὄφις θαλάττιος ſerpens marinus

Π

Πάγουρος pagurus
πάπραξ paprax
πάρδαλις panthera
πελωρίαι peloriæ
πελωρίδες pelorides
πέρκη perca
πέρκη ποτάμια perca fluuiatilis
περκὶς perca
περσαῖος perſæus
πηλαμὶς limoſa
πίννα pinna
πιννοθὴρ pinnother
πιννοθήρης pinnother
πιννοφύλαξ pinnophylax
πλάταξ coracinus
πλατιστακὸς platiſtacus
πλατύουρος platanurus
πλώτης mugiles
πολυποδίνη polypodine
πολύπους polypus
πομπίλος pompilus
πνεύμων θαλάττιος pulmo marinus
πρέπων prepon
πρημὰς premas
πρημνὰς premnas
πρηνὰς prenas
πρῆστις priſtis
πριμαδία primada
πρόβατον ouis marina

P

Ῥαφὶς acus
ῥίνη ſquatina
ῥινόβατος ſquatinoraia
ῥόμβος rhombus
ῥυὰς fluta

Σ

Σαθέριον ſatherion
σάλπη ſalpa
σανδάλιον paſſer
σαπέρδης coracinus
σαργῖνος ſargiacus
σάργος mugilum ſpecies
σάργος ſargus
σάρδα ſarda
σαρδῖνος ſardinus
σατύριον ſatyrion
σατύρος ſatyrus
σαυρὶς ſaurus
σαῦρος ſauros
σεσερῖνος ſeſerinus
σηπία ſepia
σίλουρος ſilurus
σιμὸς ſimus
σκάρος ſcarus
σκαρὶς ſcarus
σκέπανος ſcepanus
σκεπινὸς ſcepinus
σκίαινα vmbra
σκιαδεὺς vmbra
σκιαθὶς vmbra
σκίγκος ſcincus
σκινίδης vmbra
σκιφίας gladius
σκιφύδριον ſciphydrium
σκολία ſcolia
σκολόπενδρα centipeda
σκολοπίδες ſcolopidus
σκόμβρος ſcomber
σκοροδύλη ſcordula
σκορδύλη ſcordula
σκορδύλος ſcordylus
σκόρπαινα ſcorpæna
σκορπίς ſcorpio
σκορπίος ſcorpius
σκύλλα canis marinus
σκύλιον catulus
σκύμνος catulus
σκυτάλη ſcytale
σμαρὶς ſmaris
σμύραινα muræna
σμύρος myrus
σπάρος ſparus
σπάταγος ſpatagus
σπόγγος ſpongia
στράβηλος ſtrabelus
στρόμβος ſtrombus
στρουθὸς ſtruthus
στρωματεὺς ſtromateus
σύαινα ſiæna
συναγρὶς ſynagris
συνοδοντὶς pelamis maior
συνόδους dentex
συνόδων dentex
σύαγρις ſyagris
σφηνεὺς mugilū ſpecies
σφόνδυλος ſpondylus
σφύραινα ſphyræna
σωλὴν ſolen

T

Ταινία tænia
ταυλωπίας taulopia
ταὼς pauo
τελλίνη telline
τευθὶς loligo
τευθὸς lollius
τῆθος callus
τηθυάκιον tethynacium
τήθυον callus
τίλλων tillo
τράγος hircus
τραχοῦρος trachurus
τρίγλα mullus
τρίγλη mullus
τρίγλης mullus
τριγλὶς mullus lutarius
τριγλίτης aphie ſpecies
τριγόλα trigola
τρόχος trochus
τρόκτα amia
τρυγὼν paſtinaca
τύφλη typhle
τυφλῖνος typhlinus

Y

Ὕδρος natrix
ὕαινα hyæna
ὕκκης iulis, & rubellio
ὗς ſus

Φ

Φάγρος phagrus
φαγώριος phagorius
φάλαινα balæna
φαληρική aphiæ ſpecies
φοξῖνος phoxinus
φρύνη rubeta rana
φυκὴν phycis mas
φυκὶς phycis mas
φυκὶς phycis fœmina
φυκίδιον phycis parua
φύσα phyſa
φυσητὴρ phyſeter
φύσαλος phyſalus
φώκη phoca
φώκαινα phocæna
φωλάδες pholades
φῶλις pholis

X

Χαλκιδική chalcis
χαλκὶς chalcis
χάννη channe
χάννος channe
χελιδὼν hirundo
χελιδονίας thynnorū ſpe.
χελὼν mugilū ſpecies
χελώνη teſtudo
χελλαρίης aſellus
χέρσυδρος natrix
χήμη chama
χοῖρος porcus
χρέμψ chromis
χρέμης chromis
χρέμις chromis
χρόμιος chremis
χρύσοφρυς aurata
χρωμὶς chromis

Ψ

Ψῆττα paſſer
ψόρος pſorus
ψύγρος pſygrus
ψύλλος θαλάσσιος, pulex mar.
ψύλων fullo

Ω

Ὠμὺς mus
ὦτα otia
ὠτάρια otaria.

INDEX VVLGARIVM CVIVSQVE GENTIS NOMINVM PISCIVM.

QVIBVS SINGVLIS LATINA SVBIVNGIMVS.

A

Acchia Panno. Glanis.
Acucella Roma. Acus.
Acuin Ianuen. Acus.
Adilo Ferrari. Attilus.
Ael Germ. Anguilla.
Afdelles Creten. Iulis.
Agone Inſubr. Acon.
Aguilles Gall. Acus.
Agulia Hiſp. Acus.
Aguſeo Ligur. Muſtelus Spinax.
Albo Italo. Albus.
Aloſe Gall. Aloſa.
Anguilla Italo. Anguilla.
Anguſicula Venet. Acus.
Anteſito Inſub. Acon paruus
Aquila Neapo. Aquila.
Aquilat Maſſil. Muſtelus Spinax.
Aquilone Roman. Aquila.
Arbore Venet. Rubellio.
Areigne Maſſil. Draco marinus.
Arenga Italo. Chalcis.
Arzilla Rom. Raia.
Aſtaſe Venet. Aſtacus.
Attina Ferrari. Attilus.
Auriol Maſſil. Scomber.
Azio Venet. Muſtel. Spinax.

B

Barbo Roman. Barbus.
Barbeau Gall. Barbus.
Barbeau Burdegal. Mullus.
Barbel Anglo. Barbus.
Barberin Gall. Barbus.
Barbets Gall. Mullus.
Barbone Venet. Mullus.
Baſtonaga Sicul. Paſtinaca.
Baudroy Maſſil. Rana piſcatrix.
Bauoſa Roman. Læuiraia.
Beccard Gall. Salmõis ſpẽs.
Bec in cauo Venet. Vranoſcopus.
Boca Roman. Bocas.
Bortiore Gall. Salmonis ſpecies.
Bot Inſubr. Citus.
Bottatriſe Inſubr. Triſeus.
Bout Hiſp. Mola.
Brochet Gall. Lucius.
Bronco Roman. Conger.
Brucho Roman. Paſtinaca.
Budiam Luſitan. Pauo.
Bulbaro Mantuan. Cyprinus.

C

Calamaro Italo. Loligo.
Canoſa Rom. Canis Galeus.
Capone Roman. Cuculus.
Capone alius Rom. Coruus.
Capitone Inſubr. Citus.
Capo groſſo Rom. Citus.
Carpana Placen. Cyprinus.
Carpe Gall. Cyprinus.
Carpione Inſubr. Carpio.
Caſſeron Gall. Loligo.
Cauallo Hiſp. Scomber.
Cauoroſas Græco. Conger.
Cefalo Roman. Mugil.
Cepola Corcyren. Blennus.
Cerna Siculo. Orphus.
Cerro Neapol. Smaris.
Chabot Gall. Citus
Channo Græco Channe.
Chieppa Venet. Aloſa,
Chieuen Anglo. Squalus.
Chocco Luſit. Loligo.
Chouan Gall. Squalus.
Chriſtopſaro Græco. Faber.
Ciambetta Roman. Libella.
Cieualo Venet. Mugil.
Citula Roman. Faber.
Clauellade Maſſil. Raia.
Cocco Neapol. & Sicul. Cuculus.
Congre Gall. Conger.
Cornet Baionen. Loligo.
Coruetto Rom. Coracinus.
Coruo di fortiera Roman. Coracinus niger.
Creac Burdegal. Sturio.
Cromgo Luſitan. Conger.

D

Dentale Roman. Dentex.
Dente Maſſil. Dentex.
Diauol marino Quorun. Rana piſcatrix.
Donzella Venet. Iulis.
Dorade Hiſp. Aurata.
Doree Gall. Faber.
Dormiglioſe Maſſil. Torpedo
Douella Maſſil. Iulis.
Dracena Græ. Draco marin⁹.

E

Emperador Ligur. Gladius.
Emxarrocco Luſitan. Rana piſcatrix.
Eſtourgeon. Gall. Sturio.

F

Fabro Dalmat. Faber.
Ferraza Ligur. Paſtinaca.
Fico Roman. Callarias.
Filat Maſſil. Conger.
Flaſcopſaro Græco. Orbis.
Flaſſade Maſſil. Læuiraia.
Fragolino Roman. Rubellio.

G

Gaideron Græco. Aſellus.
Gal. Hiſp. Faber.
Galline Maſſil. Cuculus.
Gatuſio Maſſil. Catulus.
Gauedano Inſubr Squalus.
Gaut Aughier Maſſil. Catulus.
Gerro Maſſil. Smaris.
Ghiozzo Hetruſc. Citus.
Girolo Venet. Smaris.
Glagno Byzant. Glanis.

Go Venet. Gobius.
Gob Germ. Gobius fluuiati.
Goifon Lugdun. Gobius. flu.
Gouion Gall. Gobius. fluui.
Gouion de mer. Gall. Gobius

H

Halachia Massil. Alosa.
Harcha Panno. Glanis.
Hecht Germ. Lucius.

I

Iau Baionen. Faber.
Iglicqua Græco. Iulis.

K

Karpffem Germ. Cyprinus.

L

Laccia Rom. Alosa.
Lacciza Dalmat. Pastinaca.
Lacerto Neapol. Scomber.
Ladano Ferrari. Attilus.
Lamia Siculo. Rana piscatrix.
Lamio Lusitan. Squatina.
Lampreda Italo Lampetra.
Lamprea Hisp. Lampetra.
Lamproye Gall. Lampetra.
Lamprydi Germa. Lampetra.
Laterino Rom. Antherina.
Lebre de mar. Narbon. Blennus.
Lechia Rom. Amia.
Leone Roman. Astacus.
Letrinos Græco. Rubellio.
Ligonbaud Massil. Astacus.
Limo Hisp. Libella.
Lingoado Lusit. Solea.
Linguattola Rom. Solea.
Louazzo Ligur. Lupus
Lubin Gall. Lupus.
Lubraca Græco Lupus.
Luccio Italo. Lucius.
Luccio di mare Rom. Sudis.
Lucerna Venet. Cuculus.
Lupasson Massil. Lupus.
Lupo Hisp. Lupus.

M

Macarello Rom. Scombrus.
Macrel Anglo. Scombrus.
Maigre Parisi. Vmbra.
Malamart Ligur. & Massil. Lyra.
Maquereau Gall. Scombrus.
Marmo Hisp. Mormyrus.
Martin pescatore Roman. Rana piscatrix.
Mazone Senen. Mugil.
Menchia di re Rom. & Neapol. Iulis.
Merlo Italorum Merula.
Merluzo Roman. Asellus.
Merluza Hisp. Asellus.
Merlu Gall. Asellus.
Messoro Rom. Vranoscopus.
Messore alius Roman Citus.
Messore alius Rom. Blennus.
Millocopi Græco. Coracinus.
Mola Neapol. Mola.
Moreia Lusit. Muræna.
Morena Italo. Muræna.
Mormo Massilien. & Ianuen. Mormyrus.
Mormoro Rom. Mormyrus.
Moscardino Roman. Polypi species.
Mucosa Roman. Læuiraia.
Mullet Gall. Mugil.
Musnier Ludun. Squalus.

O

Oblada Massil. Melanurus.
Ochia Venet. Melanurus.
Ochiata Roman. Melanurus.
Ochiatella Rom. Torpedo.
Octopodo Græco Polypus.
Oia Ianuen. Melanurus.
Ombrina Roman. Sciæna.
Ora Venet. Aurata.
Orata Roman. Aurata.
Organo Ligur. Cuculus.
Orphies Parisi. Acus.

P

Paganello Venet. Gobij spẽs.
Pageau Massil. Rubellio.
Pagel Hisp. Rubellio.
Paget Gall. Rubellio.
Pal Massil. Canis galeus.
Papagallo Roman. Pauo.
Peange Massil. & Gall. Squatina.
Pelamide Italo. Thynnus paruus.
Perc Anglo. Perca fluuiatilis.
Perche Gall. Perca.
Perchia Roma. Perca.
Peis Iouziou Massil. Libella.
Perosa Roman. Raia.
Persch Germ. Perca.
Pescada Lusitan. Asellus.
Pesce Balestra Quorun. Libella.
Pesce Balestra Rom. Caper.
Pesce Escome Massil. Sphirena.
Pesce Forca Roman. Lyra.
Pesce Gatto Rom. Catulus.
Pesce Ingnudo Rom. Aphia.
Pesce Martello Quorun. Libella.
Pesce Nonna Ligur. Aphia.
Pesce Palombo Venet. Pastinaca.
Pesce Palombo Rom. Mustelus læuis.
Pesce Pectine Roman. piscis noster 83.
Pesce Persico Insubr. Perca fluuiatilis.
Pesce piscatore Ligur. Rana piscatrix.
Pesce Porco Italo Centrina.
Pesce Prete Ro. vranoscopus
Pesce Ragno Quorun. Draco marinus.
Pesce Ratto Ianuen. Aquila.
Pesce Rospo Quor. Aquila.
Pesce San Pietro Ro. Faber.
Pesce Spada Rom. Gladius.
Pesce Spada Quorun. Vulpecula.
Petrosa Roman. Raia.
Phrissa Græco. Alosa.
Pigo Insubr. Pigus.
Polards Anglo. Squalus.
Polpo Rom. Polypus.
Porc Massil. Centrina.
Porcelletta Ital. Sturio minor
Poupe Massil. Polypus.
Pourpre Gall. Polypus.
Preue Ianuen. Vranoscopus.
Pryck Germ. Lãpetræ spẽes.

FINIS.

INDEX RERVM QVAE IN HIS AQVATILIVM ANIMALIVM HISTORIIS CONTINENTVR.

CVM IMPRESSORVM INCVRIA IN NONNVLLORVM foliorum tergo A B C D literæ maiuſculæ laterales, loco E F G H habeantur. Vbi aliquid ſub aliqua reiteratarum literarum notatur, ei 2 ſubiungimus; ne illud fruſtra ſub eadem litera in prima facie quæratur.

FINIS.

CATALOGVS AVTHORVM

QVIBVS VSI SVMVS, TAM EORVM QVI EXTANT QVAM ILLORVM, QVI AB ALIIS CITANTVR.

Aelianus.
Aeſchylus.
Aetilis.
Aetius.
Agatharchides Gnidius.
Albertus Magnus.
Alcæus.
Alexander Aphrodiſeus.
Alexis poeta.
S. Ambroſius.
Amipſias.
Amphis.
Anaxandrides comicus.
Anaxilaus.
Anaxippus.
Andreas medicus.
Andreas Mathiolus.
Apollodorus Athenieñſis.
Archeſtratus.
Archippus.
Ariſtophanes.
Antiphanes.
Apuleius.
Ariſtobulus.
Ariſtoteles.
Athenæus.
Attalus.
Auſonius gallus.
Author Theſauri ling. lat.
Author medicamẽtorum facilè parabilium.
S. Baſilius.
Benedictus Iouius.
Budæus.
C. Titius.
Calepinus.
Calimachus.
Calliſthenes Sybarita.
Cicero.
Claudianus.
Clearchus.
Clemens Alexandrinus.
Clitarchus.
Columella.
Cornelius Celſus.
Cornelius Nepos.
Diocles Caryſtius.
Dioſcorides.
Diphilus Laodiceus.
Dorion.
Ennius.
Epœnetus.
Ephippus.
Epicharmus.
Eriphus.
Eobulus.
Eudemus.
Eudoxus.
Euphron.
Euſtathius.
Euthydemus.
Feneſtella.
Feſtus.
Franciſcus Maſſarius.
Franciſcus Philelphus.
Galenus.
Giorgius Agricula.
Gregorius Tiphernas.
Hegeſander Delphus.
Heracleon Epheſius.
Heraclides.
Hermippus Smyrnæus.
Hermolaus Barbarus.
Herodotus.
Heſiodus.
Heſychius.
Hiceſius.
Hieron. Fracaſtorius.
Homerus.
Horatius.
Iaco. Sannazarus.
Ioannes Manardus.
Iſidorus Hyſpalenſis.
Iuuenalis.
Laberius poeta mimorũ.
Lampridius.
Leonides Byzantinus.
Licinius Macer.
Licinius Mutianus.
Lucilius poeta.
Macrobius.
M. Apicius.
M. Cato.
M. Varro.
Martialis.
Melanthius.
Menander.
Mneſitheus.
Nauſicrates Comicus.
Nicander.
Nicochares.
Nigidius.
Nimphodorus.
Numenius,
Oppianus.
Ouidius.
Pamphylus.
Pancrates.
Parmeno Rhodius.
Paulus Aegineta.
Paulus Iouius.
Pauſanias.
Pherecrates.
Philemon.
Philoſtratus.
Phylotimus.
Platina.
Plato.
Plautus.
Plinius.
Plinius Valerianus.
Plutarchus.
Poggius ſenior Floren.
Polybius Megalopolita.
Pomponius Mela.
Raphael Volaterranus.
Seneca.
Sipontinus.
Solinus.
Sophron.
Soſtratus.
Speuſippus.
Strabo.
Strattis.
Terentius.
Terpſicles.
Theodorus Gaza.
Theon.
Theognis.
Theophraſtus.
Timagenes Syrus.
Trebius Niger.
Typhon.
Varinus.
Vergilius.
Vitruuius.
Zenodotus.

CANDIDO LECTORI

Etsi maxima vsi sumus diligentia, vt emendatissimus hic noster liber in hominum manus exiret; fieri tamen non potuit (talis enim est præli conditio) vt pauci quidam atque leues non commiterentur errores, quos sic corrigito.

In Epist. ad lect. Oppiani Aelianus, corrige. Aeliani Oppianus

in fol.	lin.		corrige.
9	99	καπρσκος.	καπρίσκος.
23	100	herboso	cœnoso
28	111	μέλαδρους	μέλανδρους.
29	96	Capone	Rondine
41	85	πολύπος	πολύπους
49	42	Galeus	Squatina
52	97	τρίγα	τρὶγλα
75	B2	φύνια	σφύνια
81	A2	uon	non
83	B	demunqs	demumq;
84	D	aulgarem	vulgarem
88	A	asscribat	ascribat
93	C	asscribendũ	ascribendum
108	D2	asscribit	ascribit
123	C	transscripsit	transcripsit.
164	B	Clearcus	Clearchus
177	B	asscribant	ascribant
180	D	dem.	Idem
182	C	asscribi	ascribi
184	A	MORMYRA	MORMYRO
204	D	καλκεύς	χαλκεύς
209	A	noningentis	octingentis
239	A	postilla Athenæi	Aristotelis
213	E		NATVRA ET MORES. DESCRIPTIO.

REGISTRVM

✠ A B C D E F G H I K L M N O P Q R S T V X Y Z.

AA BB CC DD EE FF GG HH II.

Omnes sunt Quaterniones.

ROMAE

APVD EVNDEM HIPPOLYTVM

SALVIANVM. MENSE IANVARIO.

M D L V I I I.



SALVI  ANVS.

☙ROMAE☙


SMITHSONIAN INSTITUTION LIBRARIES
3 9088 01721 6821